Digitized by Google



Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
C
21
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XLVII

C

21

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTINUATIO

PARTIS PRIMAE TOMI PRIMI

DEMONSTRATIONIS

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUADRIPARTITAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEMONSTRATIO

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

QUADRIPARTITAE

COMPROBATAE MONUMENTIS

PERTINENTIBUS

AD FIDEM TEMPORUM ET GESTORUM.

ROMAE CIↃIↃCCLII.

EX TYPOGRAPHIA APOLLINEA.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

LIBER HISTORICUS.

Cap. I.

Proponuntur genera Doctrinae ab Hebraeis, Ethnicis, *&* Haereticis *usurpatae Primo, & Altero Christi Saeculo adversus Ecclesiae a Jesu Christo fundatae magisterium: ac Methodus indicatur, quam heic servare instituimus in eorundem Saeculorum Historia, & in Monumentis singillatim ostendendis tam ante, quam post inventas literas, in Tabulis Chalcographicis Barbatianis.* DXXXI

Cap. II.

De totius Libri Historici Summa, necnon de titulo priori Tabulae Sacculi utriusque praefixo ex Sermone. I. Sancti Leonis Magni in Natali Apostolorum Petri, & Pauli, *ad ostendenda praesidia Sacrae Doctrinae, B. Petri monitu ac disciplina constituta, tum in Urbe, tum in reliquis Sedibus Patriarchalibus. Primum praesidium statuitur in delectu Presbyterii, & Cleri, & in Scholis Catecheseon designandis. Alterum vero in Cleri convictu cum proprio Episcopo Apostolica institutione collocatur.* DLIX

INDEX

CAP. III.

De Canone Divinarum Scripturarum ab Ecclesia recepto ante & post Christum natum. DCIV

CAP. IV.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, qui, ab Apostolorum aetate usque ad Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum, Canonem Divinarum Scripturarum seu certum Veteris ac Novi Testamenti Librorum Catalogum ab Ecclesia receptum texuerunt. DCXVIII

CAP. V.

De Libris Autographis, & Apographis Legis, & Prophetarum, eorumque Historia. DCXLV

CAP. VI.

Historia Textus Biblici, ac Versionum, comprobata ex antiquis Christianorum monumentis, praesertim Romanis. DCLIX

CAP. VII.

Historia Primi dissidii inter Fideles Antiochiae suborti, & ab Apostolis sublati per Literas Apostolicas, & per Missos Apostolicos, ex Actibus Apostolorum deprompta. DCLXXXV.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

De Cruce Stationali S. R. Eccleſiae omnium Matris & Magiſtrae. DCXCII

CAP. IX.

Origo Signaculi Crucis, ejuſque myſtica indicatio ſervata ex Apoſtolica traditione in praecipuis Eccleſiae ritibus. DCCV

CAP. X.

De Paſchalis temporis delectu, & Myſteriis: Sanctorum Patrum diligentia in iis procurandis. Cur Nicaena Synodus eam curam demandaverit Eccleſiae Alexandrinae? Hujus praeſtantia declaratur in Mathematicis. DCCXIII

CAP. XI.

Paſchalis Computi ab Eccleſia in Feſtis uſurpati brevis Hiſtoria. DCCXXIV

LIBER CRITICUS.

CAP. I.

Stoicae Sectae Philoſophi, Primo & Secundo Chriſti Saeculo Haereticorum anteſignani, & praecipui errores. DCCLIII

INDEX

CAP. II.

Errores Stoicorum circa ideam & cultum Dei. DCCLXI

CAP. III.

Primus Stoicorum error a ſchola tertii Zoroaſtris, ſive Magorum Perſidis; atque primorum Haereticorum Sectae ab utriſque prognatae, nempe a Magis Perſis, ac Stoicis. DCCLXXIII

CAP. IV.

II. error Stoicorum circa Providentiam, & Mundi regimen, eorumq. Fatum. DCCLXXXIV

CAP. V.

Origo ſecundi Stoicorum erroris a Fato Chaldaeorum illuſtratur antiquis Lapidibus utriuſque Sectae dogmate conſignatis. DCCXCVII

CAP. VI.

Tertius error Stoicorum in Quaeſtione de ſummo Bono. DCCCXXIII

CAP. VII.

Quartus error Stoicorum circa originem boni ac mali. DCCCXXXVII

LIBER ANTIQUARIUS.

DE HERMETIBUS.

CAP. I.

Hermetis seu Mercurii Nomen, & Simulacrum: ubi de Hermis, & Hermathenis. DCCCLXII.

CAP. II.

Hermae constituti in vestibulis templorum Mercurii, necnon pro foribus Aedium privatarum in Bibliothecis. DCCCLXVIII

CAP. III.

Inventa Mercurii sive Hermetis, nempe Chanaani, & Phoenicum ejus posterorum, ex Nummo Hadriani *superius allegato, & ex alio, ipsius nomine, ac notis hieroglyphicis inscripto.* DCCCLXXVII

CAP. IV.

Cum symbolis & figuris hieroglyphicis compendiariae notae dictionum producuntur (repertae, aut certe usurpatae aevo trium priorum Hermetum apud Aegyptios, Indos, Brachmanes, & Sinas) ex veteri Cylindro magnetico utroque genere notarum antiquitus inciso, aliisque ex monumentis Romae asservatis. CMV

CAP. V.

Digitized by Google

CAP. V.

Cultus Idololatricus a Chami filiis excogitatus, & Mundi partibus, ac parentibus vita functis impie tributus, hieroglyphicis signis ab eisdem exprimitur: unde Hermetes, & Sacrorum Interpretes habiti sunt tres Mercurii superiores. CMXXI

CAP. VI.

De quarto, & quinto Ethnicorum Mercurio omnium praestantissimo, Aegyptiis Thoth, Phoenicibus Taauto appellato, literarum inventore: in quem Ethnicorum licentia Moysen transformavit primum Auctorem vocum scribendarum per literas. CMXXVII

CAP. VII.

De omnium Mercuriorum inventis, unico symbolo caducaei a Veteribus indicatis: ac de Canina specie Mercurii Simulacro attributa. CMXLIV

CAP. VIII.

Antiqui Ethnicorum Auctores, qui monumentis hieroglyphicis inclaruerunt. CMLXIII

CAP. IX.

Tria genera Artis Graphicae seu Scriptoriae ab

Digitized by Google

ab Aegyptiis retenta poſt inventas literas viſuntur in eodem Monimento Planiſpherii Vaticano, & illuſtrantur ex teſtimonio Clementis Alexandrini, aliiſque ſimulacris, & Nummis. CMLXXX

DE GLOBO FARNESIANO.

PRAEFATIO. CMXCVII

CAP. I.

Proponitur figura hujus antiqui Monimenti, in Palatio Farneſiano Romae aſſervati, & primum Atlantis, a quo Globus ſuſtinetur. MV

CAP. II.

De Globi Sectionibus, Circulis, & Imaginibus: unde infertur, in illo expreſſa Aſteriſmorum diſpoſitio, juxta Arati Phoenomena, & Fixarum ſitus, qualis erat aetate Ptolemaei, hoc eſt, imperante Antonino Pio. MXXI

CAP. III.

Oſtenditur qua ratione in hujus Atlantis Simulacro, & Globo Caeleſti, Sphaerae Circulis compluribus inſculpto, necnon Aſteriſmis Arataeis, Ptolemaicis, indicentur progreſ-

LIBER HISTORICUS

PRIMI ET SECUNDI SAECULI DEMONSTRATIONIS HISTORIAE ECCLESIASTICAE QUADRIPARTITAE.

CAPUT PRIMUM,

Proponuntur genera Doctrinae ab Hebraeis, Ethnicis, *&* Haereticis *usurpatae Primo, & Altero* CHRISTI *Saeculo adversus Ecclesiae a* JESU CHRISTO *fundatae magisterium : ac Methodus indicatur, quam heic servare instituimus in eorundem Saeculorum Historia, & in Monumentis singillatim ostendendis tam ante, quam post inventas literas, in Tabulis Chalcographicis Barbatianis.*

QUI primi mandato Dominico in universum Terrarum Orbem ablegati Gentes omnes Doctrina CHRISTI imbuendas susceperunt Apostoli, licet officium, DEO auctore collatum, ita exercerent illa ipsa die, qua, divino Spiritu illabente, fuerant Magistri Or-

LIBER HISTORICUS.

bis Terrarum e Piſcatoribus confirmati, ut omnium linguarum vocibus extemplo uterentur (*Actorum* 2. *verſ.* 7. *& ſeq.*), admirantibus paſſim eloquentiae repentinae prodigium Parthis, Medis, & Aelamitis, *& qui habitant Meſopotamiam, Judaeam, & Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & Partes Lybiae*, Romanis, Judaeis, Proſelytis, Cretenſibus, Arabis; attamen experti ſunt, tot inter admiratores divinitus infuſae Sapientiae, nonnullos ita ſtupidos irriſores, ut calumniam ebrietatis, ab his per ſummam impudentiam oppoſitae, ducerent repulſandam; dum omnium Nationum aures, & voces, DEI magnalium a ſe perceptorum conteſtes, in frequentiſſimis Hieroſolymorum coetibus adhibebant. Ea nempe jam tum parabantur a perditis deriſoribus Diſciplinae CHRISTI convicia, quem ſolum Apoſtoli docere noverant, & hunc Crucifixum;

xum; licet Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem diceretur stultitia. Neque aliter contigit Paulo, tam inter Areopagitas, quam coram Judice Festo differenti de Resurrectione; ut ibi quosdam irridentes repererit, heic audiverit sibi reponi, multis literis ad insaniam se fuisse perductum: quare & Apologiam subtexere coactus fuit veritatis & sobrietatis verborum, quae praedicabat; non secus ac in Areopago maluit experimentum sani consilii Athenienſibus demonstrare, productis in medium sententiis illustrium Poetarum, quos ipsi doctrinae causa suspiciebant. Omnibus enim omnia factum se testabatur, ut omnes Christo lucrifaceret.

Apostolorum doctrinae, passionum, & gloriae proximi haeredes, nempe eorundem Discipuli, similem plane vicem experti irrisorum, & contumacium, eadem regia via contra ipsos procedere in armis Christianae militiae

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

decreverunt . Et quidem , monente Paulo , noverant , quod *arma militiae noſtrae non carnalia ſunt , ſed potentia a* DEO , ad deſtructionem munitionum : &, cum eodem Apoſtolo , profitebantur , *in carne ambulantes , non ſecundum carnem militamus &c.* conſilia deſtruentes , & omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam DEI ; & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium CHRISTI ; & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam .

Omnem igitur altitudinem , extollentem ſe adverſus ſcientiam DEI, impetendam ſibi eſſe armis Apoſtolicis cum perciperent ; eandem primum detegere, & circumluſtrare decreverunt, utriuſque Teſtamenti Tabulis hoſtili Jerico ſaepe circumlatis , Sacerdotalibus tantum buccinis primo clangentibus , mox etiam univerſo Populo vociferante , & ſcientiam DEI (hoc eſt Fidem) Judaeis, ac Gentibus annuncian-

ciante, quam a Christi Sacerdotibus miniſtratam acceperat. Ita enim interpretatus eſt Paulus, cum affirmaret, *Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum ſeptem*.

Tres vero altitudines, extollentes ſe adverſus ſcientiam Dei, tum Apoſtolicum Saeculum, tum aetates proximae protulerunt: nempe carnalia Judaeorum arma, quae ſpiritum Christi opprimere tumore literae occidentis audebant; Gentium ſuperbiam, quae in humilitatem Chriſtianae Doctrinae tanquam e Turri Babilonica deſpiciebat; & Haereticorum inobedientiam, per quam ſimiles eſſe Altiſſimo, & ſolium in Caelo erigere adverſus Deum, cum nefario eorundem erroris Magiſtro, appetebant. Prima elevatio illa, qua impediebantur Judaei, ne humilitatem, ſimplicitatem, veritatem, ac lucem Christi in umbra Legis agnoſcerent, de medio tollenda fuit, inducta ipſius Divinae Legis

LIBER HISTORICUS.

gis complanatione , & exaequatione , qua , juxta monitum Praecurſoris , *omnis mons , & collis humiliaretur , & redigerentur aſpera in vias planas* . Exponendus nempe fuit Judaeis incredulis ſenſus legitimus Scripturarum , juxta explanationem Vaticiniorum a CHRISTO DOMINO ſuis Apoſtolis manifeſtatam , ab his vero , Sacerdotibus ſucceſſoribus in Eccleſia traditam , & per utroſque , fidelibus pariter , & infidelibus declaratam . Ut vero detegeretur inanis tumor praeſumptionis incredulae Judaeorum , neceſſe antea fuit , de Sacrarum Literarum Canone cum eiſdem loqui . Nam in verbo DEI utrimque admiſſo , certus veluti conſiſtendi dabatur locus , in quo ſimul poſiti , manus deinde conſererent , & vindicarent hujus Divinae ſortis integram poſſeſſionem, unice pertinentem ad CHRISTUM DOMINUM Regem in Cruce elevatum , necnon ad Eccleſiam Catholicam , in Novi Teſtamenti Ta-

Tabulis ipſius ſanguine conſignatis, bonorum omnium, adeoque & CHRISTI ſapientiae ſcriptam haeredem. Statuenda igitur fuit primum ante oculos Judaeorum, hinc quidem ſeries Librorum Legis, & Prophetarum, in quibus ipſi concederent, veram DEI ſcientiam contineri: inde autem Novi Foederis Tabulae, ſive Auctores Canonici, a CHRISTI Spiritu Eccleſiae dati ad interpretanda myſteria Scripturarum, quae ipſe DOMINUS JESUS, in Cruce ſpiritum agens, conſummata eſſe declaravit; idemque, poſt triduum redivivus, Diſcipulis Emmauntem profectis interpretabatur (incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis), & reliquis, eoſdem audientibus, ſcripta in Lege Moyſi, Prophetis, & Pſalmis, quando aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno DEI.

Prima igitur Demonſtratio Chriſtianae

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

nae Sapientiae, qua tollitur Judaeorum perfidia, eſt indicatio Sacrarum Scripturarum, ſeu dinumeratio Auctorum in Canone Eccleſiae receptorum, juxta duplex Teſtamentum, DEO auctore nobis revelatum, nempe Vetus, a Judaeis, & a Chriſtianis admiſſum tanquam DEI verbum; & Novum, ab iis quidem excluſum ac rejectum, a nobis autem, & Majoribus noſtris receptum tanquam Veteris implementum, & regulam morum, ac Fidei, a JESU CHRISTO DEO ac DOMINO noſtro perpetuo conſtitutam. Utraſque Tabulas circumferimus Judaeorum muris cum Apoſtolicis Sacerdotibus in hiſtoria Primi, & Secundi Saeculi a CHRISTO *nato*: demonſtrantes primum ex vetuſtiſſimis Martyrum monumentis, & Baſilicis, ac Titulis Urbis, earumque Muſivis, Anaglyphis, Inſcriptionibus, eandem Librorum ſummam ab Eccleſia Apoſtolica receptam, quae hodie apud nos viget, adhibitam fuiſ-

ſe

se a Patribus, & Fidelibus Primi, & Secundi Saeculi, adversus Judaeos disceptantibus; ut subinde procedi possit ad ostendendam depressionem falsi nominis scientiae, a Synagoga jam tum reprobata oppositae nostris Ducibus, & assertoribus verbi Dei, in Novo Foedere de Judaeorum perfidia Fidei triumphum agentis; quemadmodum Sanctus Iraeneus demonstrabat adversus Judaeos, ita scribens *lib.* 4. contra Haereses *cap.* 26. *pag.* 262. ubi ostendit, quod sola Ecclesia recte legat Scripturas: *Omnis Prophetia*, inquit, *priusquam habeat effectum, aenigmata, & ambiguitates sunt hominibus. Cum autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum est; tunc prophetiae habent liquidam & certam expositionem, & propter hoc quidem Judaeis cum legitur Lex in hoc nunc tempore, fabulae similis est: non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum* Filii Dei, *qui est secundum hominem:*

Liber Historicus.

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

a Christianis vero cum legitur, thesaurus est, absconsus in agro, Cruce vero CHRISTI *revelatus est, & explanatus, & ditans sensus hominum, & ostendens Sapientiam* DEI, *& eas, quae sunt erga hominem dispositiones ejus, manifestans, &* CHRISTI *Regnum praeformans, & haereditatem Sanctae Hierusalem praeeuangelizans; & praenuntians, quoniam in tantum homo diligens* DEUM *proficiet, ut etiam videat* DEUM, *& audiat sermonem ejus, & ex auditu loquelae ejus in tantum glorificari, uti reliqui non possint intendere in faciem gloriae ejus, quemadmodum dictum est a Daniele* : *Quoniam* intelligentes fulgebunt, quemadmodum claritas firmamenti, & a multis justis sicut stellae in saecula, & adhuc. *Quemadmodum igitur ostendimus, si quis legat Scripturas,* (*etenim* DOMINUS *sic disseruit Discipulis post Resurrectionem suam a mortuis, ex ipsis Scripturis ostendens eis, quoniam* oportebat pati CHRISTUM, & intrare in gloriam suam, &

in

in nomine ejus remissionem peccatorum praedicari in toto Mundo) *& eris consummatus Discipulus, & similis patrifamilias, qui de thesauro suo profert nova, & vetera.*

Genus alterum superbae altitudinis, sese extollentis adversus scientiam Dei, residebat in Ethnicorum arrogantia ex literarum Prophanarum studiis, apud ipsos tum maxime florentibus, cum Imperatores Romani Secundo Aerae Christianae Saeculo, amplificata ditione, pacis artibus incumbebant, & Philosophicis Disciplinis ita exercebantur, ut inde nomen mutuarentur. Confligendum cum Graecis fuerat etiam Apostolo Gentium, qui haustam in Caelesti raptu sapientiam, pro eorundem captu ita suscepit attemperandam, ut, eorundem ex monimentis, & Auctoribus, in Areopago maluerit exordium dicendi, & occasionem docendi sumere. Ejus autem exempla sequuti Christiani Doctores

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Secundi Saeculi, disputationes inchoarunt ab enumeratione & descriptione Auctorum, tum nostrae Religionis, tum Ethnicae superstitionis, ac literarum; hanc veluti basim superponentes semel jacto per Apostolum fundamento, ut Ecclesiae aedificium, a Sapienti Architecto delineatum ex Judaeis, ac Gentibus, comparatione ac demonstratione solidioris doctrinae, compositum crescceret usque ad conspectum DEI, & ad veritatis contemplationem pacificam; in qua Summam verae Sapientiae constituit omnium Magister DOMINUS, interprete Beato Augustino. Quae autem necessitas foret hujusmodi methodi constituendae, diserte legitur apud S. Justinum Martyrem initio celeberrimae ipsius *Cohortationis ad Graecos*, quam praestat heic summatim exprimere; ut ratio totius dispositionis eluceat, in nostro Cimeliarchio Barbatiano servata, ad exhibendam Demonstrationem Historicam Primi, & Secundi

Digitized by Google

cundi Saeculi Aerae Christianae .

Ostenderat Paulus in ea concione, quam S. Lucas memorat in Areopago habitam ab Apostolo, duos Articulos in Fidei nostrae Symbolo expressos: nempe , Deum Caeli , & Terrae conditorem, esse a nobis colendum certo cultu ab ipsomet instituto , quod erat primum : alterum vero , quod est Symboli Apostolici complementum , a primo illo dependens, & affirmans, Deum Judicem futurum humanarum actionum *in viro* , in quo statuit , *fidem praebens omnibus , suscitans eum a mortuis*; atque ita declarans Demonstrationem cultus istius , Fidei , Legi , & Gratiae per ipsum omnibus impertitae ubique respondentem .

His fundamentis Apostolicis ita superstruit Justinus suae Paraenesis basim : „ Itaque (*S. Justinus pag. 6. columna prima*) cum propositum Nobis sit de vera Religione differere (quaquidem nihil iis , qui vivere extra pericu-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

riculum volunt, antiquius esse arbitror, propter futurum post finem hujus vitae judicium, quod quidem non nostri solum in DEI cultu progenitores praedicant, Prophetae & Legislatores, sed ii etiam, qui apud vos sapientiae opinionem habuere, tum Poetae, tum, veram ac divinam apud vos scientiam assecutos se esse profitentes, Philosophi) praeclarum factu judicavi, primo quidem de Religionis nostrae simul, atque vestrae magistris inquirere, qui, & quales, quibusque temporibus fuerint; ut & qui prius falso appellatam Religionem a Majoribus accepere, nunc, re cognita, inveterato illo liberentur errore; sed & nosmetipsos clare & aperte demonstremus eorum Religionem sequi, quos in DEI cultu progenitores habuimus. „

Unicum hoc Justini testimonium ostendit, connexionem ipsius methodi cum Apostolico fundamento, & aptam superstructionem demonstrationis verae

rae pietatis (apud nos tantummodo cuſtoditae) neceſſario requirere(ſi cum externis agendum ſit) comparationem Auctorum utriuſque cultus, Divini ſcilicet , domi noſtrae reſidentis, & alterius ſuperſtitioſi ac mendacis illorum, qui Ethnicae diſciplinae Magiſtros ſequi profitebantur : atque adeo producendos eſſe in publicum lumen ex noſtris quidem partibus Apoſtolos , & Prophetas , & omnium Doctorem ac Dominum, Dei Verbum, in quo creata, ac reparata credimus univerſa : ex adverſa vero Schola Ethnicorum, Poetas, Sapientes , Legislatores , Philoſophos, quos ibi ſingillatim enumerat , expenditque Juſtinus . Conſiderandam utrobique aetatem , mores, doctrinam ; ut, comparatis indicationibus , cognoſci poſſit , utra ex parte pietas , veritas , ſapientia habeatur ; cujus ductu vitam formantes , ac diſciplinam , humanarum actionum Judicem propitium in ſententia experiamur .

De-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Descendendum igitur fuit singillatim fortissimo Apologistae ad Homerum, & Hesiodum inter Poetas; ad Thaletem, Anaximandrum, Anaximenem, Heraclitum, aliosque successores inter Sapientes Jonicos; ad Pythagoram, & Empedoclem inter Italicos Philosophos; Platonem, & Aristotelem inter Socraticos. Singulorum aetas fuit expendenda, & conferenda cum nostris Auctoribus; Dogmata comparanda, adscitis etiam in commune certamen Oraculis, ubi hominum praestantia defuerit. Ceterum, praeter Graecae eruditionis Magistros, tentandas etiam duxit origines Aegyptiorum, ac Phoeniciae disciplinae, unde Graeca profecta est, Cadmi literas, Solonis Leges, Orphaei, ac Musaei Theologiam, Sybillarum fatidicas voces, quidquid denique antiquae eruditionis jactabant; ut consona, & dissona singulorum, collata cum harmonica Scripturarum nostrarum com-

Digitized by Google

compage, demonſtrarent ejus propoſiti veritatem, in quo perſiſtens Juſtinus, (*pag.35.columna ſecunda*) ſuam Cohortationem ita concluſit. „ Omnino igi-
„ tur perſpectum & exploratum eſſe de-
„ bet, nulla alia ratione DEUM, aut re-
„ ctam Religionem cognoſci poſſe, niſi
„ ex ſolis Prophetis, qui Divino numi-
„ ne afflati nos docent. „

Cogitantibus itaque nobis Hiſtoricam oſtenſionem ante oculos ponere ejuſmodi Geſtorum Eccleſiae, Primo, & Altero CHRISTI Saeculo feliciter occupatae in hac Demonſtratione perficienda; vix quidquam occurrere poterat argumento conformius, atque utilius, quam noſtrorum Scriptorum Veteris Teſtamenti ſeriem, genus, tempora; atque imagines exhibere, petitas a documentis Juſtino proximioribus: quod ſimiliter praeſtitum fuit in Primi Saeculi Hiſtorica Demonſtratione contexenda, allatis Novi Foederis monimentis, unde Librorum, apud nos Di-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

vina auctoritate pollentium, usus ostenditur ex imaginibus, antiqua pictura, aut opere vermiculato atque anaglyphico passim expressis, tum in Cryptis, ac Coemeteriis, tum in Fontibus, Titulis, Oratoriis, Basilicis Martyrum, ac Confessorum: quibus adjunximus etiam imagines aliorum, qui post Canonicos Auctores maximo in pretio habentur, sive primo, aut altero CHRISTI Saeculo vixerint, sive ad subsequentis initium vitam produxerint, post receptam ab Apostolis, & Apostolicis viris Catholicam disciplinam.

Consequebatur & alterum, nascentis Ecclesiae maxime proprium, & a Justino fusius explicatum, nempe, ut Auctores praecipuos eruditionis cujusque generis proferremus in medium, quos sequi gloriabatur Ethnica superstitio, abusa literis, cultuque; ac nomine Philosophiae, ad imbuendos erroribus animos Romanorum pariter, & Graecorum. Ut enim ex Irenaeo,

(*Lib.*

(*Lib. IV. contra Haereſes cap. 24. pag.* 260. *col.* 2.) alii obſervarunt, *plus laborabat, qui in Gentes Apoſtolatum acceperat, quam qui in Circumciſione praeconabant* FILIUM DEI: *illos enim adjuvabant Scripturae, quas confirmavit* DOMINUS, *& adimplevit, talis veniens, qualis & praedicabatur: hic vero peregrina quaedam eruditio, & nova doctrina,* DEOS *Gentium non ſolum non eſſe* DEOS, *ſed & Idola eſſe Daemoniorum &c.*: Acedebat & altera difficultas, ab Irenaeo ibidem expenſa, retrahendarum Gentium ab iis criminibus admittendis, ad quae frequentanda, Numinum ſuorum exemplo, & placitis Philoſophorum, quandoque etiam Legibus Populorum, aut Vatum reſponſis (tanquam naturae, aut ratiocinii regulis aptata) concitabantur.

Judiciaria igitur methodo erant ſingillatim producendi Auctores ejuſmodi ſententiarum, & criminum, Poetae, Sophiſtae, Legum latores, Philoſo-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

phi, Chaldaei, Aegyptii, Phoenices, Barbari, Graeci, Etruſci, Romani; ut veritatis, ac rectae rationis ad tribunal, a Chriſtiana Sapientia, rei violatae juſtitiae, atque inducti erroris peragerentur.

Juſtini veſtigiis eſſe inſiſtendum ducunt aequales, ac proximi ab illo Scriptores noſtrarum partium: quorum ante oculos poſita memoratorum Auctorum tam Simulacra, quam Scripta, occurrebant, modo in Bibliotheca Ulpia, & in Foro ſui nominis a *Trajano* dedicata, modo in Antiati ſeceſſu, ac Villa Tiburtina poſita ab *Hadriano*, tum ab *Antoninis* ornata titulis, & honoribus aucta, &, ad formandos mores, Imperiumque conſtituendum, adhibita, tradita Magiſtratibus, inſerta Legibus, & vitae profeſſione praeſentibus ac poſteris commendata.

Propterea non aliter arbitrati ſumus procedendum eſſe nobis in Hiſtorica Demonſtratione alterius iſtius depreſſio-

sionis humanae philodoxiae, contra scientiam Dei audacter insurgentis inter agmina Philosophorum, stipantium Ethnicos Imperatores. Nam, productis primum imaginibus, & insignioribus monimentis eorundem *Caesarum*, qui Primi, & Secundi Saeculi Chronologiam, atque Historiam constituunt, disponimus deinde in Tabula II. *Antoninorum* Imperatorum eadem vetusta Simulacra Poetarum, Philosophorum, Sapientum, quae ipsorum jussu fuerant in Bibliothecis, Foris, Porticibus dedicata; ut, ad Scripta eorundem perlegenda, sectandasque sententias, Civium suorum mentes allicerentur. Inquiremus autem in Historia Ecclesiastica, ad calcem hujus Operis Tabulas universas octodecim Saeculorum fusius explicatura, singulorum Auctorum genus, aetatem, dogmata, scripta, mores; quibus ad criterium rationis revocatis, ostendemus cum Justino, aliisque Sanctis Patribus, quae vere & com-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

& commode dicta apud eosdem occurrunt, eadem, ut plurimum, fuisse mutuatos a nostris Auctoribus Antiquae Legis, Patriarchis, Sacerdotibus, ac Prophetis, in Aegypto, Phoenicia, & Assyria versatis: quae autem falsa, & incommoda suopte ingenio procuderunt, eadem ab Apostolis, eorumque successoribus Apostolicis viris, Episcopis, & Doctoribus Novi Foederis invicta ratione convulsa esse, atque ab hominum mentibus eradicata: ut plane constet, optimo jure prolatam a Beato Leone Magno sententiam, quam collocavimus in Prima nostri Cimeliarchii Tabula, complexa Historiam praecipuam Ecclesiae Magisterii Secundo Saeculo feliciter asserti contra hostiles aggressiones Judaeorum perfidiae, Ethnicorum Philosophiae, & contumacis Haereticorum inobedientiae,

HIC

Digitized by Google

HIC CONCVLCANDAE PHILOSOPHIAE OPINIONES, HIC DISSOLVENDAE ERANT TERRENAE SAPIENTIAE VANITATES.

(S. Leo Serm. I. in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli.)

Quoniam vero ratio temporum antiquorum, quae noſtrae *Demonſtrationi Hiſtoriae Eccleſiaſticae* favet adverſus opiniones ac fabulas Aegyptiorum, Phoenicum, Graecorum, aliarumque Gentium, poſtulat, ut prius de Sacris, quam de prophanis Auctoribus in ea differatur, prius expediemus quae pertinent ad Eccleſiae Catholicae Scriptores Canonicos, quorum doctrina diſſolvendae erant terrenae Sapientiae vanitates. Neque enim contendimus noſtras literas confirmare ex alienorum teſtimonio; quando ipſae probatae fuerint ſoliditate ſua ſtare; utpote omnipotenti DEI verbo conſtitutae ab origine rerum, & in Catholica Eccleſia

Digitized by Google

sia eodem DEI verbo aeternitatis fideijussore firmiter conservatae, ac perenniter duraturae. Narrabimus deinde per summa capita Historiam confutatae, vanitatis contra DEI Sapientiam insurgentis, atque exhibebimus praecipua Dogmata Ethnicorum Philosophiae; ut irritos eorundem conatus, ac loco dejectam inanis doctrinae persuasionem, a vera CHRISTI sapientia demonstremus.

Ordo demum *Librorum Critici*, & *Antiquarii*, qui *Historicum* consequentur, talis futurus est in prophanis Auctoribus numerandis, atque expendendis. Initium ducturi sumus ab antiquioribus. Sunt autem hi, qui apud Aegyptios, et Phoenicas vixisse in Africa, et Asia memorantur ante inventas literas, et Hieroglyphicis notis usi ostenduntur. Licet vero Fabulis obscurata plerunque fuerit eorundem Historia, ac nomina ipsa variata; conabimur tamen ostendere, juxta Patrum Veterum, et recentiorum suffra-

Digitized by Google

fragia Criticorum, *Mercurium Tanutum*, omnis Prophanae Ethnicorum Literaturae parentem, proxime post Noeticum Diluvium aetate Chanaan floruisse, aut ipsum Chanaan Chami filium habendum esse. Tum digrediemur ad Athlantem Maximum, et reliquos Auctores, imaginibus, ac Symbolis usos, ad suam doctrinam Posteris contradendam. Hinc ad Cecropem, Danaum, Cadmum, Herculem, et ejusmodi advenas Aegyptios, ac Phoenicas temporum ratio nos deferet; qui, post inventas a Mose literas, animi sensa vocibus articulatis expressa, cum suis Coloniis, ex Asia, Aegypto, Lybia in Europam ductis, ante Trojana tempora Graeciae, et Hesperiae finibus intulerunt. Primi procedent Literarum usum edocti, et, institutis ad easdem Regiones itineribus, eruditi Graecorum Poetae, simul ac Theologi, Sapientes, Sophistae, Legumlatores bello Trojano recentiores, concisis sententiis par-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

simoniam in scribendo sectati. Succedent Philosophorum Scholae; Jonica a Thalete Milesio instituta, qui ansam philosophandi coepisse dicitur ab Homeri rhapsodia; Italica, cujus auctor Pytagoras habetur auditor Pherecydis Syri, qui e Septem Sapientibus Pittacum audierat; Attica, per Anaxagoram Clazomenium ex Jonia Athenas perlata, in qua Socrates de Caelo evocasse Sapientiam fertur, cum a contemplatione naturae, ad hominum mores formandos traduxerit Philosophiam. Hujus autem auditores abierunt in Sectas plures. Siquidem Antisthenes constituit Cynicam, in qua Diogenes claruit: Plato, Academiam veterem, unde Archelaus Mediam, Carneades vero Novam eduxit: Aristoteles Peripateticorum Princeps, propriam Sectam a Magistro Platone secrevit. Tum vero floruerunt in Graecia, Tragici, & Comaedi potiores, Historici, Sophistae, Oratores. Natus in-

Digitized by Google

inter hos Alexander, Imperium Orbis Terrarum dum profert ad Oceanum, vestigia Literarum veterum, novis additamentis auctarum, retulit in Aegyptum, & Asiam. Proximi autem Reges, ex illius Ducibus constituti, Bibliothecas celeberrimas condiderunt: Eumenes Attalicam seu Pergamenam; Antiochus Magnus Syriacam; Ptolemaeus Philadelphus Alexandrinam. Romanorum spolia paullo post evasuras. Aemilius enim Paullus, devicto Perseo Macedonum Rege, Librorum supellectilem in Urbe cumulavit, auctam a *L. Lucullo e Pontica* praeda; quorum erat usus, quam comparatio, liberalior; ut Plutarchus affirmat in ejus Vita. *Julius* autem *Caesar*, cum destinasset, Suetonio teste, Bibliothecas Graecas, & Latinas, quam maximas posset, publicare, data *M. Varroni* cura comparandarum ac dirigendarum; morte praeventus, destitit. *Asinius Pollio* Orator & Senator nobilis, horta-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

tu *Auguſti* Atrium Libertatis exſtruxit, atque in eo Bibliothecam publicavit; quod primum inter Romanos feciſſe conſtat ex Plinio. *Primus*, ait, *Romae Bibliothecas publicavit Pollio, Graecas, Latinaſque; additis Imaginibus in Atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum inſtruxerat. Palatina*, & *Octavia Auguſti* Bibliothecae; *Flavia*, ſeu *Pacis, Veſpaſiani*; Capitolina, *Domitiani*; *Ulpia*, *Trajani*, aliaeque poſteris temporibus adornatae claudent enumerationem Virorum, Prophanis Literis memorabilium, altero CHRISTI Saeculo.

Suprema igitur genera Auctorum Illuſtrium apud Ethnicos erunt duo; initio deſumpto ab iis, quos inter DEOS, ac Heroas retulerunt.

Genus primum, eſt eorum, qui uſi ſunt Symbolis, ac Hieroglyphicis: quo cenſu includentur non modo Aegyptii veteres, Afri, Syri, Caldaei; verum, & Indorum Gymnoſophiſtae, Brachmanes, & Sinae. Agetur ergo de quin-

quinque Hermetibus ſive Mercuriis praecipuis, a Cicerone memoratis: & de triplici Atlante, aliiſque Auctoribus, qui clari habiti ſunt doctrina Hieroglyphica ante repertas literas.

Alterum vero illorum, qui literas adhibuerunt. Et proponentur genera doctrinae a praecipuis eorum Auctoribus adinventae.

CAPUT SECUNDUM.

De totius Libri Hiſtorici Summa, necnon de titulo priori Tabulae Saeculi utriuſque praefixo ex Sermone I. Sancti Leonis Magni in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, *ad oſtendenda praeſidia Sacrae Doctrinae, B. Petri monitu ac diſciplina conſtituta, tum in Urbe, tum in reliquis Sedibus Patriarchalibus. Primum praeſidium ſtatuitur in delectu Presbyterii, & Cleri, & in Scholis Catecheſeon deſignandis. Alterum vero in Cleri convictu cum proprio Epiſcopo Apoſtolica inſtitutione collocatur.*

Gesta Civitatis Dei Primo, & Altero Christi Saeculo duobus praeſertim generibus circumſcribuntur: quorum primum ſpectat ad funda-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

dationem Ecclesiae, alterum vero referatur ad ejusdem amplificationem, & elevationem supra vani nominis scientiam, ejusque tumidos Sectatores. Aetas enim ista ducentorum annorum complectitur subjectas CHRISTO Provincias (*Tertul. adversus Judaeos*) usque ad Britannos, & Indos, diffusamque Catholicam Fidem (*Vellejus Paterculus lib.* 2.) *in tractus Orientis, & Occidentis; & quidquid Meridiano, aut Septemtrione finitur*, multo augustiori progressu, ac laude, quam Vellejus tribueret paci, virtutique Romanae. Rursus hoc geminum Saeculum explicat Apostolorum, & Apostolicorum Virorum clarissima Scripta, quae DEI sapientiam a CHRISTO, ejusque Discipulis mutata, ita elevatam ostendunt supra Academicorum platanos, ac porticus Zenonis, & Peripateticorum Lycaea supereminentem scientiam CHRISTI, ut in obsequium Fidei altissima quaeque ingenia aequa docilitate componerent; iu-

per-

perbam verò arrogantiam adversantium Philosophorum, etiam nolentem & contranitentem, deprimerent. Haec duo nimirum genera actorum respiciebat S. Leo Magnus (*in Sermone I. Apost. Petri, & Pauli*), cum affimaret, *Beatissimum Petrum Principem Apostolici Ordinis ad arcem Romani Imperii Divinae Providentiae consilio idcirco destinatum; ut lux veritatis, quae in omnium Gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso Capite per totum Mundi corpus effunderet*, quod pertinet ad Cathedrae fundationem, & amplificationem Ecclesiae: & praeterea subderet, *heic fuisse conculcandas Philosophiae opiniones, & dissolvendas terrenae sapientiae vanitates*, quod refertur ad elevationem Christianae Sapientiae supra vani nominis scientiam, ejusque tumidos Sectatores.

Duplicem igitur Classem divisimus monimentorum in nostro MUSEO CHRISTIANO, ab optimo & insigni Chalcographo

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

pho *Antonio Josepho Barbatia* in Tabulis aeneis insculpto, quae utrunque illud genus actorum indicent, simul & comprobent; atque subjiciant oculis tum Romae ex EthnicaSacrae antiquiora vestigia, ac numerum Provinciarum, & Regionum jam CHRISTO subjectarum; tum elevatum Verbi DEI Magisterium supra Aegyptiam, Graecam, ac Barbaram Philosophiam. Primum vero locum huic secundae Classi duximus tribuendum, post Canonem Divinarum Scripturarum ab Ecclesia receptum ante & post CHRISTUM natum, ut ordinata ratio temporis etiam in Tabularum partitione constaret. Videtur enim amplificatio nostrae Fidei usque ad Britannos, & Indos, paulo ante a nobis indicata cum Tertulliano, & Eusebio, aliquanto posterior dicenda, quam ejusdem Fidei elevatio supra inanem sapientiam filiorum hominum: cum Legationes ab extremis illis terrarum tractibus, ad petendos, & impe-

Digitized by Google

petrandos a Sede Romana, & Alexandrina Euangelii Praecones, hinc quidem Lucium, inde vero Pantenum, contigerint circa Imperium *Commodi*, aut *Severi*, nempe Secundo Christi Saeculo ad finem vergente; econtra vero Apologiae pro Christiana Philosophia, & Paraeneses contra Gentium errores, conscriptae atque oblatae jam essent a Quadrato, a Justino, ab Apollonio, a Rodione, aliisque Patribus, dum rerum potirenrur *Hadrianus*, *Pius*, *Marcus Antoninus*, & *Lucius Verus*, intra quinquagenos propemodum annos, qui Imperium *Commodi* praecesserunt.

Classis igitur illa monimentorum, hoc genere Philosophico locupletata, & promotis Ecclesiae finibus designandis idonea, Tabulae tertiae Secundi Saeculi reservetur. Secunda vero Tabula ejusdem Saeculi fere tota impendatur in exhibendo priori genere Cimeliorum, quae totidem titulos praeferunt

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

ferunt Fidei noſtrae triumpho, quot Sectas Philoſophorum oſtendunt, quot Haereſes inde exortas, quot Poetarum figmenta, quot Sophiſtarum errores, quot praeſtigias denique impoſtorum, indicant, ſuorum Auctorum cum Simulacris, heic expoſitis, & marmori antiquitus conſignatis, non tam ad celebrandam eorum memoriam (quod Ethnici contendebant, dum haec inſculperent), quam ad afferendas noſtrorum Patrum victorias, ex praelatione ſpoliorum, quae, ad rei geſtae fidem uberius adſtruendam, providentiae ſuperioris conſilio, nobis ac Poſteris praeſervabantur.

Quare, principem locum ac veluti frontem Secundi Saeculi, nempe Tabulam Primam inſcribendam tribuimus eloquentiſſimo ſtylo Leonis Magni, ejuſque ſententiae paulo ſuperius laudatae; ut argumentum *Demonſtrationis Hiſtoriae &c* ejuſdem Saeculi, ac veluti Epigraphem dedicationis ejus, prae-

praescriberet idem Sanctissimus & Doctissimus Pontifex, qui superioris quoque Saeculi gestis, ac marmoribus eorundem indicibus primam comodaverat Inscriptionem. Quemadmodum enim felici auspicio verborum ejus ostendimus, ex vetustis marmoribus primitivorum Martyrum comprobari Victorias Fidei Christianae, ab Apostolorum Principibus Petro, & Paulo huc praesertim illatae, cum praevi-derent, quod HIC CONFVTANDI ERANT DAEMONVM CVLTVS, HIC OMNIVM SACRILEGIORVM IMPIETAS DESTRVENDA, VBI DILIGENTISSIMA SVPERSTITIONE HABEBATVR COLLECTVM, QVIDQVID VSQVAM FVERAT VANIS ERRORIBVS INSTITVTVM; ita aequm duximus & in Secundi Saeculi Historica Demonstratione eundem Pontificem subsequi, in verba quodammodo praeeuntem tum nobis, tum monimentis nostri Musei Christiani, ipsamet gesta testantibus, dum ibi prosequitur indicare caelestem Sapien-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

tiam, a Petro, & Paulo in Urbe diffeminatam, *ut efficacius se ab ipso Capite per totum Mundi corpus effunderet: neve unquam Gentes ignorarent, quod Roma didicisset.* HIC enim, inquit, CONCVLCANDAE PHILOSOPHIAE OPINIONES, HIC DISSOLVENDAE ERANT TERRENAE SAPIENTIAE VANITATES. Haec gemina Leonis dicta, pluteis Monumentorum superne imposita, praefigenda esse duximus fronti prioris Tabulae duorum Saeculorum, quae nunc damus, ut per ea paucis complecteremur veluti Summam, & potiorem partem Historiae; juxta quam sumus exposituri disjectas opiniones falsi nominis scientiae, (quas Romae, & in Regiones illius Imperio subjectas intulerat Sophistarum, Poetarum, & Sectariorum colluvies, huc derivata a coenosis & palustribus rivulis Aegyptiae, Graecae, Assyriae, & Barbarae non tam Philosophiae, quam Philodoxiae, ut merito appellat S. Augustinus contra *Academicos*), earumque

que opinionum subversa fundamenta, a legitimis haeredibus ac Successoribus Cathedrae universalis Ecclesiae in Urbe a Petro constitutae, necnon ab Episcopis, ceteras Apostolicas Sedes obtinentibus, easque potissimum, quas Petri auctoritas haberi voluit praecipuas in Dioecesibus Romani Orbis; aut ejusdem praesentia, inspectio, & praecepta, in Fide solidaverunt. Etenim tum per Episcopos Successores ipsius Principis Apostolorum in Urbe ac Primates totius Ecclesiae Catholicae, tum per Antistites illarum Sedium, quae subinde Patriarchales sunt appellatae, tum per Metropolitas, & Consacerdotes, ac fratres a Petro confirmatos, necnon per Doctores prope easdem Cathedras in Scholis Catecheseon constitutos juxta exempla Marci Petri Discipuli, perspicuum fiet, detectas fuisse humanarum ineptiarum fallacias, destructa consilia temere affirmantis, aut negantis Philosophiae, solo denique aequa-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

aequatam fuiſſe omnem altitudinem ac tumorem ſuperbae cogitationis, ſeſe extollentem adverſus ſcientiam DEI. Verum haec diſtinctius intelligentur ex iis, quae dicenda erunt ſingillatim in Hiſtoria de uniuſcujuſque Sectae, earumque Auctorum, aut propugnatorum maxime illuſtrium confutatione: heic enim tantum exponimus brevi compendio conſpectum Primi, & Sedi Saeculi, necnon Philoſophos Imperatores humano more opinantes, & in caligine otioſarum atque interminabilium quaeſtionum temere viam tentantes, ac nunquam pertingentes ad veritatem; ut Demonſtratione Hiſtorica tandem inclareſcat, Divini Verbi Praeconum luculentis inſtitutionibus, & ſolida oſtenſione virtutis, ad veram Sapientiam feliciter manuductos fuiſſe Populos, ab Indis, ad toto diviſos Orbe Britannos.

Cum autem veritas ac Prophetia errorem anteverterit caeleſti quadam pro-

providentia, qua illi praeservare placuit *Gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam* (*ad Eph. V. v.* 27.), idcirco videtur congruum narrare primum praesidia, contra subsecuturos Veritatis hostes divinitus praeparata ab Apostolis, ut subinde producantur errata Philosophorum, pariter atque Haereticorum, ac victoriae de his feliciter reportatae.

Uterque Apostolus Orbi universo concessus Doctor, ex Civitate omnium Domina opportune monuerat (ut suadet etiam S. Hilarius *lib. primo de Trinitate, cap.* 2.), cavendum esse Fidelibus Christi sapientia imbutis, *ne in aliquo saecularis prudentiae tardarentur errore.* Nam & Paulus Romae in vinculis constitutus edixerat Colossensibus (*ad Coloss. II.* 8.), *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi.* Petrus vero omnium Pastor, tabernaculo corporis de-

LIBER HISTORICUS.

deponendo jam proximus, & Tulliano carceri incluſus, in ſecunda Epiſtola univerſis Fidelibus praedixerat, (2. *Petri II. verſibus* 1. 10. *&* 17.) fore, ut inter eos eſſent *Magiſtri mendaces, qui introducent Sectas perditionis:* quos etiam ita deſcribit: *audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes &c.* & paulo poſt, *fontes ſine aqua, & nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Superba enim veritatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriae eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur: libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis.* Horum igitur tendiculas ut caute declinaremus, ſive Philoſophico tantum pallio eas contegerent, (quemadmodum Sectae illae, quae in Urbe, ac Provinciis Imperii prae ceteris tunc vigebant, Academica ſcilicet, Stoica, & Epicurea), ſive etiam Chriſtianae profeſſionis integumento eas velarent, (quod ſta-

ſtatim ab Apoſtolorum exceſſu, nempe altero CHRISTI Saeculo, complures Haeretici facturi erant, Gnoſtici praeſertim, qui ab Epiphane Platonico; Marcionitae, atque Hermogeniani, qui ab hujuſce nominis Auctoribus Stoicae Sectae ſtudioſis originem traxere; aliique complures, qui ex commixtis atque a ſe depravatis dogmatibus tum Chriſtianae, tum Ethnicae inſtitutionis, novarum opinionum monſtra procudere ſunt edocti), contra hos omnes mendaces magiſtros Eccleſiam inſtituens Princeps Apoſtolorum, 2. *Petri* 3. 16. (una cum Collega Paulo, cujus Epiſtolas per indoctos & inſtabiles depravari ibidem conqueritur, nempe *cap. primo verſ.* 12. *&* 13., quemadmodum & reliquas Scripturas) non modo *juſtum* arbitratur, *quandiu* inter homines agit, *ſuſcitare eos in commonitione*, & quidem ſcientes & confirmatos in praeſenti veritate; verum (*verſ.* 15.) & daturum *ſe operam* pollicetur, eos *frequen-*

LIBER HISTORICUS.

quenter habendi *post obitum* ſuum, *ut horum memoriam*, faciant. Quod praeſtitiſſe & praeſtare cumulate videmus per Succeſſores. Nam, ut obſervant Eccleſiae Patres, eorundem voce adhuc repetit Petrus (*ibid. cap.* 3. *verſ.* 17.): *Vos igitur, Fratres, praeſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate*. Quidquid igitur Leo Magnus ſentiebat de permanente veritatis diſpoſitione, *qua Beatus Petrus in accepta fortitudine perſeverans, ſuſcepta Eccleſiae Gubernacula non reliquit*, referendum eſt tum ad caeleſtis Doctrinae vim inconcuſſam, adverſus quam portae Inferi non praevalebunt, tum etiam ad ejuſdem doctrinae praeſidia, Apoſtolico monitu ac inſtituto per manus tradita, & ſucceſſorum moribus cuſtodita, quae mox enumerabo. Idcirco enim adſcribebat Auctori primo hujus diſciplinae, *quidquid*, inquit, *a nobis recte agitur, rectèque diſcernitur, quippe qui nunc plenius & potentius ea, quae*

Digitized by Google

quae sibi commissa sunt, peragit: & omnes partes officiorum atque curarum in ipso, & cum ipso, per quem est glorificatus, exequitur &c. in quo & omnium Pastorum sollicitudo cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat. Eadem praesidia indicat Sermone III. ubi observat, *cunctis Ecclesiae Rectoribus Petri formam praeponi, in quo omnium fortitudo munitur*. Et profecto, si Petri institutio ac disciplina fuit Ecclesiae Rectoribus necessaria in illa gratiae administratione, quam Divini consilii ratio designavit, cum eundem constituebat sequestrem clavium Regni Caelestis, & fratrum suorum confirmationi addicebat; certe Saeculo CHRISTI II. (cujus etiam Historicam Demonstrat. heic prosequimur) fuit inprimis expetenda, & procuranda diligentius. Superiori enim aetate, dum adhuc supererat aliquis ex Apostolico coetu, potissimum vero Joannes, usque ad *Trajanum* Principem perseverans (*S. Hieronymus de Script. Ec-*

cleſiaſticis), viſae ſunt Haereſes, & adverſantium Ethnicorum ingenia ſive minus audere, ſive infelicius efferri contra Euangelicam veritatem. Filius enim tonitrui, qui fluenta Euangelii de Dominici pectoris fonte potaverat, necnon ejuſdem Collegae (quorum linguis ita Mundum concuſſerat Divini SPIRITUS vehementia, ut in fines Orbis Terrae verbum DEI perferrent), ineluctabili demonſtratione veritatis, & gratiae quas non disjicerent machinas, ab humanis, aut infernis Poteſtatibus excitatas? Quis vero auderet aut Gentium, aut Haereticorum Philoſophus muſſitare contra Joannem, ad hujuſmodi exordia paratum? *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud* DEUM, *&* DEUS *erat Verbum*: &, *quod fuit ab initio, quod vidimus, & manus noſtrae contrectaverunt de Verbo vitae, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur*. Aut quis Petro refragari contenderet, inter ar-

Digitized by Google

arcana Divinitatis admisso, ut omnibus testaretur, *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis* DOMINI *nostri* JESU CHRISTI *virtutem, & praesentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis?* Contra ejusmodi testium experimenta, ne Daemonum quidem temeritas integrum sibi esse confidit (non secus ac Sanctissimus Ap. Judas referat illi contigisse (*Judae 9*) adversus Archangelum) *judicium inferre blasphemiae*. At, cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, ut scite advertit Augustinus, *venit Diabolus, & superseminavit zizaniam, hoc est eos, quos malos filios* DOMINUS *interpretatur, Haereticorum scilicet dogmatum damnatos Auctores,* DEI *nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, ac* DOMINUM *nostrum* JESUM CHRISTUM *negantes &c. illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus* juxta Apostolicas praedictiones. S. Augustino talia narranti facem prae-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

praetulit Euſebius; huic vero Hegeſippus Scriptor Secundi Saeculi. Propterea obſervant antiqui & recentiores Hiſtorici, *Euſeb. lib. 3. cap. 32. Hiſt. Eccl. & Baron. ad ann.* 109., Eccleſiam ejus temporibus *Virginem* fuiſſe appellatam ab eodem Hegeſippo: licet enim Baſilides, Saturninus, & Carpocras jam ante coepiſſent *ſincerae Fidei integritatem errorum labe conſpergere*, ut ait Breviator noſtri Venerabilis Cardinalis Baronii Spondanus (*Epit. ad ann.* 120. *num.* 4.); *tamen quoad vixerunt* (vide Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 26) *Apoſtoli, vel Diſcipuli* DOMINI, *qui* Trajani *temporibus eſſe penitus deſiere, haud tam procaciter, ut poſtea fecerunt in Eccleſiam graſſantes, irrumpere conati ſunt*: quamobrem & *ſub* Hadriani *Imperio haereſes coepiſſe*, *Clemens Alexandrinus ſcribit* Strom. lib. 7.; *& antecedentium temporum Eccleſiam antonomaſtice dictam eſſe* Virginem, *Hegeſippus* (apud eundem Euſeb. Hiſt. Eccl.

Digitized by Google

Eccl. lib. 4. cap. 32.) *reſtatur*.

Quanto autem damno Dominicae ſegetis peſtiferum hoc lolium ſuccreverit poſt obitum Apoſtolorum, diſerte tradit Euſebius lib. 4. cap. 7. ubi etiam memorat, quantam inde anſam perceperint contra nos declamandi Ethnicorum Sophiſtae, ac reliqui hoſtes Eccleſiae DEI; cum ejuſmodi farinae homines, Chriſtiani nominis communione, ſeu potius larva quadam & uſurpatione contectos, nobis, ac Gentibus illudentes, confunderent atque commiſcerent, per ſummum dedecus & injuriam, cum noſtrae profeſſionis conſortibus. Praeſtat id enunciare ipſis Euſebii verbis, ne quid Hiſtoriae videamur adjicere, aut immutare: *Eccleſiis*, inquit, (lib. 4. cap. 7. pag. 119.) *jam per univerſum Orbem inſtar clariſſimorum ſyderum fulgentibus, & vigente per omnes Nationes fide in* DOMINUM *ac* SERVATOREM *noſtrum* JESUM CHRISTUM, *malignus ille Daemon, ut-*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

utpote veritatis inimicus, & humanae salutis hostis semper infestissimus, omnes machinas adversus Ecclesiam movens, prius quidem externis eam persecutionibus oppugnaverat; tum vero hac via ipsi praecluſa, improbis quibusdam ac maleficis hominibus, tanquam instrumentis & ministris utens ad exitium ac perniciem animarum, comparatis, alias belli artes tentavit; nihil non comminiscens, ut praestigiatores, ac subdoli homines, Religionis nostrae vocabulum sibi assumentes, tum eos ex fidelibus, quos forte deceperant, in profundum exitii gurgitem abducerent, tum Fidei nostrae ignaros vitae ipsorum exemplo deterritos ab via, quae ad salutare DEI *Verbum ducit, procul averterent. Igitur ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse supra retulimus, exorta venenata quaedam bestia bilinguis ac biceps, duarum haereseon inter se discrepantium duces constituit, Saturninum, domo Antiochenum, & Basilidem Alexandrinum. Quorum ille quidem in Sy-*

Syria, hic vero apud Aegyptum impiae doctrinae scholas condidit. Tum, pluribus interjectis, ita prosequitur (*eodem cap. VII. pag.* 120.): *sed & Carpocratem quendam iisdem vixisse temporibus scribit Irenaeus, alterius Sectae, quae Gnosticorum dicitur, conditorem*. Hunc patria fuisse Alexandrinum (ut id quoque non otiose adnotemus), ex ejusdem gentili Scriptore Clemente in Stromatibus lib. 3. noster Ven. Card. Baronius scite observavit ad annum Christi cxx. Denique his accensendus est Marcion, ille primogenitus Diaboli a Beato Polycarpo appellatus (*vide S. Hieronymum de Script. Eccl. in Polycarpo, & Tertull. de Praescript. cap.* 30.), qui ex Pontico nauclero Stoicae Sectae Philosophus, subinde Christianus, demum Haeresiarcha, ab extremo & inhospito littore Euxini Maris, in Urbis frequentiam transferre sua portenta conatus est; quemadmodum & praeceptor ejus Cerdo (*vide Iren. cont. Haereses*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

lib. primo , cap. 28) Romam profectus ſub Hygino ; ne qua Sedium Patriarchalium foret immunis ab internis tumultibus hoſtium domeſticorum : quoniam externis armis Romanorum Principum , & Provincialium perſecutorum, Chriſtiana Fides vinci, proſternique non poterat .

His igitur miniſtris uſus (inquit Euſebius *Hiſt. Eccl. cap.7. pag.*120.) *malignus ille Daemon , primum effecit , ut ex fidelibus quicumque ab illis decepti eſſent , ad miſerabile exitium tanquam captivi adducerentur . Deinde Gentibus a Fide noſtra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Euangelii materiam ſubminiſtravit : dum ab illis primum orta infamia , ad totius Chriſtiani nominis obbrobrium diffunderetur. Atque hinc factum eſt , ut abſurda quaedam & impia de nobis opinio apud Infideles tunc temporis ſpargeretur .* Haec autem ipſa ducentis ferme annis ante Euſebium ſcripſerat Juſtinus Martyr in Secunda Apo-

Apologia pro Christianis, pag. 100. n. 12. cum aliam quoque criminationem, recte Simonianis objectam, Catholicis vero impudenter affictam, ita diluere: *Pravorum quidem Daemonum impulsu jam nefarii quidam homines hoc facinus edidere. Cum enim nonnullos occiderent ob afficta illa nobis crimina, rapuerunt etiam ad tormenta nostrorum servos, partim pueros, partim mulierculas; ac horrendis cruciatibus fabulosa illa facinora, quae palam & aperte ipsi perpetrant, proferre coegerunt.* Verum de his alias, cum de cruentis Persecutionibus agendum erit.

Sistendum nunc est in acrioribus illis a stylo Scriptorum profectis, & animos hominum ac veritatem Christianae Religionis impetentibus adverso ictu, & collatis signis falsarum opinionum; quas tum Ethnici, tum Haeretici petere consueverunt ex armamentariis Saecularium Literarum, (*Philost. in Vita Apoll. lib. 4. cap. 12.*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Dio, & alii a Baron. relati ad annum CHRISTI 85.), praesertim vero ex Aegyptiis, Graecisque officinis degeneris illius Philosophiae, postliminio reducis etiam in Urbem, post antiquatas *Neronis* leges, ac *Domitiani* de expellendis inde Philosophis. Habuit Christiana Religio sub placidis Imperatoribus Secundi Saeculi *Antoninorum* hunc immanissimum hostem, ad insultandum propugnatoribus Catholicae veritatis immissum tam e Castris Gentium, quam Haereticorum: superbum scilicet eum Gigantem, quem Fides Orthodoxorum Patrum aggressa in nomine DOMINI, electis de torrente lapidibus, funda primum Davidica in fronte percussit, & solo aequatum suomet gladio deinde interemit. Gladium ejus appensum in Templo DOMINI, contra secundos hostes e medio Israele natos, aliquando etiam coronatos, (ut videbimus in *Juliano Caesare* desertore) opportune ministravit Apologistis, ut ipsum

ipſum verterent in defenſam. Verum ordo utriuſque rei geſtae tum apud Judaeos, tum apud Chriſtianos requirit, ut prius producamus ex humili familia Iſai puerum parvulum, qui paſcit oves, ejuſque myſticam unctionem, Sacerdotis & Prophetae manu adminiſtratam, ac ſpiritus directione completam; ut ſubinde proferamus adverſus innoxium hunc Paſtorem, citharae ſonitu fugantem Daemonas, hinc quidem immanem Philiſthaeum quinque millibus aeris loricatum, inde autem invidum Saulem inſonti medico ferales ictus conantem infligere, & Genero triumphali vitae diſcrimen inferre. Pertinet inquam ad ſeriem Hiſtoriae prius explicare, quonam modo Petri Apoſtoli providentia & auctoritate, ut olim Samuelis Prophetae, Judicis, ac Sacerdotis oleo ac ſpiritu perfuſus atque confirmatus Bethleemiticus ille Paſtor, ita hic inſtructus Athleta Fidei ad ſingulare certamen deſcenderit cum do-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

doctissimis quibusque Philosophorum, & cum Haereseon Auctoribus, aut patronis. Intelligi autem id poterit, si enumerentur singillatim praesidia Sacrae Doctrinae, ab eodem Apostolorum Principe constituta tum Romae, tum in reliquis Sedibus, secundùm hanc, dignitate, & potestate praestantibus, Alexandrina scilicet, atque Antiochena: unde normam acceperunt docendi, ac disputandi Religionis nostrae, Apologistae clarissimi, in his praesertim Sedibus eruditi.

Primum igitur genus praesidiorum, quibus Catholicam doctrinam tutati sunt Patres Primi & Secundi Saeculi iis in Ecclesiis, quarum fungebantur Episcopatu, versabatur in Presbyterii, & Cleri delectu, eorumque Doctorum, quibus cura Catecheseos exponendae concrederetur. Nam Divini Praeceptoris nostri methodum, & exempla imitari caelitus jussi, cum exordia Praedicationis suae auspicatum illum

Digitized by Google

lum noviſſent a vocatione Diſcipulorum, nihil antiquius habere poterant, quam delectum idonei Cleri, atque adjutorum Apoſtolici miniſterii. Quocirca legimus etiam in Actis Apoſtolorum, eorundem Senatus Principem adeo ſollicite huic muneri incubuiſſe, ut, recepto in Caelum Dominо, & conſidente atque orante juxta ejuſdem mandata Fidelium coetu, hoc primum univerſis edixerit, ſupplendum eſſe numerum ordinis, a Juda Proditore imminuti; ac deligendum teſtem idoneum *Reſurrectionis Dominicae* virum, iis moribus, ac doctrina praeditum, ut ex his haberetur, qui ſuffragio maturae vocationis, & conſtantia non intermiſſi, praerogativam Dignitatis ab ipſo Magiſtro tulerant: *Ex his*, inquit, (Act. primo verſ. 21.) *viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos* Dominus Jesus. Non ſecus ac Hieroſolymis inſtituerant, praecepiſſe legi-

LIBER HISTORICUS.

legimus Petrum ceteris in Ecclesiis, in quibus Cathedras insigniores fundavit, in Romana, inquam, Alexandrina, & Antiochena. Cum enim Prophetico spiritu, quo pollebat, praevidisset illa discrimina, quae in Epistola sua praedixit Fidelibus instare a seductoribus, & mendacibus Magistris, eadem usus providentia, qua DOMINUS noster, praeter Apostolos, designaverat Discipulos sal terrae, & quam Hierosolymis ipse exercuerat cum collegis, non modo in delectu Matthiae, sed etiam in Diaconorum institutione, Presbyterii Coetum sanctissimum, & Clericorum in Ecclesiis parari jussit, qui, inter praecipua sui ordinis ministeria, docendi munere fungerentur: atque ita possent Fidelium animos communire adversus fallacias inanis Philosophiae, & nostrae Fidei tum dogmata subsignare etiam sanguine, tum voce & scriptis asserere, ejusque vindicias assumere contra Ethnicorum calumnias.

Id

Id autem insedisse animo etiam reliquorum Apostolorum, ut in Ecclesiis, quas fundabant, prima sua consilia, converterent ad Cleri electionem, abunde quoque perspicitur ex ordine Canonum, quos vocant Apostolicos: sive enim a Sanctissimo illo Coetu ita fuerint ab initio oretenus traditi (saltem priores quinquaginta), sive a Beato Clemente Petri Discipulo ac Successore in literas redacti, sive Saeculo ab Apostolis proximo (neque enim serius differri potest illorum editio, cum a Tertulliano *adv. Prax.* indicetur), constat exordium ipsorum duci ab Episcopi ordinatione, Presbyterorum, & Clericorum. Neque aliam certe methodum ostendit Paulus, ad Titum perscribens de officio Episcopi (*capite primo*), ubi, enunciata salutatione, statim aggreditur illum docere de Presbyteris constituendis per Civitates, eorumque inspiciendis moribus; quos etiam in prima ad Timotheum Epist. (I. vers. 3.) ita

 di-

diligenter enumerat, ut consequenter descendat ad Diaconi probationem. Quod & aliis Apostolis placuisse, nemini dubitandum est: quippe quos constat, in utraque electione Matthiae, & Diaconorum, eadem cum Petro sensisse.

Ut igitur ad Petri curam ac studium revertamur in decernendo priori hoc genere praesidiorum Sacrae Doctrinae, (quod statuebat in Presbyterii, & Cleri designatione), ad eandem Populo administrandam; dum Sanctae Romanae Ecclesiae fundamenta jaceret sapiens ille Architectus, aliquot e fidelium numero elegit, prae ceteris aptos ad proficiendum in Divinis literis, ut eos ex auditoribus redderet Sacerdotalis ministerii consortes, & adjutores. Ita certe memorant Historici, & Patres ab eo selectos fuisse Linum, Clementem, & Cletum in Urbe; quos in Cathedra proximos habuit Successores. Quin etiam tradunt, Apostolorum Principem, Clementis adhuc Diaconi mi-

miniſterio uſum in ea caeleſti Doctrina literis conſignanda, quae prima ejuſdem Petri Epiſtola continetur. Apoſtolicum utique ſtylum exercuiſſe Clementem ipſum in ejuſmodi literis perſcribendis, exemplo ſui Praeceptoris, fatendum eſt, rei evidentiam teſtante Epiſtola ab ipſo data ad Corinthios, quam Irenaeus, aliique Patres meritis laudibus extulerunt. Verum de Clementis Operibus tractandi locum ſelegimus in Hiſtoria, ubi de Chriſtianis Doctoribus illius aetatis ſermo inſtituetur: quandoquidem hoc loco idcirco exhibuimus Clementem, ut ex ejus delectu conſtaret de Petri Apoſtoli diſciplina in Cleri deſignatione, tanquam praeſidio potiſſimo Catholicae Veritatis in Eccleſiae Romanae omnium Matris ac Magiſtrae jaciendis fundamentis, derivato quidem a Dominicis exemplis CHRISTI DOMINI, perducto autem per Apoſtolum, ejuſque Succeſſores ad illam praxim, quam in hac

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

ipsa Sede omnium Principe adhuc fervari conspicimus. Ejus autem rei adeo constans ac perennis memoria viget in Urbe, ut non modo in membranis ac phyliris Libri Pontificalis, & Veterum Patrum scripta legatur, verum & in parietibus Titulorum Urbis opere vermiculato depicta pateat oculis intuentium, ex quo ferme licuit Aedes Sacras DEO constituere. Clementem praeceteris eruditum a Principe Apostolorum, dum officio Presbyteri in Ecclesia Romana fungeretur, exhibet Arcus Tituli, ejusdem Pontificis & Martyris nomine decorati; ubi Musivum pervetustum ostendit illum Petro assidentem, non secus ac in subjecto Presbyterio cum Episcopo considunt Sacerdotes. Petrus autem (quem adjectum figurae nomen AGIOS PETRUS declarat), extenta manu indicans CHRISTUM DOMINUM in editissima tholi parte conspicuum, ita Clementem alloquitur: RESPICE PROMISSVM CLEMENS A ME TIBI CHRISTUM. Sol-

Sollicitus autem fuit Princeps Apostolici Ordinis in Cleri Urbani delectu, ut non modo definiret mores ac studia illorum, qui essent in Presbyteros, ac Diaconos, verbique Administros cooptandi; verum & certum Collegii numerum constitueret, a Romanae Ecclesiae Pastoribus subinde custoditum. Ex quo enim Cletus, alter e Petri Discipulis prae ceteris eruditus, & in Sede Successor a Clementem proximus, ejusdem Petri mandato Collegium quinque ac viginti Presbyterorum in Urbe statuit, quos posteri appellant Cardinales, hunc ipsum numerum religiose servandum Apostolici Praesules censuerunt, totidem Titulis attributis ad exercendam procurationem illorum praecipue Sacramentorum, quae peculiaris doctrinae rationem tam in administrante, quam in suscipiente requirunt; Baptismi inquam adultorum, cui Catechesis, & Scrutinium praemittitur; & Poenitentiae, ubi

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

ubi judicia in Caelis rata exercentur. Hunc vero numerum Presbyterorum, Petri mandato inductum a Cleto, restitutum ab Evaristo, Dionysio, & Marcello Romanis Pontificibus, cum Beatus Silvester, sive illius proximi Successores trium additamento augendum censuissent, ut septenariae ministrationis ratio constaret, obeunda per singulas hebdomadae Ferias a totidem Cardinalibus in quatuor Basilicis Patriarchalibus, eaque disciplina constitisset in numero Titulorum usque ad Saeculum CHRISTI decimum sextum, Sanctus Pius Quintus in Urbanis Baptismi Fontibus renovavit; ingeminavit autem in Titulis, & Presbyteris Cardinalibus Sixtus Quintus, edita Constitutione, a qua nemo succedentium Pontificum adhuc recessit. Sicut igitur certum Cleri numerum CHRISTUS DOMINUS designaverat, Collegii quidem Apostolici duodenarium, Discipulorum vero sexies ampliorem, ut sci-

ſcilicet Verbum Dei ita ſe proderet Eccleſiae ſuae Auctorem, quemadmodum Orbis univerſi ſe Conditorem aſſeruerat, omnia conſtituens in pondere, numero, ac menſura (non ſecus atque architectum profeſſus fuerat Veteris Tabernaculi Templi ac Miniſtrorum ejus, quin etiam Cenſorem, & Principem Populi a ſe delecti, duodecim Tribubus inſtitutis per Moyſemac, duplicato numero vicium Sacerdotalium per Davidem diſtributo); ita placuit etiam Sacerdotibus Maximis recentis Foederis, quibus ille vices ſuas demandaverat, a Petro ad noſtram aetatem Romani Presbyterii Collegas & Fratres adſciſcere, eorumque Titulos, ac miniſteria partiri, ſervato alicubi numero primaevae deſignationis, alicubi autem ingeminato. Apparet ea ratio partitionis etiam ex numero hebdomadum Romani ritus, qui retinetur in Anni circulo poſt Pentecoſten ex veteri inſtitutione. Poſtrema enim hebdomas quotannis

LIBER HISTORICUS.

nis dicitur XXIIII: cui si praefigatur illa omnium princeps, quae Novae Legis editionem ostendit in Divini Spiritus emissione, illico apparet aptus commensus XXV. Presbyterorum Romani Cleri cum totidem vicibus Sacerdotalibus per singulos dies Dominicos instaurandis illa anni parte, quae Christianae Ecclesiae tempus figurat: donec Adventus Dominici recursus, aetates Mundi referat eidem praemissas. De alia vero partitione hujusmet Cleri Romani per septenaria Presbyterorum Titularium in quatuor Basilicis Patriarcalibus, quae obtinuit a quarto ad sextumdecimum Ecclesiae Saeculum, & in Diaconis Cardinalibus nunquam fuit intermissa, imo nec in Episcopis Cardinalibus Domno Apostolico in Urbe assidentibus, qui cum ipso septenarium constituunt, in utriusque Instrumenti tabulis universitatis figura commendatum, alibi a nobis expendetur, ubi sermo fiet de Primatu Sanctae hujus

jus Eccleſiae. Satis heic erit innuere, in praecipuis & antiquiſſimis arcubus Baſilicarum, ac Titulorum, nihil depictum frequentius occurrere opere teſſellato, quam utrumque numerum ſeptenarii, ac duplicis duodenarii, ad quos refertur myſtica ratio, & ſumma Cleri Romano Pontifici proxime inſervientis ex Apoſtolica Inſtitutione. Hac enim ratione vel ſeptem Candelabra, vel Seniores quatuor ac viginti depictos retinent antiqua Muſiva, nempe Baſilicae Oſtienſis S. Pauli ſub Leone Magno a Galla Placidia ſic adornatae, ac Titulorum S. Mariae Tranſtyberim, S. Praxedis, & S. Caeciliae, SS. Coſmae ac Damiani, hiſque ſimilium; ubi alter utrum, vel utrumque ſymbolum ſeptenarii, & duplicis duodenarii, ex totidem Candelabris, atque Senioribus Apocalypſeos B. Joannis, aſſumitur ad univerſitatem Cleri Chriſtiani in illa Eccleſiae parte exprimendam, in qua miniſtrant vocati in ſortem

LIBER HISTORICUS.

DOMINI. Adduntur etiam ut plurimum quatuor Euangeliſtae, nonnunquam & Prophetae; ut facilius intelligant univerſi, ad ſequeſtres Doctrinae CHRISTI hanc Aulae partem pertinere, in qua ſuae gratiae dona diſtribuens is, qui in altum aſcendit (*Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. verſ. 11.*), *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in aedificationem Corporis* CHRISTI: *ut jam non ſimus parvuli & fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput* CHRISTUS: *ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram uniuſcujuſque membri, argumentum corporis facit in aedificationem ſui in charitate.* Series autem haec

haec atque mensura ministerii, tum in Musivi symbolis, tum in Cleri ordinibus, ac numero per Apostolorum Principem designato, ex ipsis Sacrarum Aedium antiquis arcubus adhuc in Urbe conspicuis heic oportune reddetur; cum alter Apostolus socius praedicationis rationem ejus instituti visus jam sit luculenter exponere.

Compago igitur atque unitas sacrae Doctrinae, a Sapientissimo Capite Christo Domino per unctionem Divini Spiritus olim diffusae in Apostolos primum, Evangelistas, & Doctores, (hoc est primum in Principem Clerum Chr stianae universitatis), inde autem ad nos derivatae, praecipuum praesidium obtinet suae firmitatis in succedentis Cleri delectu, juxta regulas Apostolicae institutionis. Romana vero Ecclesia, hujus primi instituti aliarumque traditionum a Petro & Paulo acceptarum prae omnibus maxime tenax, utpote prae omnibus erudita, nunquam

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

omisit septenos Cleri ordines,& numerum mysticum in summa initiatorum per singulos retinere, atque ostendere, tum in libris Pontificalibus , tum in disciplina Sacramentorum , tum in ornamentis Presbyterio appositis per Titulos , & Basilicas , quarum superstites parietinae a nobis non semel productae , in Conciliis Generalibus, & Pontificum literis etiam indicatae , sunt testes locupletes traditionum .

Id unum addere liceat ad complementum Historiae hoc in Capite recensitae, ubi exponendum suscepimus primum Apostolicae Doctrinae praesidium in Presbyterii & Cleri delectu, ejusque partitione per Titulos;ipsas nempe domos fidelium , quae in Titulum dedicabantur , juxta numerum a Petro Apostolo definitum, *propter Baptismum, & Poenitentiam multorum , qui convertebantur ex Paganis* (quod expresse docet Liber Pontificalis in Vitis Cleti , Evaristi , Dionysii , & Marcelli) , habitas

Digitized by Google

bitas fuiſſe veluti Scholas Catecheſeos Chriſtianae, per Titulorum Presbyteros ibidem tradendae Catechumenis certis diebus, antequam regenerationis lavacro tingerentur. Accedebant autem omnes in Titulis eruditi ad praecipuum Doctorem Eccleſiae & Seniorum caput Epiſcopum, ut eorum, quae vocabantur Scrutinia, ſupremum ipſe celebraret: nempe ut percepta Fidei rudimenta reddi curaret ab initiandis ante Baptiſmum, eaque luculentius exponeret, etiam poſt ſignaculum CHRISTI ſuſceptum, antequam ſacro Chriſmate linirentur: quem ritum ab Apoſtolis traditum tuetur ita conſtanter Eccleſia Catholica, ejuſque univerſales Epiſcopi Pontifices Romani ſervant, ut, quod in Oecumenica Synodo Tridentina ſancitum fuerat, de certa aliqua tradenda Formula & ratione Chriſtiani Populi, ab ipſis, Fidei rudimentis inſtituendi, (quam in omnibus Eccleſiis illi ſequerentur, quibus legi-

Digitized by Google

gitimi Paſtoris & Doctoris munus oboeundum eſſet ; ut , quemadmodum unus eſt DOMINUS, una Fides, ita etiam una foret tradendae Fidei, ad omniaque pietatis officia populum Chriſtianum erudiendi, communis regula atque praeſcriptio), ut, inquam, hoc ipſum in Tridentina Synodo antea decretum, Sanctus Pius V. Romae praeſtari voluerit per delectos a ſe Theologos, & in Alma Urbe primum excudi : quemadmodum & Clemens VIII, & Succeſſores, ejuſdem Libri breviaria duo (arctius unum, prolixius alterum), a Cardinali Bellarmino illius Pontificis juſſu contexta, diverſis linguis edi Romae voluerunt ; & pia Collegia heic primum inſtitui, ad Catechiſmi ita contracti, atque ita exponendi procurationem : quae conſuetudo etiam in reliquas Orbis partes latius emanavit. Haec autem omnia ſi quis contulerit cum Rituali Romano Scrutiniorum, ex veteri Eccleſiae uſu reſtituto per Gre-

go-

gorium XIII. & Romae impresso ejusdem auctoritate anno 1584, necnon cum vetustissimis Codicibus Sacramentorum Leonis Magni, Gelasii, Gregorii, & Ordinis Romani, in quibus Tituli memorantur, ejusmodi Stationibus, atque Scrutiniis habendis assignati ab ipsis Ecclesiae incunabulis, videbit profecto quantum praesidii contulerit ad custodiam sacrae Doctrinae Petri Apostoli providentia in delectu Presbyterii, & Cleri Romani, ejusque gradibus, officiis, numero statuendo: cum singuli propemodum Tituli Sanctae hujus Ecclesiae, omnium Parentis ac Magistrae, totidem Scholae extiterint caelestis Philosophiae.

Alterum sacrae Doctrinae praesidium, Apostolica pariter consuetudine commendatum, in ejusdem Cleri convictu, atque exemplis Episcopi collocatur; ut ita individui propemodum comites istius haberentur tum Presbyteri in fratres adsciti, tum Diaconi e filiis adle-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

adlecti ad communem Ecclesiae Patrem sua procuratione levandum. Ex hac enim regula inferebatur, ut mores etiam tacentis Episcopi, fierent disciplina domesticorum; eo solidior, quo CHRISTI DOMINI methodum fidelibus exprimebat, qui potens opere, & sermone, assuevit prius facere, quam docere. Accedebat alterum hujus disciplinae consectarium commodum, ut scilicet Episcopus morum inspector diuturna & familiari consuetudine illorum, qui educabantur in eam spem ut evaderent aliquando Doctores, suismet oculis exploraret, an, juxta omnium aetatum & officiorum gradus, praxim virtutum ipsi exercerent, qui futuri erant Populo illarum magistri: praesertim, cum Apostolica monitio decerneret, ut nemini cito manus imponerentur. Alterum itaque Doctrinae praesidium fuit, ut qui in sortem DOMINI vocabantur, annos complures exigerent in convictu Episcopi, aut Presbyte-

ro-

rorum, & ab ineunte aetate, aut ab exordio conversionis ipsorum, comites individuos sese exhiberent. Antequam vero in nostra Historia, ad calcem universi hujus Operis evulganda, proferatur e Scriptis Veterum origo ejusmodi disciplinae, placeat ejusdem conspectu frui in Sacris Romanae Ecclesiae parietinis: quas eo lubentius adhibere solemus testes Apostolicarum institutionum, quo augustius auspicium sequimur Conciliorum, & Patrum, hoc probationum genere tuentium veritatem. Commendatur itaque convictus Clericorum in Aula Christi, hoc est in Aede Sacra, apud Antistitem, aut Sacerdotes ab ineunte aetate, in Presbytero Sanctae Sabinae Petro, sub Caelestino Pontifice initium Saeculi quinti ita illustrante, Musivi operis Epigrammate adhuc superstite in eodem Titulo,

Liber Historicus.

CVLMEN APOSTOLICVM CVM CAELESTINVS HABERET
PRIMVS ET IN TOTO FVLGERET EPISCOPVS ORBE

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

HAEC QVAE MIRARIS FVNDAVIT PRESBYTER VRBIS
ILLYRICA DE GENTE PETRVS VIR NOMINE TANTO
DIGNVS AB EXORTV CHRISTI NVTRITVS IN AVLA
PAVPERIBVS LOCVPLES SIBI PAVPER QVI BONA VITAE
PRAESENTIS FVGIENS MERVIT SPERARE FVTVRAM.

Antiquus hic Urbis Presbyter idcirco dignus nomine tanto, quod ab exortu esset CHRISTI nutritus in Aula, in eandem nos manuduxit, ut inspiceremus originem instituti adeo salutaris, & fructus uberrimos inde perceptos, ad firmamentum Doctrinae.

CAPUT TERTIUM.

De Canone Divinarum Scripturarum ab Ecclesia recepto ante & post CHRISTUM *natum.*

PER Canonem Scripturarum nihil aliud heic intelligimus, praeter Catalo-

Digitized by Google

talogum Librorum, quos Sacris Scriptoribus divinitus fuisse inspiratos credit Ecclesia. S. Aug. *in Ep.* 82. *alias* 19. *cap.* 1. *ad Hieronymum*, ait: *Ego* &c. *solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam*. Eodem modo loquitur *lib.* X. *de Civit.* Dei *cap.* 3. *&* *lib.* 19. *cap.* 18. *item lib.* 2. *de Baptis. cap.* 3. *lib.* 2. *contra Cresconium cap.* 31. *&* 32. *lib.* XI. *contra Faustum cap* 8. & alibi passim.

Canone Scripturae Sanctae intelligimus certum Sacrorum Librorum Catalogum ab Ecclesia receptum, inquit Ferrandus in Summa Biblica *lib.* 1. *cap. ult. p.* 325. Et S. Hieronymus loquens de Prologo Galeato (ubi Hebraeorum explicat Canonem), haec scribit in fine libri II. Apologiae adversus Rufinum: *In libris quoque Samuelis, & Malachim, quos nos Regnorum quatuor nominamus, post Catalogum Divinae Scripturae, haec*

Digitized by Google

intuli &c. Hinc vides, *Canonem Sacrorum Bibliorum* Veteris Testamenti, Hieronymum hoc loco appellasse *Catalogum Divinae Scripturae*. Et S. Augustin. *lib.* 18. *de Civitate* DEI *cap.* 41. loquens de admirabili concordia Scripturarum, *Auctores*, inquit, *nostri, in quibus non frustra Sacrarum Scripturarum figitur & terminatur Canon, absit, ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, eis* DEUM, *vel per eos loquutum &c.*

Eadem notione Canonem appellat Indicem vel Catalogum Divinorum Librorum, quem producit *de Doct. Christ. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 13; & libros eodem Catalogo inclusos vocat Canonicos *lib. XV. de Civitate* DEI *cap.* 23.

Pontificale Romanum de Consecratione Episcopi, interrogatione postrema, *Credis*, inquit, *etiam Novi, & Veteris Testamenti, Legis, & Prophetarum, & Apostolorum unum esse Auctorem* DEUM *ac* DOMINUM *Omnipotentem? R. Credo.*

Con-

Concil. Trid. Sess. 4. *Sacrorum vero Librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit (Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Synodus), ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti:*

Testamenti Veteris, quinque Moysi, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae Primus & Secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetae Minores, idest Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum primus & secundus.

Testamenti Novi, quatuor Euangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, & Jo-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

& Joannem; Actus Apostolorum, a Luca Euangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, (scilicet) *ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galathas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judae Apostoli una: & Apocalypsis Joannis Apostoli.*

Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, & traditiones praedictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

Licet Decretum Oecumenicae Synodi nullum apud Catholicos dubium modo relinquat de Sacrae Scripturae Libris, eorumque numero; attamen, ut Canonis Historiam ab origine repetamus, operae pretium erit heic indicare

re veterum Patrum, & Hiſtoricorum loca, unde Catalogum ſeu Canonem addiſcimus, in Hebraica & Chriſtiana Eccleſia per manus traditum, omnium Sacrorum Voluminum, ipſi divinitus conceſſorum.

In Eccleſia namque Catholica ipſius Canonis conſequutionem ab Apoſtolorum aevo ad Sacroſanctum uſque Concilium Tridentinum ſatis clare demonſtrant Divinorum Librorum Catalogi, quos per omnia retro elapſa Saecula Summi Pontifices, Concilia, Sancti Patres, Scriptoreſque Eccleſiaſtici texuerunt. Nos valde fortaſſe utilem atque locupletiſſimum Indicem Chronologicum ordinabimus eorundem Auctorum, in quorum Operibus cenſus Sacrarum Scripturarum legitur; ut verbi DEI ſcripti depoſitum, Chriſtianae Religioni concreditum, veneranda Traditio tueatur. Et ut ex Romanae Eccleſiae Scriniis primum documenta depromam, S. Clementis Papae Epiſto-

Digitized by Google

ſtolam primam ad Corinthios datam allegabo: quam tanto ſtudio ac veneratione proſequutus eſt Orbis Chriſtianus, ut pleraeque Eccleſiae eam non ſolum diebus Dominicis publice legere, ſed & Canonicam quandoque dicere conſueverint. Nec eſt quod miremur, inquit Franciſcus Blanchinus Patruus meus amantiſſimus Tom. II. Anaſt. Biblioth. de Vitis Rom. Pont. pag. 48. col. 2. in Notis Hiſtoricis ad eundem Sanctum Clementem I, Sect. 4. Tanta enim fuit (ſunt ejus verba) I. & II. Epiſt. exiſtimatio, ut inveniantur ambae deſcriptae proxime poſt Libros Canonicos in vetuſtiſſimo exemplari Alexandrino Sacrorum Bibliorum, quod Theclae vocant; cujus ſcriptura ad quartum CHRISTI Saeculum pertinet, ut oſtendit V. Cl. Laurentius Zaccagnius, conſentientibus Eruditis. Codex, ad Eccleſiam Alexandrinam cum pertineret, fuit a Cyrillo Lucari; ab illa Sede ad Conſtantinopolitanam tran-

translato, tamquam insigne donarium transmissum ad Angliae Regem Caro-lum I, cujus in Bibliotheca Londini nunc custoditur. Specimen characteris simillimum est vetustissimo Codici Vaticano, ex quo Sixtus V. Editionem Graecam LXX. Interpretum vulgavit typis Zannetti Romae 1587, ut videre licet in meo Euangeliario Quadruplici, Tabula II. posita post pag. CDXCII. Partis I.

Cur autem appositae fuerint Libris Canonicis utriusque Testamenti Clementis Papae Literae ad Corinthios scriptae (quod ad rem nostram facit), ita laudatus Praesul causam indagare conatur pag. 50. „ Ut breviter (inquit), enunciem, quod sentio; cum videam Epistolam primam Clementis ad Corinthios ita servatam & lectam apud complures Ecclesias, & in antiquissimo illo Codice Bibliorum positam post libros Canonicos, una cum secunda; suspicor esse signaculum, quo Traditio

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Apoſtolica firmetur de numero Librorum Divinae Scripturae, eorumque lectione approbata : non ſecus ac, Saeculo IV. deſinente, Damaſi Papae literae Sacris Bibliis apponi coeperunt cum Prologo B. Hieronymi, Apoſtolicis Damaſi juſſionibus obſequuti in reſtitutione germanae lectionis Divini Textus: neque aliter hodie fit, cum, poſt S. Pium V. & Clementem VIII. Pontifices Maximos, approbatae lectionis Editioni eorundem literae praefiguntur, oſtendentes Catholicae Eccleſiae Summum Sacerdotem tradere Fidelibus univerſis eoſdem libros, eandemque lectionem, quam ipſe a ſuis Deceſſoribus, iſtique ab Apoſtolis receperunt.

Obſervari autem poteſt in priori illa Clementis Epiſtola produci teſtimonia & documenta ex ſingulis ferme Libris Veteris Teſtamenti, necnon ex Novi Teſtamenti partibus, quae illa aetate prodierant ; cum nondum ſcripſiſſet Euan-

Digitized by Google

Euangelium Joannes Apoſtolus, neque Apocalypſim. Colligunt enim illius Epiſtolae Editores datam fuiſſe, vel paulo antequam Hieroſolymae a *Tito* expugnarentur, ſtante adhuc Templo, vel non ita multo poſt: Euangelium vero, & Apocalypſim ſerius edidiſſe Joannem, teſtantur cum Sancto Hieronymo Interpretes univerſi: illud ſcilicet poſt natam Cerinthi haereſim, hanc vero poſt annum quartumdecimum *Domitiani*. Quare ex hiſce poſtremis partibus Novi Foederis nondum editis teſtimonia proferri non poterant in illa Epiſtola maturius perſcripta. Ex ceteris vero libris Canonicis fere univerſis loca indicari comperio in Sectionibus, juxta Cotelerii Editionem ita diſtinctis:

Ex Libris Veteris Teſtamenti.

Geneſeos Liber, occurrit Sect. 4. 6. 9. 10. 17. 20. 32. &c.
Exodus, Sect. 4. 17. 51.
Leviticus, indicatur Sect. 32.

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Numeri, 4. 17. 29. 43. 51.
Deuteronomium, 3. 29. 34. 53.
Josue, 12.
Judices, & Ruth.
Regum I. & II. Sect. 4. III. & IV. Sect. 13.
Paralipomena.
Esdrae, I. & II.
Tobias.
Judith, 55.
Ester, 55.
Job, 18. 20. 26. 39. 49. 56.
Psalmi, 14. 15. 26. 28. 35. 36. 46. 48. 50. 52. 56.
Proverbia, 14. 21. 57.
Ecclesiastes, 30.
Cantica.
Sapientia, 3. 27.
Ecclesiasticus, 9.
Isaias, 3. 8. 13. 14. 16. 34. 50.
Jeremias, 8. 13.
Baruch.
Ezechiel, 8. 29.
Daniel, 45.

XII. Prophetae Minores, 7. 23.
Marcus, 46.
Lucas, 46.
Actus Apostolorum, 18.
Pauli Epist. ad Romanos, 30. 35.
Ad Corinthios prima, 13. 24. 34. 47. 40.
Ad Corinth. secunda, 30. 35.
Ad Ephesios, 46.
Ad Galatas.
Ad Philippenses, 21.
Ad Colossenses.
Ad Thessalonicenses prima, 42.
Ad Thessalonicenses secunda.
Ad Timotheum prima, 29. 47. 5.
Ad Timotheum secunda.
Ad Titum.
Ad Philemonem.
Ad Hebraeos, 2. 16. 17. 36.
Machabaeorum, 2.

Ex Libris Novi Testamenti.

Matthaeus, 27. 46.
Petri Epist. prima, 2. 30. 38. 49. 57.
Petri secunda, 11. 23.

Ja-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Jacobus, 10. 17. 23. 30.
Judas.
Apocalypsis.

Perspicuum igitur est, in hac una Clementis Epistola universos propemodum libros Canonicos indicari. Nam illi perpauci, quorum verba producere argumentum Epistolae non requirebat, veluti Libri Judicum, Paralipomenon, Tobiae, Canticorum, Baruch, & Epistolae ad Galatas, ad Colossenses, ad Titum, & ad Philemonem, & Judae Apostoli, vel intelliguntur jugati & approbati cum proximis, quales in Ecclesia etiam Judaica fuerunt Baruch cum Jeremia, Cantica cum reliquis Sapientialibus, Paralipomena cum Libris Regum, Judices cum Heptateuco; & in Christiana, Epistolae indicatae cum ceteris Apostolicis: vel fortasse & illi producebantur in partibus Epistolae Clementis, quae hodie desiderantur; ut indicant lacunae circa finem adhuc hiantes: vel opportunum minime fuit

eo

eo loco produci testimonia ex iisdem partibus Bibliorum; cum satis confirmata fuisse cognosceret ex allegatis B. Clemens, dum S. Romanae Ecclesiae nomine eas literas daret. Quantum vero momenti jam tum afferret Romanae Ecclesiae auctoritas in stabiliendo Canone Scripturarum, intelligimus ex illo Catalogo, inter Canones Apostolicos vulgo dictos recensito numero 85. quem, una cum reliquis Apostolorum dictis, Concilium Trullanum confirmavit Canone II, necnon ex Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 57. At haec allata testimonia sint satis ad tuendam primo Christi Saeculo Canonis Biblici traditionem. Ejusdem vero traditionis prosequutionem sequens Catalogus palam ostendet, quem a B. Clemente I. usque ad Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum serie non interrupta perducam; ut hinc per omnes aetates authoramentum ac veluti signaculum peti possit ver-

LIBER HISTORICUS.

verbi DEI, in utriusque Foederis Libris Numine revelante perscripti. Itaque Canonem Divinarum Scripturarum, a Petri Successoribus constanter curatum exemplo Clementis, & a ceteris Ecclesiae Patribus scripturae traditum, nunc promere tam erit mihi paratum, quam ipsorum Volumina pandere, allegare literas, Concilia in medium proferre; in quibus universi Libri divinitus inspirati, non secus ac in Archivis, agnoscendi Fidelibus proponuntur, ut ab Haereticis suscipiantur. Sit igitur:

CAPUT QUARTUM.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, qui, ab Apostolorum aetate usque ad Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum, Canonem Divinarum Scripturarum seu certum Veteris ac Novi Testamenti Librorum Catalogum ab Ecclesia receptum texuerunt.

SAECULO I.

SAnctus Clemens Papa I. de quo supra, *in Epistola I. ad Corinthios*,

SAE-

Saeculo II.

Melito Asianus, Sardium in Lycia Minoris Asiae Provincia Episcopus, qui cum Discipulis Apostolorum versatus est, & floruit anno Christi 70. *apud Eusebium Historiae Ecclesiasticae lib. 4. cap. 25.*

Saeculo III.

Origines, Adamantius dictus, anno 230. in Expositione prima in Psalmos: & apud Eusebium *Historiae Ecclesiasticae lib. 6. cap. 25.* Item Homil. 7. in Josue.

Saeculo IV.

Eusebius Pamphili, Episcopus Caesarienſis, circa annum 330. *Hist. Ecclesiast. lib. 3. cap. 24. & 25.*

Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, circa annum 330. in Epistola Paschali. Idem apud Zephyri Catenam in Pent. sub initium.

Synopsis Sacrarum Scripturarum, Sancto Athanasio falso adscripta.

S. Cyrillus Episcopus Hierosoly-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

mitanus, anno 350. *Catheches quarta*. Concilium Laodicenum, inter annum 357. & 367. celebratum, Can. 60. seu ultimo, qui ab omnibus Graecis tanquam genuinus agnoscitur, & in eum commentantur Zonaras & Aristides, & citatur ab Arsenio Monacho in Synopsi Canonum, & a Matthaeo Blastare tanquam Canon sexagesimus agnoscitur, necnon a Balsamone in Comm. in Can. Carthag. 27. ubi item citatur ut sexagesimus, a Zonara vero dicitur quinquagesimus nonus.

S. Hilarius Pictavorum Episcopus, in Prologo in Psalmos, quem scripsit post annum 360.

S. Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, anno 370. *Carmine 33. de veris & germanis Scripturae Libris*.

Amphilochius Iconii Episcopus S. GregoriiNazianzeni aequalis, ann. 370. in carmine Jambico ad Seleucum, cui titulus, *Quinam Sacrae Scripturae libri sint legendi*. S. Epi-

Digitized by

S. Epiphanius Salaminae Cypri Episcopus, anno 374. *Haeresi* 8. *necnon Haeresi* 76. contra Aeticum: item, *lib. de Mensuris & Ponderibus, numeris* 3. 4. 22. & 23.

S. Philastrius Brixianus Episcopus, Sancti Ambrosii aequalis, anno 370. *in libro de Haeresibus, capitibus* 40. & 41.

S. Hieronymus Stridonensis, Presbyter & Ecclesiae Doctor, anno 380. in Epistola ad Paulinum: in Prologo Galeato: in libris Regum: & in Praefatione in Danielem ex Hebraeo translatum. Item in Praefatione Proverbiorum: In Prolog. Tobiae, & Judith, & apud Cassiodorium de Institutione Divinarum Literarum *cap.* 12. & 14.

Concilium Hypponense, celebratum anno 393, Canone 38. Et Codex Canonum Ecclesiae Africanae, cap. 24.

Ruffinus Toranus seu Turanius, Aquilejensis Ecclesiae Presbyter, an-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

no 380. in Expoſitione Symboli ad Laurentium Epiſcopum.

Concilium Carthaginienſe Tertium, (can.47.) celebratum anno 397. Caeſario, & Attico Coſs. quod Leo Papa IV. adprobavit.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus, magnus Eccleſiae Doctor, anno 398, *Homil. IV. in Gen. & Homil. VIII. in Ep. ad Hebr.*

S. Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, anno 400. *lib.* II. *de Doctrina Chriſtiana, cap.*8. *num.*13. *edit. Maur. et libro contra Epiſtolam Manichei capitibus* 4. & 5.

SAECULO V.

Sanctus Innocentius Papa I. anno 405. in Epiſtola II. ad Exuperium Toloſae Epiſcopum.

Concilium Carthaginienſe celebratum anno 419. Can. 27.

Sanctus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, anno 434. in Quaeſtionibus Veteris, & Novi Teſtamenti.

Sy-

Digitized by Google

Synodus Romana celebrata ſub S. Gelaſio Papa I. anno 494. Hujus Synodi Catalogum Divinarum Scripturarum, quem immerito nonnulli recentiores in dubium revocarunt, ego ex fide vetuſtiſſimorum Codicum genuinum oſtendi in Prolegomenis Tomi IV. Anaſtaſii Bibliothecarii de Vitis Romanorum Pontificum pag. LXI.

SAECULO VI.

Primaſius Adrumentinus in Byzacena Africae Provincia Epiſcopus, anno 550. *in Apocal. cap.* 4.

Magnus Aurelius Caſſiodorius Senator, anno 556. *in lib. de Inſtitutione Divinarum Literarum cap.* 12. *&* 14.

Junilius, Epiſcopus Africanus, anno 560. *in lib. de partibus Divinae Legis cap.* 3.

Anaſtaſius, Martyr nuncupatus, Anaſtaſii Sinaitae Succeſſor in Patriarchatu Antiocheno, anno 560. *Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron, lib.* 5.

Leon-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Leontius Bizantinus Monachus in Laura Sancti Sabbae, anno 590. *de Sectis Haereticorum, ac Synodo Chalcedonenſi, Actione* 2.

S. Gregorius Magnus, *in Expoſitione in Job, ſive Moralium, cap.* 13.

Sanctus Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus, ejus aequalis, anno 600. *lib. primo Officiorum cap.* 12. Item *lib.* 6. *Originum, ſive Etymologiarum, cap.*4. Et *lib. Prooemiorum de libris Veteris ac Novi Teſtamenti*.

SAECULO VII.

Auctor Operis *de Mirabilibus Sacrae Scripturae*, inter Opera S. Auguſtini, qui ſcripſit anno 657. *lib.* 2.

Sacramentarium Gallicanum ante annos 1000. ſcriptum cap. *Incipit Capitulus de Vetere* (Teſt.) *canonizatus*.

Ven. Beda Presbyter Anglus, qui claruit anno 700. *lib.* 3. *Comment. in Geneſim. lib.* 4. *Comment. in Reg. In Apoc.* 4. *& de ſex aetatibus Mundi ad annum* 3496.

Euge-

Eugenius III. Toletanus Epiſcopus in Indiculo Sacrorum Librorum Verſibus ſcripto.

Saeculo VIII

Sanctus Johannes Damaſcenus, anno 730. *lib.* 4. *Orthod. Fidei, cap.* 18.

Ambroſius Ansbertus, vel potius Autpertus, Monachus, ac deinde Abbas Monaſterii S. Vincentii ad Fontes Vulturni Fluvii in Samnio ſiti, anno 760. *libro tertio Comment. in Apocal. ad Stephanum Papam.*

Albinus ſeu Alcuinus Anglus, Bedae Diſcipulus, anno 800. adverſus Elipantum Toletanum, *Lib.* 1.

Saeculo IX.

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 806. *in Stichometria*, cum numeris ſimul Graecis, & Anaſtaſii Bibliothecarii Latinis.

Agobardus, natione Gallus, Eccleſiae Lugdunenſis Corepiſcopus, anno 813. *de Priv. & Jure Sacerd.*

Ado Viennenſis, anno 879. ex Beda,

LIBER HISTORICUS.

da, de ſex aetatibus Mundi.

SAECULO X.

Tituli ſive Capitula ſingulorum Sacrae Scripturae Librorum juxta Editionem ſeu LXX. Interpretum, ſeu B. Hieronymi ex majore parte hac aetate conſcripta, atque in lucem edita a Ven. Card. Tomaſio, anno 1688.

SAECULO XI.

Ivo, Carnotenſis Epiſcopus, *in Decreto*, anno 1092.

Hermannus Contractus *in Chronico*, quod perduxit uſque ad annum DOMINI 1052. Gislebertus, anno 1100. *Altercat. cap.* 1.

SAECULO XII.

Petrus Abbas Cluniacenſis, S. Bernardi aequalis, *in Epiſt. ſive Tract. adverſus Petrobruſianos Haereticos*, *anno* 1123.

Honorius, Eduenſis, ſive Auguſtodunenſis Eccleſiae in Ducatu Burgundiae Presbyter, anno 1130. *in Gemma animae de Officio Miſſae, ejuſque Ceremo-*

moniis in quatuor Partes divisa, ubi de divisione Librorum, qui juxta tempora leguntur in Ecclesia. Liber Historicus.

Radulphus, Flaviacensis seu Flajensis Monachus in Dioecesi Bellovacensi, anno 1157. *Comment. in Leviticum, lib.* 14. *cap.* 1.

Johannes Beleth, Doctor Parisiensis, anno 1162. *de Divinis Officiis, cap.* 60.

Petrus de Riga, Canonicus & Cantor B. Mariae Rhemensis, anno 1170. in Aurora, quae est Paraphrasis metrica Veteris & Novi Testamenti. Exstat Mss. Bibliotheca Vaticana.

Petrus Comestor, Magister Historiae Scholasticae, anno 1270. *Praef. in Josue.* Item *Praef. in Tobiam*: item *Prolog. in Judith*, & *Praef. in Danielem*.

Johannes Saresberiensis, seu Sarisburiensis, Episcopus Carnotensis, anno 1172. *Epist.* 172.

Petrus, Patria Gallus, Abbas Celsensis primum, deinde S. Remigii, ac

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

demum Episcopus Carnotensis, anno 1180. *in lib. de Panibus, cap.* 2.

Glossa ordinaria ante annum 1200. in Prologo S. Hieronymi super Reg.

SAECULO XIII.

Alexander Nekam, Anglus, anno 1215. in lib. versibus scripto, cui titulus: *Libri Bibliothecae, seu Expositiones Bibliothecae.*

Hugo de Sancto Caro Card. qui dicitur Hugo de Vienna, anno 1240. *in Prolog. Josue, Regum, & Tobiae: & in Praefationibus in Ecclesiasticum, in Baruch, & in Machabaeos.*

Sanctus Thomas Aquinas, Ecclesiae Doctor, anno 1260. in S. Dionysium Areopagitam de Divinis Nominibus, *cap.* 4. *lect.* 9. Item Summae *part.* 1. *quaest.* 89.

Johannes Januensis Monachus Ordinis Fratrum Praedicatorum, (de quo Possevinus in Apparatu sacro *Tom.* 1. *pag.* 881.) in Dictionario praenotato *Catholicon*, quod anno 1280. confecit. Guil-

Digitized by Google

Liber Historicus.

Guillelmus Occham, ſive de Villa Occham, Anglus, 1320. vir doctus, ſed fautor Ludovici Imperatoris IV. nimis imprudens, & ob aliquot errores in Indice Librorum prohibitorum poſitus, *in Dialogo in tres Partes diſtributo, Parte 3. Tractatu 3. cap. 16.*

Nicolaus Liranus, ex Judaiſmo converſus ad Fidem, poſtmodum Ordini Minorum adſcriptus, 1330. *Praef. in Tobiam: Cap. primo Tobiae: Cap. primo Sapientiae: in Baruch Cap. primo: Comment. in Iſaiam Cap. 25. & in Machab. Cap. 1.*

Robertus ſeu Rupertus Holkoth, Nordthamptoniae in Anglia natus, Doctor Theologus Ordinis Praedicatorum, anno 1340. *in Prologo Eccleſiaſtici* (cujus ſeptem priora Capita Commentariis illuſtravit) *pag.* 485.

Petrus Berchorius Pictavienſis, Gallus, Ordinis S. Benedicti, & Prior S. Eligii Pariſienſis, anno 1360. *in Reductorio Morali utriuſque Teſtamenti.*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Liber dictus *Mamotrectus super Bibliam*, impressus Venetiis anno 1479. & rursus 1506. sed diu ante conscriptus.

Glossa in Gratiani Decretum, hac aetate, vel praecedente confecta, *Dist.* 16.

Liber *Ermeneumatum*, sive expolitiorum vocum Veteris & Novi Testamenti, in duobus antiquissimis Mss. Codicibus Vaticanis asservatus.

SAECULO XV.

Eugenius IV. Pont. Opt. Max. anno 1441. *in Decreto pro Jacobinis* in Concilio Florentino habito.

S. Antoninus, patria Florentinus, Ordinis Praedicatorum, & postea Florentiae Archiepiscopus, anno 1459. *in Summa Historiali* in tres Partes divisa *Parte* 1. *Tit.* 3. *Cap.* 4. Ibidem *Tit.* 3. *cap.* 9. §. 12. Item *Summae Theologicae* Parte 3. Tit. 18. cap. 6. §. 11.

Alphonsus Tostatus, Natione Hispanus,

Digitized by Google

nus, in Oppido Madrigali natus, atque ex Doctore & Presbytero Salmaticensi Abulensis in eadem Hispania Episcopus, anno 1450. *Comment. in Hieronymi Prologum Galeatum: in Reg. quaestion.* 27. & 28. Item *Enarrat. Praef.* 1. *in Paralip. quaest.* 7. *& Praef. in Euangelium S. Matthaei quaestionibus* 1. 2. 3.

Dionysius a Lieuvis, Patria Rickelius, Cartusianus, *Doctor Extaticus* vulgo nuncupatus, anno 1450. *in Prooemio in Sap.*, *in Eccl.*, *in Baruch*, *in Tob.*, *in Judith*, *in Capita III. & XIII. Danielis*, *in Caput X. Hesthera*e, *in Cap. I. Machabaeorum*.

Augustinus Datus Senensis, Orator, & Philosophus insignis, anno 1470. *Orat. de Laud. S. Hieronymi*, in qua Libros Biblicos ab Hieronymo conversos recenset.

Praefatio de Libris Canonicis, & non Canonicis, praefixa Bibliis (una cum Glossa Ordin. & Lirani Expos.) editis an-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

anno 1498. & rursus 1506.

SAECULO XVI.

Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus, Vir eruditione & pietate insignis, *in Praef. Bibl. Complut.* 1515.

Biblia Pagnini edita anno 1528. ad finem Veteris Testamenti: item idem Pagninus, *in Praefat.*

Cardinalis Cajetanus, Ordinis Praedicatorum, *Praef. Comm. in omnes Authenticos Veteris Testamenti Historiales Libros* ad Clementem VII. Pontificem Maximum, anno 1532. Idem ad calcem Comm. in *Esther*, & *Eccl.*

Sacrosanctum Oecumenicum & Generale Concilium Tridentinum, anno 1546. Sess. IV.

Hujus Decreti verba retulimus in hujus Capitis exordio, ad confirmandam Ecclesiae Traditionem, de qua loquimur.

Itaque, cum de Canone Scripturarum per manus Ecclesiae tradito ab aeta-

tate Apoſtolica ad Sacroſanctum uſque Concilium Tridentinum ſatis jam conſtet, poſt Euangelicam Aeram producenda modo ſunt ea, quae pertinent ad Hiſtoriam *Canonis Scripturarum* apud Hebraeos ante Euangelii praedicationem.

Joſephus contra Apionem diſputans *lib.* 1. luculentum *Canonis* teſtimonium ita producit: *Infiniti Libri non ſunt apud nos* (inquit) *diſcordantes, & ſibimet repugnantes: ſed ſolummodo duo & viginti Libri, habentes temporis totius conſcriptionem: quorum juſte fides admittitur. Horum ergo quinque quidem ſunt Moſeos &c. A morte vero Moſeos, uſque ad Artaxerſem Perſarum Regem, qui fuit poſt Xerſem, Prophetae ſuorum temporum res geſtas conſcripſerunt in* XIII. *Libris: reliqui vero quatuor, Hymnos in* DEUM, *& vitae humanae, praecepta noſcuntur continere. Ab Artaxerſe vero, uſque ad noſtrum tempus, ſingula quidem conſcripta, non tamen priori ſimili fide ſunt habita, eo quod non fue-*

LIBER HISTORICUS.

fuerit certa ſucceſſio Prophetarum. Palam namque eſt, ipſis Operibus, quemadmodum nos propriis literis, credimus. Tanto namque Saeculo jam praeterito, neque adjicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare praeſumpſit. Omnibus enim inſertum eſt mox ex prima generatione Judaeis, haec Divina dogmata nominare, & in his utique permanere; & propterea, ſi oporteat, mori libenter.

Qui de certo Canone apud Hebraeos plura deſiderat, adeat Buxtorphios, Bonfrerium, Calmetum, alioſque Biblicorum Commentariorum Auctores, qui Praeludia Exagogica ſcripſerunt ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam. Sufficere enim credimus ea, quae incredibili, ſed forte non poenitendo labore collecta protulimus, & auctoritatem habent a SS. Patribus, & ab Eccleſia univerſa.

In tres autem Claſſes Hebraei ſummam Librorum Sacrorum digerebant, teſte S. Hieronymo in *Praef. in Lib. Re-*

Regum, quae Vulgatis Bibliis praefigitur sub Tit. *Prologi Galeati*: „*Viginti* (inquit) *& duas literas esse apud Hebraeos, Syrorum quoque, & Chaldeorum lingua testatur &c. Quomodo igitur viginti duoelementa sunt &c. ita viginti duo volumina supputantur, quibus &c. Atque ita sunt pariter Veteris Legis Libri viginti duo: idest*

I.	II.	III.
Moysi quinque, seu Thora.	*& Prophetarum octo.*	*Hagiographorum novem.*
1. *Genesis.*	1. *Josue.*	1. *Job.*
2. *Exodus.*	2. *Sophetim, seu Judicum, & Ruth.*	2. *David, seu Psalmi* 150.
3. *Leviticus.*	3. *Samuel, seu Regum* I. *&* II.	3. *Salomon, seu Proverbia, & Parabolae.*
4. *Numeri.*	4. *Malachim, seu Regum* III. *&* IV.	4. *Ecclesiastes.*
5. *Deutero-*	5. *Isaias.*	5. *Canticum.*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

mium.

6. *Jeremias.*
7. *Ezechiel.*
8. *XII. Prophetae.*
Canticorum.
6. *Daniel.*
7. *Paralip.* I. & II.
8. *Esdrae* I. & II.
9. *Esther.*

Et in Praef. in Danielem, quae ibidem imprimitur: *Illud* (inquit) *admoneo, non haberi Danielem apud Hebraeos inter Prophetas, sed inter eos, qui Hagiographa scripserunt. In tres siquidem Partes omnis ab eis Scriptura dividitur, in Legem, in Prophetas, & in Hagiographa.* Ejusdem Divisionis meminit Cassiodorius *de Institutione Divinarum Literarum* capite 12. de qua Divisione pluribus differit Cl. Martianeus in III. Prolegom. *in Divinam Bibliothecam S. Hieronymi* num. IV. Beda Venerabilis lib. 3. *Comm. in Genesim* arbitratur, ad eandem Divisionem respexisse SPIRITUM SANCTUM apud Genesim: *Tria ejus manistra super caput ejus &c. Quid aliud* (in-

(inquit) *significant , nisi tripartita ipsi Populo concessa Divinae Legis eloquia , Legem videlicet , & Prophetas , & Hagiographa* : Rationem vero reddit *in More Nevochim lib. 2. cap. 45.* Maimonides : *Quare Kethubim (quae Graece dicunt* Hagiographa) *sic nuncupantur ? nempe , quia Kethubim , hoc est scripta sunt per* Spiritum Sanctum . Et ante ipsum , S. Epiphanius adversus Haereses lib. 1. Haeresi 29. cap. 7. *Legunt* (inquit) *apud illos* (*subaudi* Nazaraeos) *universa Lex , & Prophetae , & Hagiographa (hoc est Libri illi , qui versibus distincti sunt) , & Regina , & Paralipomena , Esther , ceteraque omnia* . Aquilae temporibus , & ab ipso forte Aquila excogitatam fuisse hanc Divisionem Librorum Sacrorum in *Legem , Prophetas , & Hagiographa* (cum antea obtineret partitio in *Legem , Prophetas , & Hymnos*) , conjecturis indulgens , ait Vossius de Orac. Sybillinis *cap.* 12. Ἁγιόγραφα ineptum dicit vocabulum , &

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

contra naturam linguae Graecae formatum ab Aquila ſuſpicatur, confictumque. Vocem quoque γραφεῖα, qua Hagiographa interdum deſignantur, ab eodem fuiſſe excogitatam ſcribit in Reſp. ad iteratas Simonii objectiones. Sed nos, Voſſii quaeſtione de nomine in medio relicta, conſtanter aſſerimus, hanc Diviſionem in tres Claſſes CHRISTUM DOMINUM innuiſſe, quando cum Diſcipulis poſt Reſurrectionem in Coenaculo loquebatur (Lucae 24. V.44.) dicens, *Neceſſe eſt impleri omnia, quae ſcripta ſunt*

I. II. III.

in Lege Moyſi, & Prophetis, & in Pſalmis de me.

Ita enim exponunt hunc locum etiam Maldonatus, & Natalis Alexander, qui ait: *Quae ſcripta ſunt in Lege, Prophetis, et Libris Hagiographis, in quibus Hebraei Pſalmos in primis numerabant*. Lightfootus quoque *Miſcel.* cap. 44. & P. Lamy in *Apparatu Biblico* (ex communi ſententia) lib. 2. cap. 2. ad illam

Digitized by

Iam Diviſionem dicunt CHRISTUM reſpexiſſe Lucae 24. verſ. allegato.

. Hinc itaque videtur colligi, etiam aetate CHRISTI DOMINI obtinuiſſe apud Hebraeos eam Diviſionem Sacrorum Librorum in tres Claſſes, quae vigebat aetate Hieronymi: praeſertim cum Philo Judaeorum doctiſſimus, & CHRISTO DOMINO coaevus, in lib. *de Vita Contemplativa* pag. 893. indicet non obſcure tres illas Claſſes Librorum *Legis*, *Prophetarum*, & *Hagiographorum*, quae ſua aetate in Aegypto diſtinguebantur, dicens: *Legem tantum, & Prophetarum Oracula divinitus prodita, Hymnoſque, & quaedam alia, pietati ſcientiaeque promovendae utilia*: & paſſim apud Talmudicos reperiatur eadem Librorum Sacrorum diviſio. Conſulantur Gemariſtae *in Sanedrin* cap. 11. §. 2. iidem *in Macchot* cap. 2. §. 4. & alibi, ubi de Jonathanis Paraphraſi ſermonem habent. Liber quoque *Schiltae*, ap. Append. libri *Coſri* pag. 430. *Hagga-*

Digitized by Google

gaborim inſcriptus eandem agnoſcit Veteris Teſtamenti in tres Claſſes partitionem. Praeterea ex variis locis Novi Teſtamenti conſtat, eadem aetate in Synagoga lectitatos fuiſſe, praeter Libros legales Moyſi, etiam reliquos ex duabus Claſſibus Prophetarum, & Hagiographorum, quas duas poſteriores S. Paulus *Ep. ad Rom.* 3. 21. complectitur ſolo nomine Prophetarum: *Juſtitia* DEI *manifeſtata eſt, teſtificata a Lege, & Prophetis*. Quemadmodum & in Euangelio Lucae cap. 16. *Lex, & Prophetae uſque ad Joannem*. Et verſ. 29. & 31. ejuſdem cap. *Habent Moyſen, & Prophetas: ſi Moyſen, & Prophetas non audiunt &c.* Ita & Actorum 24 Paulus Fidei Profeſſionem emittens coram Felice Praeſide *verſ.* 14. *Sic deſervio Patri, et* DEO *meo, credens omnibus, quae in Lege, et Prophetis ſcripta ſunt*. Et cap. 26. verſ. 22. coram Agrippa Rege: *Uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori, atque ma-*

Digitized by Google

majori, nihil extra dicens, quam ea, quae Prophetae locuti sunt futura esse, et Moyses. Et cap. 28. Romae agens, & interrogatus a Judaeis de Christianae Ecclesiae confessione vers. 23. *Expo-nebat, testificans Regnum* Dei, *suadensque eis de* Jesu, *ex Lege Moysi, et Prophetis, a mane usque ad vesperem.*

Siquidem & in Synagogis, praeter Legales Libros, perlegebantur Prophetae die Sabbati. Act. 13. vers. 14. *Venerunt Antiochiam Pisidiae: & ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis, & Prophetarum &c.* Et Christo Domino in Nazareth Synagogam ingresso juxta consuetudinem suam die Sabbati, & ad legendum surgenti, cap. 4. vers. 17. traditus est illi Liber Isaiae Prophetae. Elias Levita in *Thisbi* apud Voisin de Lege Divina cap. 30. ait, Antiochi Regis aetate inductam fuisse consuetudinem legendi Haphtaras ex Prophetis, respondentes singulis Paratchis Le-

LIBER HISTORICUS.

Legis, quum impius ille Rex publicam Legis lectionem vetuisset.

Cum itaque constet ex locis supra allatis, aliisque plurimis, praeter Moysi Pentatheucum, alios quoque libros in Synagoga Judaeorum ante Euangelii publicationem asservatos fuisse tamquam Propheticos, & divinitus inspiratos, ex quibus testimonia licebat petere ad causas Fidei dijudicandas, etiam in Conciliis seu Synhedriis Magnis, quemadmodum Herodi perquirenti ubi CHRISTUS nasceretur, *Matth.* 2. respondet Concilium legitimum Principum, Sacerdotum omnium, & Scribarum, ex Micheae Prophetia, *In Bethleem Judae*; necessario consequitur, Indicem seu Catalogum ejusmodi Librorum (quem nos appellamus *Canonem Scripturarum*) in Ecclesia Hebraea jam extitisse ante CHRISTUM natum.

Quin ex hoc ipso Matthaei testimonio inferre possumus, Prophaetae nomine aliquando enunciari secundam illam

illam Classem Librorum, qui appellantur Prophetici, in unum corpus compactam, quem Librum appellabant *Propbetam*: non secus ac observatum est, a compluribus in Ecclesia Christiana prioribus etiam Saeculis appellatum fuisse *Apostolum*, Codicem illum, qui complectebatur Canonicas Literas Novi Testamenti, sive Apostolorum, unico Libro comprehensas, ut a Subdiacono perlegerentur in Missa: vel etiam suspicari possumus, secundam, ac tertiam Classem, Prophetarum scilicet, atque Hagiographorum, in unum Volumen redactam, dici *Prophetam*, seu *Prophetas*, a potiori parte ita denominatam, sive a nomine, & re, communi Prophetis, & Hagiographis, Christum pariter annunciantibus.

Quemadmodum enim ex Libro secundae Classis, seu Prophetarum licebat causas de Fide certo definire, ita etiam ex tertia Classe Hagiographorum, eadem vi praedita, petebantur

LIBER HISTORICUS.

argumenta in cauſis Fidei. CHRISTUS enim DOMINUS Matth. 22. verſ. 44. congregatis Phariſaeis, & interrogatis, quid ipſis videretur de CHRISTO, & cujus eſſet Filius, ac reſpondentibus, *David*, teſtimonium Divinitatis ſuae a Pſalmis Davidis illico produxit: *Quomodo ergo David vocat eum* DOMINUM, *dicens*: Dixit DOMINUS DOMINO meo? *& non poterant reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex ea die eum amplius interrogare*. Ad Machab. I. cap. 1. v. 57. & ad Daniel. 9. v. 27. & 28. videtur alludere CHRISTUS Matthaei 24. *v.* 15., Marci 13. *v.* 14., Lucae 21. *v.* 12. Item locus Machab. I. cap. 2. *v.* 54. refertur ad Eccleſiaſtici 45. v. 28. 30. & Machab. 2. v. 56. refertur ad Eccleſiaſtici 46. *v.* 9. 10. *&* 11.

Concludimus igitur, in Eccleſia Hebraea etiam ante CHRISTUM natum extitiſſe Canonem Scripturarum, ex Lege, & Prophetis, ſive ex Libris Legalibus, Propheticis, & Hagiographis

Digitized

phis certo numero constitutum, unde licebat testimonia proferre in causis Fidei, tamquam ex Libris divinitus inspiratis.

CAPUT QUINTUM.

De Libris Autographis, & Apographis Legis, & Prophetarum, eorumque Historia.

VOlumen Legis Autographum Pentateuchi scriptum fuisse a Moyse, divinitus revelatum est *Exodi* cap. 17. v. 14. & 24. 4. 7. *Scripsit autem Moyses universos sermones* Domini. Vers. 4. &c. *Assumensque Volumen Foederis, legit audiente Populo*. Versu 7. *Traditum ab ipso Moyse Sacerdotibus filiis Levi, & Senioribus*. Deut. 31. v. 9. 10. 11. 25. 26. *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam Foederis* Domini, *& cunctis Senioribus Israhel.* V. 9. *Et septimo quoque anno legi praecepit coram Populo*. Ibi v. 11. 12. *Et recondi per*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Levitas in latere Arcae. Ibi v. 24. 25. 26. *Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in Volumine, atque complevit, praecepit Levitis, qui portabant Arcam Foederis* DOMINI, *dicens: Tollite Librum istum, & ponite eum in latere Arcae Foederis* DOMINI DEI *vestri &c.*

In Musivo Sixti III. Liberianam Basilicam adornante, ab eruditissimo Ciampino typis edito *Par. II. Tab. LX.* & a Francisco Blanchino Patruo meo *Tom. 3. pag. 136.* Anast. Bibl. relato, Moyses Levitis volumen tradit, in quo Deuteronomium descripserat; jussitque in Arca Foederis DOMINI custodiri, ut ex Deut. cap. 31. ubi etiam visuntur Levitae Arcam deferentes.

Aliud Autographum, sive potius primum Apographum Deuteronomii, proxime post obitum Moysis, a Josue scriptum legimus in Lapidibus Altaris ab ipso erecti in Monte Hebal, Josue cap. 8. v. 30. 31. & 32. *Tunc aedificavit Josue Altare* DOMINO *&c. de lapidibus*

dibus inpolitis &c. & ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium Legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrabel.

Singuli deinde Reges jubentur Deuteronomii Librum ſibi deſcribere, &, accepto Exemplari a Sacerdotibus, ex eo legere cunctis diebus vitae ſuae, Deut. 17. 18. Vide Voiſin de Lege Divina, in fine capitis 31.

Redeo ad Autographum Moyſis Levitis traditum, ut in Arcae latere conditum ſervaretur. Doctiſſimus Huetius *Demonſtr. Euangelicae* Prop. 4. pag. 41. num. 2. expenſis rationibus Toſtati, Ahabanelis, & Levi Ben-Gerſon, propendet ut credat, ad latus Arcae aſſervatum fuiſſe non modo Deuteronomium, ſed univerſum Pentateuchum.

Quin obſervat, in Debarim Rabba affirmari, XIII. Exemplaria Legis deſcripta fuiſſe Moſis juſſu ante ejus obitum, ut ſingulis Tribuum Principibus ſingula contraderentur, & unum in Arca cuſtodiretur. S. Epi-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

S. Epiphanius in lib. *de Poud. & Menſ.* cap. 4. credidit, non Legem ſolummodo, ſed & Libros omnes Canonicos intra Arcam fuiſſe recluſos. At refellitur ex teſtimonio lib. III. Regum cap. 8. verſ. 9. ubi diſerte dicitur: *In Arca autem non erat aliud, niſi duae Tabulae Lapideae, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb*: & II. Paralip. cap. 5. v. 10. *Nihilque erat aliud in Arca, niſi duae Tabulae, quas poſuerat Moyſes in Horeb*; & ex Gentium Apoſtolo, qui in *Ep. ad Hebraeos* cap. 9. v. 4. aït: *In qua (ſcilicet Arca) urna aurea, habens Manna, & Virga Aaron, quae fronduerat, & Tabulae Teſtamenti*. Proſequitur Huetius: *Lex autem fuit ad latus Arcae exterius: quo & Urna aurea, Manna plena, & Aaronis Virga* (ad Hebr. cap. 9. verſ. 4.), *hoc eſt, ſi Jonatanem Paraphraſtem Chaldaeum audimus, in capſa ad latus dextrum Arcae: vel ſi Gemaram Thalmudici libri &c., in Scrinio*. Simillima habentur I. Regum

Digitized by Google

gum *cap.* 6. Philiſtini enim ponunt in capſellam ad latus ejus icunculas aureas, quas finxere; ad latus nempe Tabularum, quibus capſula componebatur. Eadem ergo ratione, inquit etiam Calmet *in Commentario litterali Sacrarum Scripturarum* cap. 31. Deut. verſ. 26. collocatus eſt Liber Legis, de quo agimus. Cum ille, nonniſi aliquis Tabellarum numerus eſſet (ego autem cum Vulgata, & Muſivo, volumen fuiſſe, puto), hae commode intus in Arca circum illius parietes ſecus Lapideas Tabulas collocari potuere. Cum autem poſt Templi aedificationem, Tabernaculum, plurimaque Tabernaculi vaſa, & ſupellectilem, in Templi ipſius Gazophilaciis fuiſſe repoſita veriſimile ſit; illuc quoque illatam fuiſſe capſulam Legis, Volumini recondendo deſtinatam, credere par eſt. Quae, poſtquam diu illic neglecta & ignorata jacuit, tandem ab Helcia Pontifice reperta eſt IV. Reg. 22. verſ. 8: *Dixit autem Helcias Pon-*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Pontifex ad Saphan Scribam: Librum Legis reperi in Domo DOMINI. Librum autem hunc fuiſſe autographum Moyſis, Joſeph Antiq. *lib. X. cap.* 5. teſtatur. Qua in re, ſiquid dubii eſſe videretur, illud ſubduceret Textus, II. Paralipomenon 34. verſ.14: *Cum efferrent pecuniam, quae illata fuerat in Templum* DOMINI, *reperit Helcias Sacerdos Librum Legis* DOMINI *per manum Moysi*. Quamobrem, non in Arca DOMINI, ſed in Domo DOMINI repertum a ſe Librum Legis praedicat Helcias, non fimeto infoſſum, ut conjectavit S. Jo. Chryſoſtomus *in Matth.* cap.2. hom.9. & in I. *ad Corinth.* 2. hom. 7. ſed in capſula illa reconditum, quae, ſtante Tabernaculo, fuerat ad dextrum latus Arcae.

Geſta ſunt haec anno XVIII. Regis Joſiae, *IV. Regum* 22., hoc eſt annis circiter 624. ante Aeram CHRISTI communem, ut Chronologi ſupputant. Poſt annos vero 28. ex Chronico Euſebii Na-

Digitized by Google

Nabuchdonosor Templum incendit. An Levitae in captivitatem abducti Volumen Legis Autographum ab incendio praeservaverint (quemadmodum & Sacerdotes in Persidem abducendi *II. Mach.* 1. 19. acceptum ignem de Altari occulte absconderunt in Valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus) nemo quidem, quod sciam, diserte id enunciat: sed probabile admodum est, Godoliam nepotem Saphan, qui a Chaldaeis constitutus fuerat Princeps Populi in Palestina relicti; vel Levitas in Terra superstites, & mox in Aegyptum profectos, occiso ipso Godolia; vel potius Joachimum Regem in Babylonem abductum haec Sacra Pignora custodisse; aut Nehemiam filium Helciae, aut Esdram Scribam: praesertim, cum post annos LXX. Captivitatis Cyrus Persarum Rex protulerit Vasa Templi DOMINI, quae tulerat Nabuchdonosor de Jerusalem, & po-

 suc-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

fuerat ea in Templo DEI ſui (*I.Eſdrae* cap.1.verſ.8.) eademque vaſa numerata contradiderit Saſſabaſar Principi Juda, eademque vaſa & argentum in Templum ſecundum illata ſint, *I.Eſdr.* 8. 30. *Suſceperunt autem Sacerdotes & Levitae &c. Die autem quarta appenſum eſt argentum, & aurum, & vaſa in Domo* DOMINI *&c.* (v.33.) *Propterea* II.Eſdr. cap.8. *poſt Templi inſtaurationem* (v.1.) *dixerunt Eſdrae Scribae, ut afferret Librum Legis Moyſi, quam praeceperat* DOMINUS *Iſraheli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum &c. & legit in eo aperte &c. Stetit autem Eſdras Scriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum &c. & legerunt in Libro Legis* DEI *diſtincte et aperte ad intelligendum; et intellexerunt, cum legeretur etc.* Et cap.13. verſ. 1. *In die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi, audiente Populo: et inventum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites, et Moabites in* Ec-

Ecclesiam Dei *usque in aeternum etc. Factum est autem, cum audissent Legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israhel etc.* Quae omnia indicant in Autographo potius, quam in Apographis haec observata: praesertim, cum ipse Esdras Chaldaicis characteribus imposterum exprimenda curaverit ea, quae ex primitivis Moysi literis Populo in LXX. annorum Captivitute eas ignoranti, & Chaldaeorum stylo assuescenti, sua interpretatione noverat esse aperienda.

Post ejusmodi instaurationem Templi, & Legis, quae Autographum Moysi superfuisse indicat non obscure (cum Templum secundum substiterit usque ad *Titum*, licet ab *Antiocho* profanatum, & expurgatum a Juda Machabaeo, *II. Machab. cap.* 10. & interea temporis translata sint Sacra Biblia in Graecum idioma per LXX. Interpretes), probabile admodum fit, Mosis Autographum nunquam fuisse deperditum usque ad Christi Domimi adventum.

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Et profecto luculentum habemus Philonis teſtimonium in lib. II. de Vita Moſis, ſub initium, ubi de Pentateucho haec ſcribit: *Res certa non caret miraculo, per tot Saecula manſiſſe Leges eaſdem incolumes.* Et S. Epiphanius in lib. *de Menſ. et Pond.*, binorum Interpretum triginta ſex a Ptolemaeo Philadelpho advocatorum Hiſtoriam narrans, Autographum Scripturarum Sacrarum ipſi Regi tunc temporis allatum fuiſſe innuit, cum inquit: *Igitur ſeptem et viginti illi Libri, qui viginti duo numerantur cum Pſalterio, ac ceteris, qui Hieremiae accenſentur, hoc eſt Lamentationibus, et Epiſtolis Baruchi, quamvis apud Hebraeos Epiſtolae iſtae non reperiantur, ſed Lamentationes dumtaxat ad Hieremiae Prophetiam attextae; eo, quem dixi, modo per Orbem in unumquodque par Interpretum diſtributae ſunt: puta a primo pari ad ſecundum, ab hoc ad tertium pervenerunt; donec ſexies ac trigeſies ſinguli Graece converſi ſunt, ut fama*

Digitized by

fama vulgari perhibetur .... Postremo, absolutis omnibus, Rex in sublimi solio consedit, ad quem triginta sex lectores cum totidem Exemplaribus adducti sunt, cum altero, qui Hebraicum Archetypum *tenebat*. En qua de causa latores Legis delecti fuerint ex florentissimis Ordinibus, & a Ptolemaeo Rege tot commodis, honoribus, & praemiis prosequuti: scilicet Archetypum deferebant, ut quisque facillime potest ex illa Regis ablegatione, ac Hebraeorum studio, sollicitudine, curaque tam pretiosi Depositi, judicare.

Autographum Josue, in ipso Legis Volumine propria Auctoris manu conscriptum fuisse, docent nos Sacrae Paginae, *Jos.* cap. ult. vers. 25. 26. *Percussit ergo in die illo foedus, & proposuit praecepta atque judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba haec in Volumine Legis* DOMINI: *& tulit lapidem praegrandem, posuitque eum subter quercum, quae erat in Sanctuario* DOMINI, *& di-*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

& dixit ad omnem Populum: En Lapis iſte erit vobis in teſtimonium &c. Eadem igitur praeſervatio contigiſſe dicenda eſt Autographo libro Joſue, quam adſcripſimus Autographo Pentateuchi. Non ſecus ac Samuel I. Regum cap. 10. *Locutus eſt ad Populum Legem Regni* (vers. 25.) *& ſcripſit in Libro, et reposuit coram* DOMINO.

Quod pertinet ad Libros reliquos Veteris Teſtamenti, breviter perſtringemus.

Primo obſervandum eſt, Prophetas conſueviſſe Libros ſuos mittere ad Sacerdotes, & Prophetas, necnon ad Seniores, & ad omnem Populum; ut Jeremias miſit, cap. 29. *Et haec ſunt verba Libri, quem miſit Jeremias Propheta de Hieruſalem ad reliquias Seniorum tranſmigrationis, et ad Sacerdotes, et ad Prophetas, et ad omnem Populum, quem transduxerat Nabuchodonoſor de Hieruſalem in Babylonem &c.* Neceſſe autem erat in ſcripturam redigere, aut publico teſti-

Digitized by Google

teſtimonio ea conſignare, quae Prophetico nomine aliquis proloquebatur; ut ex eventu judicarent Rectores Populi de veritate, aut mendacio ejuſdem aſſerti Prophetae, juxta mandatum Domini, a Moyſe traditum Deuteronomii cap. 18. Inter cetera vero, quae falſis Prophetis minatur Dominus Ezechielis cap. 13. haec legimus v. 9: *Et erit manus mea ſuper Prophetas, qui vident vana, et divinant mendacium: in Conſilio populi mei non erunt, et in Scriptura Domus Iſrael non ſcribentur.*

Secundo, haec indicant, poſt eventum praedictionis impletae, inter Scripturas Domus Iſrael, hoc eſt in Canonem Scripturarum redactos fuiſſe ejuſmodi Commentarios Propheticos, ſive Auctoris manu, ſive alterius Miniſtri Synagogae conſcriptos; quos ita vindicaverat & approbaverat Auctoritas Dei loquentis, & verbum ſuum perficientis: quemadmodum & Samuel ea, quae ſcripſit, repoſuiſſe dicitur coram Do-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

DOMINO, *I.Reg. cap.*10. *verſ.* 25.

Tertio denique, Libri ita vindicati, & Canoni adſcripti, in Sinagoga publice legebantur poſt Legem die Sabbati: ut autem legerentur in Synagoga, aſſervabantur, quemadmodum hodieque fit, a Judaeis in Armario, ſeu ſcrinio. Ritu non diſſimili primitiva etiam Chriſtianorum Eccleſia ſuum habuit Armarium, in quo Sacros Libros reconderet, quod expreſſum videmus in Muſivo Ravennati apud Cl. Ciampinum Tom. I. fol.217. Tab.67. Fig. II. & in vitro Coemeteriali noſtri Muſei Vallicellani, edito a Bonarotio Senatore ampliſſimo, doctiſſimoque Sacrae Antiquitatis Cultore.

Confirmantur haec ex Verſionibus Bibliorum, quae non Legales modo Libros, verum & Propheticos, & Hagiographos etiam antiquitus ſunt complexae, ut in meis *Vindiciis Canonicarum Scripturarum*, Latinae Vulgatae Editionis, necnon in *Euangeliario Quadruplici* edi-

Digitized by Google

edito sub auspiciis Joannis V. *Portugalliae et Algarbiorum* Regis Fidelissimi fuso calamo probatum est.

CAPUT SEXTUM.

Historia Textus Biblici, ac Versionum, comprobata ex antiquis Christianorum monumentis, praesertim Romanis.

EXemplaria Sacrorum Bibliorum antiquitate praestantiora jam dedimus in *Euangeliario Qradruplici*, atque in nostris *Vindiciis Canonicarum Scripturarum*, (ex quibus haec V. Capita mutuati sumus), complexa partes universas Divini Textus primitivi, praecipuarumque Versionum. Quare heic eosdem Codices non recentebimus, nec vetustissimos Rituales Libros Ecclesiarum, ubi Lectiones, & versiculi ex Veteri Testamento assumpti maximam partem Precum constituunt: cum ista Classis non pertineat ad argumen-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

tum nobis propositum. Merito tamen advocantur & ejusmodi Codices inter potiora praesidia Biblicae auctoritatis; cum testimonia genuinae lectionis Ecclesiis traditae ibidem praeservata inveniantur, autographis non superstitibus Textus Divini.

Itaque, praeter illa adjumenta Codicum veterrimorum utriusque Foederis, quibus fuit custodita germana Lectio, ac mirifice comprobatur Traditio Ecclesiae, cui acceptas ferimus Divinas Literas (ut optime observant Patres, & Theologi cum Veteres, tum recentes apud Le Longh), genus est aliud Testimoniorum in primis utile ad confirmandam Historiam traditae Sanctis Fidei, & Lectionis antiquae Divinorum Voluminum, in Catholica Ecclesia custoditae. Ea vero sunt Anaglypha, veterum Christianorum Sepulcris, & Lucernis incisa: picturae cryptis Coemeteriorum inductae, vitreis orbiculis, & calicibus commendatae, & una cum Cor-

Corporibus Sanctorum Martyrum primis Ecclesiae Saeculis conditae in subterraneis illis recessibus, ut in apertam lucem educerentur post pacem Ecclesiae restitutam, & renovarentur atque augerentur in Musivis operibus Basilicarum, ac Tricliniorum Pontificalium; & in Generalibus Conciliis producerentur, tanquam luculenta Veteris & Apostolicae Doctrinae, Consuetudinis, ac Traditionis testimonia.

Liber Historicus.

Eorundem Conciliorum suffragio didicimus, haec ipsa Christianorum Cimelia considerare tanquam apertos libros, ipsis rudibus ingeniis, ac literarum expertibus propositos, ad perlegenda nostrae Religionis mysteria; quemadmodum S. Gregorius Magnus in Epist. ad Serenum Episcopum Massilienſem una cum Hadriani I. literis in Synodo Nicaena II. perlectis differte docet: *Nam quod legentibus* (inquit) *Scriptura, hoc idiotis praestat Pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

vident, quod sequi debeant; in ipsa legunt, qui literas nesciunt. Unde praecipue Gentibus pro lectione Pictura est; quod magnopere a se, qui inter Gentes habitas, attendi debuerat.

Hoc igitur adjumenti praestant Monumenta illa Coemeteriorum, atque Ecclesiarum primis Ecclesiae Saeculis constituta; ut, sicuti cum ponerentur una cum Voluminibus autographis Apostolorum, Actisque Martyrum, atque Exemplaribus primigeniis, etiam rudibus in Plebe DEI atque expertibus literarum, supplebant librorum vices, ita, postquam Codices autographi vel apographi primae aetatis intercederunt, praeservent nobis mutam quamdam historiam, sed coaevam Libris Apostolicorum Virorum, & Confessorum CHRISTI, quos Persecutorum rabies, *Decii* praesertim, *Diocletiani*, & *Juliani*, feralibus Edictis ac flammis absumpsit. Neque enim dubium relinquunt, quin ad illa pertineant Saecula, quae

Digitized by Google

quae Martyrum sanguine Sacra Oracula consignabant; quemadmodum de plerisque Codicibus dubitatur, an tantundem antiquitatis praeseferant, ut ad tempora tam remota referri possint.

Si Divini Textus Historiam ex autographis hisce documentis Ecclesiae repetimus, quae produci meruerunt in Oecumenicis Synodis, offeret se primo, tum in Martyrum Coemeteriis picta & insculpta, tum in Basilicae Liberianae Musivis colorata Mosaicae Legis perceptio ab Auctore Deo, in Tabulis Lapideis ab ipso traditae: tum ejusdem promulgatio, in Volumine Mosis manu conscripto, & Levitis commendato, ut in latere Arcae depositum custodiretur. Auctorem pariter aliorum Voluminum Propheticorum testantur Deum sacra illa Christianorum Cimelia, quae ab Ezechielis *cap. II.* desumptam visionem revelati caelitus verbi exprimunt symbolo *manus* librum Prophetae porrigentis; aut *quatuor Animama-*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

malium Spiritu DEI actorum, quae rursum occurrunt in Apocalypsi.

Quemadmodum vero de Auctore Divinae revelationis nos admonent, ita etiam de numero Sacrorum Librorum saepe testantur anaglypha *Romae Subterraneae*, & antiquissimae Picturae Coemeteriales. Nam & Tobiam, cum piscis indicio noscendum praebent, una cum reliquis Bibliorum historiis; & Susannam a Senioribus circumventam, orationi intendentem cum ostendunt; & Habacuc Prophetam prandium Danieli ministrantem inter Leones dum exprimunt; quid sentiendum sit de auctoritate libri Tobiae, ac utriusque Capitis XIII. & XIV. Danielis aperte docent. Et Jonae, a cete absorpti, & in aridam evomiti, & septem Fratrum Machabeorum, Tobiae iterum, & Susannae, & Danielis historias luculenter exprimunt vetustissima vitrea Fragmenta, quae produxit & illustravit Philippus Bonarrotius in libro *De Au-*

Digitized by Google

Antiquis Vitreis Fragmentis, Italico ſermone exarato editoque anno 1716. *pag.* 1. 2. 5. 13. 18. *et* 141.

Quin etiam Verſionis utriuſque veſtigia, Grecae ſcilicet LXX, & Antiquae Latinae *Italae*, ipſoſque fontes Hebraeos licet in his deprehendere; in Jonae praeſertim umbraculo, ex Auguſtini, & Hieronymi Epiſtolis admodum celebrato. Siquidem in Coemeterio Callixti Tabula III. depingitur, et caelatur in Lamina aenea, quam profert idem Cl. Bonarrotius Figura I. *pag.* 1, in duobus vero Sarcophagis Vaticanis ſculpitur Jonas ſub Cucurbita dormiens; et in alio Sarcophago apud Callixti Coemeterium effoſſo nitide exprimitur ſupra Jonam Frutex peramplis foliis praeditus, nulli fulcro ſubnixus, qualem Hieronymus ex fonte Hebraeo, Cicaion, hederae ſimilem in ſua correctione, et poſt Hieronymum hodierna Vulgata reſtituit. Qua de re videndus eſt noſter Aringhius Romae

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

mae Subterraneae *Tom. II. lib. V. cap. XXII. num.* 10. et 11. Productis enim literis utriusque Doctoris (Hieronymi scilicet, atque Augustini), ita loquitur de Jonae umbraculo sub Cucurbita.

Porro Jonam haud sub Hederae, sed sub Cucurbitae umbraculo quiescentem ob eam potissimum rationem in Coemeterialibus Tabulis olim a Christianis repraesentatum fuisse arbitramur, quia videlicet antiqui Fideles acceptissimae Septuaginta Interpretum sententiae mordicus adhaerentes, quidquid conceptis apud eosdem verbis Scripturarum Textui insertum legebatur, ac si Vulgata earundem Scripturarum foret Editio, constanti animo retinuere &c. Haec Aringhius: additurus profecto, post Hieronymum lectionem Hederae, cum Vulgata, loco Fruticis ipsi persimilis, Ecclesiam jam tum recepisse; si diligentius attendisset Sarcophagis, postremo loco per nos indicatis apud Vaticanum, &

ad

ad Callixti Coemeterium, ab ipso autem Aringhio expressis, ubi Frutex ille Cicajon Hebraei Textus, sive virgultum, ad Hederae formam accedens exhibetur.

His vero Picturis, et Anaglyphis, propositis aetate Martyrum in Coemeteriis, et proximo Saeculo in praecipuis Romanae Ecclesiae Basilicis, ac Titulis, si conjungantur vetustissimae Sacrorum Bibliorum Versiones, Codices Manuscripti admirandae antiquitatis in nostro Euangeliario Quadruplici summo studio curaque collecti, Liturgiae, Rituales, et Sacramentales Libri Graecorum, & Latinorum, ac testimonia Patrum, et Conciliorum, quibus Mysteria Novi Testamenti detegutur adumbrata in antiqui Foederis historia, et Oraculis Prophetarum, resultat inde evidentior nexus ille non interruptus Apostolicae traditionis a Christi Saeculo ad nos perductae; et legitimus Scripturae usus, et lectio ger-

LIBER HISTORICUS.

mana, ipsis in Persecutionibus praeservata, non modo in privatis Codicibus, quos industria Christianorum subduxit praedae atque incendio, verum eo consignata publicis hisce Monumentis autographis eorundem Saeculorum, quibus debetur Ecclesiae Catholicae Rituum praecipuorum institutio, et augumentum.

Praemissa itaque Historia Canonis Scripturarum, Textusque Autographi, & Apographi, necnon amandato amico Lectore ad nostram *Euangeliarii Quadruplicis* Editionem, heic nos abstinemus ab iterum proferendis vetustioribus Exemplaribus utriusque Foederis, ac speciminibus characterum omnium fere Versionum, quas (utpote ab erroribus Fidei ac morum immunes) adhibuit olim Ecclesia Catholica, hodieque adhibet in solemni Conventu, rebusque Sacris, in Cathechesi & Doctrina sua Fidelibus proponenda, & Infidelibus praedicanda; con-

contenti breviter indicare cetera authoramenta, quae hujusmodi historiae ac traditioni accedunt, ab aliis autographis Monumentis veterum Christianorum derivata, ad ipsa Monumenta singillatim consideranda, servato ordine Scripturarum, ut a primo Geneseos Capite, ad postremum Apocalypseos, ostendatur non decisse Divinis Literis haec sive praesidia sive ornamenta, quae vicem suppleant Autographorum. Quare ea Monumenta pertingam, quae Canonis Biblici seriem, traditionemque respiciunt, atque Romanae Ecclesiae Fidem exhibent in Imaginibus, referendis ad prototypum Librorum per eas expressis, colligens pro coronide ex Patrui mei amantissimi Francisci Blanchini Notis ad Anastasium Bibliothecarium ea quae ad rem propositam pertinent; nempe ut ostendam ex antiquissimis hisce Picturis, Musivis, Anaglyphis clarius adhuc cognosci posse, delectum talem a Summis Pontificibus,

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

aliisque Romanae Ecclesiae filiis habitum in Coemeteriis, Basilicis, ac Titulis ita decorandis; ut Imagines sacrae, quas ibi exprimendas curarunt, a solo Sacrarum Scripturarum censu petitae, & memoriam rerum gestarum in utroque Testamento excitarent, & Christianae Fidei dogmata oculis subjecta proponerent, ex Libris authenticis derivata. Praestat ergo, ex laudati Viri Notis ad Sanctum Gelasium Papam Tom. III. Anastasii Bibliothecarii *pag. 197. col.* 1. nonnulla exscribere, quae nobis suggerunt praecipuas Sacrarum Scripturarum Historias, parietibus, tabulis aeneis, atque marmoribus commendatas, quaeque huic Historicae Demonstrationi Veteris Testamenti librorum supremam manum imponunt. *Loeus* (inquit) *a me requirit, ut indicem brevissime selectum quidpiam e singulis utriusque Testamenti Libris, & dedicatum vel in Sanctorum Martyrum Coemeteriis, vel in sacris Aedibus pri-*

primorum Titulorum, ac Basilicarum, ab ipsa aetate Apostolica ante Pontificatum Gelasii: itaut cupienti tradere Canonem Sacrorum Bibliorum, satis sit intendere digitum in haec praetiosa Monumenta quinque priorum Saeculorum Aerae Christianae, quae Romana Ecclesia praeservat.

Unica Liberii Basilica in Xisti III. Musivis ostendit seriem gestorum tum in Pentateucho Moysi, tum in Libris Josue, ac Judicum enarratorum. Unus Sarcophagus Junii Bassi, signatus Consulatu Eusebii & Hipatii, nempe anno Aerae Christianae 359. in Basilicae Vaticanae cryptis constitutus ante Confessionem Sanctorum Apostolorum; ostendit nobis, ex Genesi lapsum primorum Parentum, & Abrahami sacrificium; ex Jobo vero, Daniele, aliisque Divinae Scripturae libris alia selecta documenta. In Basilica S. Pauli Viae Ostiensi, a S. Leone Magno Musivis, Picturis, & Historiis decorata, explicantur Oracula Sacrorum Bibliorum a Ge-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Geneſi ad Apocalypſim; Prophetae enumerantur in ſupremo parietum faſtigio, eorumque nomina Oſeae &c. pedalibus literis ſub ipſorum Imaginibus exprimuntur. Quare & in Valvis aeneis, Saeculo XI. pro eadem Baſilica conſtructis, tam Majores, quos vocant, quam Minores recenſentur; uti conſtat ex literis ſuperſtitibus complurium ex utroque numero ibidem adhuc ſpectandis, nempe BAPOYK Baruch, qui adjungitur Jeremiae; IEZEKIHA Jezechiel; ΔANIHA Daniel; IΩHA Joel; ABΔEIAΣ Abdias; IΩNAC Jonas; NAOYM Naum; ABBAKOYM Abbacum (ubi advertendum eſt, nomen Habacuc, ſcriptum eſſe in Exemplaribus Graecis AMBAKOYM); ΣOΦONIAC Sophonias; ZAKAPIAC Zacharias. Reliquorum Imagines, ac Nomina exciderunt. Inde autem mos propagatus, & retentus per ſequentes aetates, eorundem Prophetarum Imagines, Nomina, aliquando etiam Sententias depingendi, & inſcul-

sculpendi tum in Basilicarum portis, tum in Titulorum, Diaconiarum, & Baptisteriorum absidibus, ac parietibus, vasis, & ornamentis. In aencis Valvis ejusdem Basilicae Paulinae, Constantinopoli elaboratis undecimo Saeculo Aerae Christianae, quas edidit saepe laudatus Praesul Jo. Ciampinus Vet. Monim. *Tom. I. cap.* 4. alii quoque Prophetae incisi sunt, quorum gesta in libris Regum, & Paralipomenon recensentur; nempe Elias num. xxxv. & Eliseus num. xliv. Aliorum vero etiam oracula in Voluminibus exprimuntur: ut in Volumine Prophetae David num. xxxiii. versiculus ex Psalm. 44. *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam:* In pugillari Jeremiae *vers.* 36. *Hic* Deus *noster, & non imputabitur alius* ex cap. 3. Baruch: In Volumine Habacuc, cujus nomen legitur Graecis literis incisum ABBAKOYM, insculptus est versiculus 3. capitis III. Deus *a Libano veniet, & Sanctus de Monte.* In ma-

LIBER HISTORICUS.

manibus Isaiae vers. 14. capitis VII. *Ecce Virgo &c.* Praefert Sophonias expectationem Resurrectionis ex commate 8. cap. II. Jonas spem caelestis auxilii ex vers. 3. cap. II. & hujusmodi methodus observatur in ceteris. In Diaconia omnium principe S. Mariae in Vialata, ubi vetus traditio est, Paulum Apostolum cum Luca Euangelista Cathechesim habuisse, & Lucam scripsisse Acta Apostolorum, conspiciuntur Prophetarum Imagines, cum suis picturis antiquissimis coloratae; quemadmodum & in hypogaeo sub Presbyterio Diaconiae S. Nicolai in Carcere Tulliano. Alias complures Coemeteriorum Picturas praetermitto, videndas apud Aringhium in Roma Subterranea, unde integer Scripturarum Sacrarum Canon colligi potest, ab ipsis Martyribus, & Confessoribus CHRISTI, necnon a Decessoribus Gelasii adornatus.

Nec minori studio proximae post Sae-

Digitized by Google

Saeculum Gelasii aetates in Romanis Titulis sacram haereditatem Divinarum literarum per suos Presbyteros diligenter curarunt. Unus sit instar omnium Titulus S. Clementis; cujus Aram principem cum instauraret magnificentius felicis recordationis Emin. & Rever. D. Annibal Cardinalis Albanus S. R. E. Camerarius, relegens Magni Patrui sui Clementis XI. vestigia in eadem Aede Sacra excolenda, Marmor illud omni auro atque argento praetiosius invenit, antiquitus conversum in frontem Altaris; in quo legitur studium Gregorii ejusdem Tituli Presbyteri Cardin. sub Sancto Pontifice Zacharia in utriusque Testamenti Libris, intra Bibliothecam aut Sacrarium sui Tituli dedicandis, hac Epigraphe comprobatum:

ISRAELITICVS DO. OFFEREBAT POPV-
LVS RVRI
ALIVS QVIDEM AVRVM ALIVS. NAMQVE
ARGENTVM

Digitized by Google

LIBER HISTORICVS.

QVIDAM COQVE AES QVIDAM VERO PILOS CAPRARVM
INFELIX AVTEM EGO GREGORIVS PRIMVS PR̄ ALME
SEDIS APOSTOLICAE HVIVSQVE TITVLI GERENS
CVRAM AC BEATI SVPREMVS CLIENS CLEMENTIS
OFFERO DE TVIS HAEC TIBI X̄RE THESAVRIS
TEMPORIBVS SCIS̄S ZACCHARIAE PRAESVLIS SVMMI
PER MARTVREM ET S̄CM PARVA MVNVSCVLA TVVM
CLEMENTEM CVIVS MERITIS MEREAR DELICTIS CARERE
ATQVE AD BEATAM AETERNAM INGREDI VITAM
AISTI QVANTVM HABES REGNVM VALET CELORVM
SVSCIPE HOS DOMINE VELVTI MINVTA VIDVAE QVAESO
VETERIS NOVIQVE TESTAMENTORVM DENIQVE LIBROS

OCTA-

OCTATEVM REGVM PSALTERIVM AC PRO-
PHETARVM
SALOMONEM· ESDRAM STORIARVM
ILICO PLENOS
REQVIRE SYLLABARVM LECTOR SE-
QVENTIAM HARVM.

Poſtremus verſus hujuſce Inſcri-ptionis indicat aliam Tabulam Mar-moream, a Gregorio Presbytero non longe ab hac priori diſſitam fuiſſe col-locatam, in qua incidi curaverat ver-ſus, qui conſequebantur. Vix enim aliter poſſumus interpretari poſtrema illa verba, quae minutiori charactere inſculpta ſunt in calce illius Tabulae, ubi Lector jubetur inquirere conſecu-tionem ſententiae praecedentis, LE-CTOR REQVIRE SEQVENTIAM HARVM SYLLABARVM. Dolendum eſt, fuiſſe deperditam conſequentem illam par-tem donationis, ubi Gregorius enu-meraſſe credendus eſt, poſt Libros Ve-teris Teſtamenti, omnes, qui perti-nent ad Novum, adeoque integrum

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Canonem Sacrae Scripturae; ſi utriuſque Teſtamenti complexum Exemplar Titulo ſuo largitus eſt, ut in penultimo Verſu ſignificat; vel alia donaria cum ſuperius enumeratis libris oblata.

Mox, paucis interjectis, *Supereſt* (inquit) *nobis ſpicilegium non negligendum, quod colligamus, ex enumeratione Sacrorum Codicum in hac Epigraphe enunciatorum &c.* Exprimitur ibi Series librorum Veteris Teſtamenti, Hebraico Canoni reſpondens, dum enumerat primo Octateuchum, deinde Libros Regum, tertio Pſalterium, quarto Prophetas, poſtmodum Salomonem, tum Eſdram, denique libros Hiſtoriarum. Venerabilis memoriae Card. Thomaſius, non minus pietatis, quam eruditionis Eccleſiaſticae merito Romanae Eccleſiae adhibendus ad praetioſa ſua monumenta decoranda, ex Caſſiodorii libro *Divinarum Inſtitutionum* docet, ad quintum Saeculum (nempe Gelaſianum, de quo nunc agimus) eſſe hunc

Digitized by Google

hunc Ecclesiae Christianae morem potissime referendum, qui pertinet ad Sacrorum Bibliorum Editionem juxta Interprêtes lxx. & S. Hieronymi Veteres titulos. Ita vero orditur ab Octateucho Card. Thomasius, non secus ac iste Gregorius S. Clementis Presbyter in sua Epigraphe.

De Octateuchi (inquit), *idest octo Voluminum Geneseos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, atque Ruth Titulis ita scribit* Cassiodorus lib. *de Instit. Divin. Lit.* cap. I. *ut Textus memorati Octateuchi quodam nobis compendio panderetur, in principio librorum de universa serie lectionis Titulos ei credidimus imprimendos, a Majoribus nostris ordine currente descriptos &c.* Tum sequitur:

De Titulis librorum Regum, & Paralipomenon ita loquitur idem Cassiodorus, ut Regum quidem veteres habuisse titulos videantur, dum libris Paralipomenon novos se addidisse dicat &c.

Ter-

LIBER HISTORICUS.

Tertium Codicem *Prophetarum*, Quartum *Pſalterii* recenſet Caſſiodorius. Gregorius vero noſter, eadem diviſione in titulis Codicum retenta, praefert in Serie Pſalterium Prophetis, juxta ordinem ſcilicet temporis, buem ſervat Graeca Editio LXX. in vetuſtiſſimo Codice Vaticano Sixtinae Editionis; licet Hebraeorum Biblia Pſalmos,& Hagiographos,quos dicunt, libros poſtponant Prophetis. Quintum CodicemCaſſiodorius habet *Salomonem*, perinde ac Gregorius iſte Presbyter S. Clementis: in quo complectitur (ut obſervat Card. Thomaſius) quinque Libros, Proverbiorum ſcilicet, Eccleſiaſtis, Cantici Canticorum, Sapientiae, & Eccleſiaſtici. In Sextum Codicem congerit Libros octo, Hagiographorum nomine,& Hiſtoricorum mixtim expreſſos, nempe *Job*, *Tobiae*, *Eſther*, *Judith*, *Eſdrae* duos, & totidem *Machabaeorum*: qui reſpondent numero & ordini vetuſtiſſimi Codicis Ale-

Alexandrini, quem vocant Theclae, si primum excipias, nempe Job, quem Codex ille Alexandrinus Psalmis adjungit, & praeponit libris Salomonis, addito etiam ante Psalterium tertio, & quarto Machabaeorum. Gregorius Presbyter *Esdram*, & *Storiarum* vocabulo compendiosius enunciat Historicos illos simul, & Hagiographos, cum Esdrae Canonicis copulatos: nam Job cum Psalterio, ut pote ad Classem metricorum librorum pertinentem, una cum Proverbiis, Ecclesiaste, & Canticis ponunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, & S. Gregorius Nazianzenus, ut observant Ferrandus Summ. Bibl. lib. I. cap. ult. aliique agentes de Canone Scripturarum. Machabaeorum denique Libri duo claudunt censum Historicorum, adeoque nomina Generis, seu Classis istius *Storiarum* vocabulo significatae: in qua propterea Tabula videmus collectum Canonem Veteris Testamenti, pro more lxx. In-

Liber Historicus.

LIBER HISTORICUS.

LXX. Interpretum Editionis, in eaſdem Claſſes & Seriem diſtributum. Per haec igitur illuſtria documenta, in Romanae Eccleſiae Titulis, Baſilicis, Coemeteriis paſſim dedicata, ex antiquiſſimis Saeculis viget in noſtris Altaribus, Muſivis, Marmoribus, non ſecus ac in Bibliothecis, & Archivis genuinus Canon Sacrarum Scripturarum ab Apoſtolica aetate collectus, & per manus traditus continenti cura Pontificum Romanorum, qualem in Gelaſio probat Concilium Romanum ſub ipſo celebratum, & Conſtitutum illud de Eccleſia, quod enunciat Anaſtaſius Bibliothecarius.

Si quis vero & in Clementis Papae ac Martyris Epiſtola Saeculo I. & in Marmoribus Tituli S. Clementis Saeculo VIII Canonem Sacrorum Bibliorum recognoſcens, adhuc deſiderat in aliis Romanae Eccleſiae monimentis ejuſdem antiquitatis ſingulos Scripturae Divinae libros cognoſcere, videbit

bit expressum Heptateuchum in Musivis Basilicae Liberianae a S. Xisto III. constructis: Libros Regum, & Paralipomenon recognoscet in Historiis, Davidem exhibentibus funditorem in Pictura cubiculi tertii Coemet. Callixti *Tab. I. num.* 3. Eliam, atque Elisaeum insculptos Sarcophago Coemeterii Vaticani *pag.* 305 apud Aringhium Romae Subterr. *lib. II. cap. X.* Jobi historiam in Sarcophago Junii Bassi, in Cryptis Vaticanis reperto, & ibidem ad Confessionem SS. Apostolorum constituto, aliisque pluribus in Aringhio occurrentibus monumentis: Prophetas Majores, ac Minores recognoscet depictos in Basilica S. Pauli, aliisque Titulis, Diaconiis, ac Coemeteriis supra indicatis: Tobiae historiam & piscem, in pictura Coemeterii Callixti, Tabula scilicet tertia Cubiculi tertii num. 11. ubi & Jonas Propheta sub Cucurbita dormiens depictus est; sculptus vero in pluribus Sarcophagis passim

Digitized by Google

occurrit, & voratus a Ceto, & ad littus rejectus, & redivivus: Ezechielis Concio ad resurgentes pariter observatur in Anaglypho Vaticano apud Aringhium *Tom. I. pag.* 327. Daniel orans inter leones frequens occurrit, ut in Sarcophago Junii Bassi in Cryptis Vaticanis: tres Pueri in fornace illaesi: Susanna casta a Seniorum injuria & calumniis vindicata, in pluribus pariter Coemeteriorum Picturis & Anaglyphis apud eundem Aringhium, nempe in Vaticano, in Callixti, in S. Agnetis; denique Saphan, Volumen Legis ab Helcia repertum offerens Josiae, sculptus est in Anaglypho Veteris Sarcophagi reperti in Coemeterio Lucinae, & inde translato cum Reliquiis SS. Innocentium a Sixto V. in Sacellum intra Basilicam Liberianam a se magnificenter constructum ad Altare S. Luciae, cujus Imaginem excudit Aringhius Romae Subterran. *Tom. I. pag.* 423. cum pluribus utriusque

Digitized by Google

que Testamenti Historiis ibidem expressis.

CAPUT SEPTIMUM.

Historia Primi dissidii inter Fideles Antiochiae subortii, & ab Apostolis sublati per Literas Apostolicas, & per Missos Apostolicos, ex Actibus Apostolorum deprompta.

ACtorum cap. XIII. status Ecclesiae Antiochenae ita describitur vers. 1. & seqq.

Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, Prophetae, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manaben, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, *& jejunantibus, dixit illis* Spiritus Sanctus: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt*

LIBER HISTORICUS.

runt illos. Et ipsi quidem missi a SPIRITU SANCTO *abierunt Seleuciam, &c.* Post varias peregrinationes, & fundationes Ecclesiarum in Provinciis Asiae, Paulus, & Barnabas revertuntur Antiochiam, *ibi* cap. XIV. ubi legimus versu 25. *Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiae* DEI *in opus, quod compleverunt.* Abundabat itaque Ecclesia Antiochena viris Apostolicis, Prophetis, & Doctoribus, & tamen in ea suboritur dissidium de dogmate. Tum sequitur. Cap. XV. narratio dissidii suborti in dogmate apud Antiochenos, v. 1. & seqq. *Et quidam descendentes de Judaea, docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo, et Barnabae adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus, et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad Apostolos, et Presbyteros in Jerusalem super hac quaestione.*

De-

Delata causa ad Tribunal Apostolicum per viros ex utraque parte dissentiente lectos, quomodo hi susceptí fuerint, & quid inde consilii coeperint Apostoli, narrat *S. Lucas* vers. 4. & seqq. Et primo Paulus, & Barnabas susceptí, & auditi: *Cum autem venissent Jerosolymam, susceptí sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & Senioribus, annunciantes quanta* Deus *fecisset cum illis.*

Deinde contradicentes dogmati Apostoli Pauli, & Barnabae, suam dissidentem doctrinam proferunt, *ibi* v. 5. *Surrexerunt autem quidam de Haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi.*

Ita contestata causa, indicitur Concilium Apostolicum vers. 6. *Convenerunteque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.*

Magnae conquisitionis dissidium Definitione Beati Petri ita dirimitur, conquie-

LIBER HISTORICUS

quiescente ejusdem vocibus universa Ecclesia, & venerationis testimonium silentio suo conferente: *ibi* versib. 7. & seqq. *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus* DEUS *in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelii, & credere. Et qui novit corda* DEUS, *testimonium perhibuit &c.*

Dogmate Catholico exposito,& confirmato, increpat Petrus adversantes doctrinae Apostolicae *vers.* 10. *Nunc ergo quid tentatis* DEUM? *&c.*

Denique dogma Fidei ita definit, & controversiam dirimit *vers.* 11. *Per gratiam* DOMINI JESU CHRISTI *credimus salvari, quemadmodum & illi*.

Ecclesia universa, silentio facto, recipit, ac veneratur definitionem Principis Apostolorum: ita ut, sublata omni dubitatione, jam nemo adversetur, aut mussitet, *ibi* versu 12. sed audiat *Barnabam, & Paulum narrantes ... signa, & pro-*

Digitized by Google

prodigia in Gentibus a DEO per ipſos patrata, eodem verſ. 12. *Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes quanta* DEUS *feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos.*

Jacobus Apoſtolus Hieroſolymorum Epiſcopus exemplo ſuo ſtatim docuit, quomodo definitioni Petri non ſolum veneranter accedere debeat Eccleſia, ſilentio conteſtans, fuiſſe pacata per ejus auctoritatem univerſa diſſidia in dogmate; ſed etiam quomodo Epiſcopis Apoſtolorum Succeſſoribus, Primae Sedis judicio ſententiam & mandata ſua omnino conformia proferre neceſſe ſit, cum per os Petri expoſitum fuerit dogma Catholicum, indicans modum juxta vaticinia Prophetarum a DEO inductum ad omnes Gentes edocendas: *ibi* verſ. 13. & ſeqq. *Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me. Simon narravit, quemadmodum primum* DEUS *viſitavit ſumere ex Gentibus Populum nomi-*

LIBER HISTORICUS.

nomini ſuo. Et huic concordant verba Prophetarum &c. propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad DEUM.

Addit e re Chriſtiana fore, ut Epiſtola Synodica perſcribatur, explicans praxim, quam tenere debeant Judices in obtemperando Decretis Apoſtolicis ſuper Legalibus: quandoquidem omne diſſidium doctrinae ſublatum fuerat voce Petri, & ſilentio Eccleſiae Petro aſſentientis: *Sed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.*

Ceteri Apoſtoli, Presbyteri, & omnis Eccleſia his aſſenſum praebentes, ut praxis doctrinae, & diſciplinae Apoſtolicae apud Antiochenos impoſterum ſervandae felicius procedat, conſtituunt, ut non modo perſcribatur ab Apoſtolis, & Senioribus Epiſtola Synodica, ſed etiam Miſſi Apoſtolici cum iiſdem literis dirigantur ad Antiochenos. Quot autem,

Digitized by Go

autem,& quales,declarat Sacer textus, *ibi* verſ. 22.

Non modo remittendos judicant ad eos cum mandatis duos illos, qui venerant, Paulum, & Barnabam, ſed etiam totidem e Hieroſolymis ad eos ablegandos, *Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam Viros primos in fratribus*: & infra verſu 32. de iiſdem aſſeritur, quod eſſent Prophetae, *Judas autem, & Silas; & ipſi cum eſſent Prophetae etc.*

Quales itaque viros elegerint, qualeſque eligendi ſint qui mittantur cum literis Decretalibus Apoſtolorum ad praxim obedientiae a Fidelibus exigendam, docent Apoſtoli in ſua Synodica, *ibi* verſu 25. *Placuit nobis collectis in unum eligere viros, et mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnaba, et Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine* Domini *Noſtri* Jesu Christi.

Hoc pertinet ad mores miſſorum

LIBER HISTORICUS.

Ad doctrinam refertur, quod paulo post Lucas recenset, fuisse Prophetas etiam Judam, & Silam.

Hac itaque methodo usi Apostoli in proponenda, cognoscenda, & judicanda controversia, & in praxi judicii a fidelium obedientia exigenda, feliciter sustulerunt omne dissidium, & pacem Ecclesiae contulerunt, *ibi* vers. 33. *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos.*

CAPUT OCTAVUM.

De Cruce Stationali S. R. Ecclesiae omnium Matris & Magistrae.

(Ex Schedis Francisci Blanchini.)

IN Cruce Stationali Sacrosanctae Romanae Ecclesiae omnium Matris & Magistrae, collecta proponitur summa Christianae Sapientiae: hoc est praeci-

cipua Catholicae Fidei Mysteria in eadem expressa ostenduntur. Exordium doctrinae rite desumitur a primo articulo Symboli Apostolici, aeque incluso in Signaculo Crucis, ac in Historia Creationis Mundi, & Redemptionis ibidem expressa; ubi unius Dei confessio, ac Trium Personarum distinctio, Verbi Incarnatio, & humani Generis reparatio in Jesu Christi Dei & Hominis morte annunciatur.

Figurae historia, atque expositio Crucis Stationalis.

Figura exhibet Crucem, quam vocant Stationalem, Sacrosanctae Basilicae Lateranensis, Romanam Ecclesiam referentis omnium Matrem ac Magistram. *A.*

Eadem Crux ex veteri consuetudine praefertur Clero in publicis Supplicationibus, quemadmodum Constantinopoli praeferebatur signum Crucis

Digitized by Google

in Litaniis quarto CHRISTI Saeculo aetate Chryſoſtomi, eodemque Saeculo Hieroſolymis adorandum proponebatur, reducto velo: & ante quartum Saeculum Romae erigebatur in Titulis, incidebatur in loculis Martyrum, et ipſis in Confeſſionibus Apoſtolorum (quae idcirco a Cajo antiquo Theologo apud Euſebium vocantur Trophaea); cum ab hoc ſigno ſalutari, Fidei noſtrae ſignaculo, et Chriſtianae Religionis ac Sapientiae compendio, ex traditione Apoſtolica omnis proceſſus, et egreſſus, actuſque vitae ſit inchoandus, ut oſtendi poſſet ex Patribus.

Ordo Romanus memorat, Crucem Stationalem ab Altari fuiſſe deſumptam in Baſilicis Patriarchalibus, quoties eſſet publice procedendum ad Stationes. In Muſivis operibus earundem Baſilicarum viſitur Crux iſta in Altari erecta. In Lateranenſi quidem, Muſivum Abſidis a Conſtantino Maximo conditum, et a Nicolao IIII. reparatum

tum(teſte Caſalio de Sac.Rit.Chriſtianorum) quale fuerat ſub Conſtantino, oſtendit Crucem Stationalem Agni myſtici figura ornatam, et reliquis ſymbolis, quae ab eodem Auctore delineantur, et exponuntur. In Vaticana, opus vermiculatum Abſidis Conſtantinianae ab Innocentio PP. III. elegantiſſime reſtitutum, Crucem Stationalem exhibet in Ara, ubi Agnus Immaculatus offertur. Ibidem figura et nomen exprimitur Eccleſiae Romanae, vexillum Crucis explicans. Vide Notas Cl. Ciampinii de Sacr. Aedific. a M.Conſt. conſtr. cap.4, unde figura deſumpta eſt. In Baſilica Liberiana Muſivum opus Sixti Papae III. adhuc ſuperſtes in Arcu triumphali, exhibet in orbe medio Crucem immobilem ibi conſtitutam, et minorem Crucem Stationalem Altari impoſitam et velo obductam, ad indicanda Myſteria in hoc principe Religionis noſtrae ſymbolo incluſa. Vide figuram

H.

I.

K.

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

apud eundem Cl. Praesulem Ciampinium, Vet. Monim. Tom. I. pag. 200 : & peculiare Opusculum, quod Em. Card. Noris. nuncupavit, de eadem Cruce Basilic. Lateran., in quo ejus antiquitatem observat p. 12. figuram profert, et anaglypha interpretatur ibidem insculpta. Crucem alteram minus vetustam, et instauratam anno 1451. ibidem addit pag. 23. quae una cum superiori defertur in publicis Supplicationibus.

Utramque Crucis imaginem, Titularem, ac Stationalem, sive immobilem, et portatilem, debemus Apostolico Saeculo, et proxime subsecutis. Nam in Cryptis SS. Martyrum passim obsignantur eorundem loculi monogrammate ☧, sive ☧, CHRISTI DOMINI Nomen et ✠ Crucem exprimente. Quocirca etiam in Confessionibus SS. Apostolorum Petri et Pauli aurea Crux immobilis librarum CL. singillatim constituta fuit a Constantino Maxi-
L. mo, uti narrat Liber Pontific. in vita Sil-

Silvestri. Quin etiam in camerisSubter-
raneis Coemeteriorum, praecipue ubi
Sacramentum Baptismi erat admini-
strandum, non secus ac in Titulis Ur-
banis eidem ministerio addictis, Crux
immobilis efformabatur, qualem edi-
dit ex Coemet. Pontiani To. I. pag. 381.
Aringhius Vir Doctissimus Romae Sub-
ter. lib. II. cap. xxii. Portatilem vero
Crucem videmus in vetustissima Icun-
cula S. Petri ex aere efformata circa
Saeculum Constantinianum, & a Bel- M.
lorio edita ex proprio Cimeliarchio,
una cum Lucernis Christianorum ejus-
dem aetatis, quae Stationalis & por- N.
tatilis Crucis figuram similiter exhi-
bent.

Hinc etiam in plerisque Marmori-
bus sive Sarcophagis Christianorum il-
lius aetatis, et in Musivis Titulorum
vetustiorum persaepe repraesentantur
imagines S. Petri, Crucem portatilem
deferentes, aliorumque Sanctorum
Icones, quae tam apud Graecos, quam
apud

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

apud Latinos ſimili forma exhibentur.

Conſtantini etiam aetate procuſi Nummi exprimunt Crucem in Ara extantem, ſupra loculum Confeſſionis
O. ſcilicet poſitam, ubi Altare conſtructum fuit: & portatilem in Labaris, & Globo oſtendunt Numiſmata quamplurium Augg.

Crucem vero portatilem ab Altari B. Petri deſumi conſueviſſe, ut Clero praeferretur ad Stationes procedenti
P. per Subdiaconum Regionarium, paſſim declarant Rituales libri veteres, Ordo Romanus, Petrus Mallius, aliique ante complura Saecula conſcripti, & nuper editi a Mabillon, & a Ciampinio producti in Opuſculo de Cruce Stationali pag. 8. & ſeq.

Carolus Magnus, exemplum Conſtantini Auguſti imitans, Crucem obtu-
Q. lit Baſilicae Lateranenſi, quam Leo III, teſte Anaſtaſio in ejus Vita, *in Litania praecedere conſtituit ſecundum petitionem ipſius piiſſimi Imperatoris*.

In

Digitized by Google

In ejuſmodi autem Cruce Stationali Baſilicae Lateranenſis, inter donaria Caroli Magni numerata, & Stationibus addicta per Leonem III, figuras & hiſtorias, CHRISTI Myſteria exprimentes, jam tum inciſas fuiſſe ſuadent exempla aetatis illius, quae colliguntur ex Libro Pontificali. Nam ipſemet Leo III. in Eccleſia Ravennati ſimile quidpiam *exhibuit ſuper Altare ipſius Sacrae Baſilicae, ob honorem Omnipotentis* DEI, *& B. Petri Apoſtoli, de cujus donis, ac datis fecit veſtem ſericam roſatam, habentem in medio Crucem de chryſoclaro cum orbiculis, et roſas ſericas, habentes hiſtorias Annunciationis, ſeu Natalis* DOMINI *Noſtri* JESU CHRISTI, *atque Paſſionem, et Reſurrectionem, necnon et in Caelos Aſcenſionem, atque Pentecoſten, ornatas in circuitu ſimili modo, ſicut et Crucem de chryſoclaro.* Opere igitur non diſſimili elaboratam cernimus aetate Leonis Papae III. & Caroli M. Crucem hanc Stationalem,

R.

LIBER HISTORICUS.

orbiculis ornatam, in quibus anaglypha, utriusque Testamenti historias figurant, ad praecipua nostrae Fidei mysteria recolenda, quae in signaculo Crucis concludimus, maxime conducentes.

Eadem vero aetate usum ejusmodi anaglyphorum in laminis quoque exprimendorum viguisse docet ipsemet
S. Anastasius in Vita Hadriani I. qui Leonem III. proxime antecessit. In aureis enim laminis, quibus obduxit Confessionem B. Petri, ita figuravit Apostoli gesta opere anaglypho, uti Leo in orbiculis sericis Cruci appositis acu phrygiari jussit Historiam Actorum CHRISTI DOMINI. Uterque sequutus majorum exempla. Quingentis enim annis ante Leonem III. Constantinus
T. Maximus, inter donaria B. Petro a se oblata, construxerat *candelabra quatuor ex aurichalco, argento conclusa, cum sigillis argenteis, unde Actus Apostolorum*
V. *cernebantur* (ait Anastasius): *et ante* Cor-

Corpus B. Laurentii Martyris in agro Verano argento concluserat sigilla Passionis ipsius cum lucernis in myxis argenteis.

Quemadmodum igitur in Confessionibus Apostolorum & Martyrum committebantur eorum Gesta laminis aureis & argenteis opere anaglypho aetate B. Silvestri, & Constantini; ita plerumque in ornatu ad Crucem Dominicam pertinente figurari consueverunt mysteria, quae in Crucis signaculo collecta recolimus ex Apostolica traditione, ea scilicet oracula Divinarum Scripturarum, quae, juxta Patrum interpretationem, Unitatem Dei, ac Trinitatem Personarum declarant, & quae dispensationem Dominicam in carne Salvatoris annunciant. Haec enim universa condiscimus cum Paulo Apostolo in Cruce Domini Nostri Jesu Christi: in qua una propterea gloriari cum ipso volumus, nihil arbitrati nos scire, nisi solum Jesum, et hunc Crucifixum. X.

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

A Trinitatis igitur revelatione Mysteria Crucis inchoans cum Divinis Literis Ecclesia Romana, proponit in editiori parte Crucis Stationalis rerum omnium originem ex cap. I. Geneseos, unde DIVINARUM PERSONARUM notionem, & commune opus in prima Mundi & Hominis Creatione, CHRISTI reparationem adumbrante, cognoscimus. Hinc etiam literas A & Ω Cruci frequenter addit ex veteri consuetudine, in Cryptis Coemeterialibus Sanctorum Martyrum observata; quae juxta Joannis Apocalypsim ostendunt, CHRISTUM DEI Verbum nobis in Cruce revelatum, unum DEUM ac DOMINUM Nostrum cum PATRE, & SPIRITU SANCTO esse rerum omnium Principium, & Finem, Principium quod loquitur nobis, & Finem Legis, eundemque nos credere ac profiteri, *qui in principo erat* VERBUM, *et* VERBUM *erat apud* DEUM, *et* DEUS *erat* VERBUM: *et qui in principio creavit* DEUS *Caelum et Terram*.

Osten-

Ostendere jam oportet, ex Apostolica Traditione Crucis signaculi ad nos derivati accepisse Matrem ac Magistram nostram Ecclesiam Catholicam id quod docet, nempe summam Christianae Sapientiae; ejusque exordium duci oportere ex duplici mysterio Fidei nostrae praecipuo, Unitatis Dei in Trinitate Personarum, & Incarnationis, Mortis, Resurrectionis, et Gloriae Domini Nostri Jesu Christi, in eodem signaculo Crucis manifestato: quam originem ac traditionem exponimus cap. sequenti.

A. Figura edita a Clarissimo Ciampinio in Opusculo *de Cruce Stationali*, & in *Vet. Monumentorum* Tom. 2. cap. 6. pag. 44.

B. Socrates lib. 6. cap. 8. Sozom. lib. 8. cap. 8. & Baron. ad annum 397. num. 2. ex Epistolis S. Paulini.

C. Vide Baron. ad ann. 112. num. 4.

D. Cajus Theologus apud Euseb. *Hist. Eccle-*

LIBER HISTORICUS.

Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 25.

E. Tertullianus lib. *de Corona Mil.* cap. 3. pag. mihi 340. & S. Ambroſ. Tomo 3. Serm. 43. Vide Confeſſ. Ambroſ. pag. 427.

F. Ordo Romanus a Mabillonio editus, & a Ciampinio productus locis indicatis lit. A.

G. Caſalius *de Sacris Ritib. Chriſtian.* pag. 2.

H. Ciampinius *de Sacr. Aedif. a Magno Conſtant. conſtructis* pag. 42. cap. 4. Sect. 2.

I. Ibi pag. 48. A.

K. Ciampinius *Vet. Monum.* Tomo I. pag. 200.

L. Liber Pontific. *in Vita Silveſtri.*

M. *Lucernae Sepulchr.* Bellorii fol. 161,

N. Ibi, & apud Ciamp. in Opuſc. *de Cruce Stationali* pag. 6.

O. Du Cange *Conſtantinop. Chriſtian.* Tab. prima.

P. Vide ap. Ciamp. *de Cruce Stationali* pag. 8.

Q. Edit.

Q. Edit. Labb. Concil. Gen. Tom. 7. col. 1083. A.
R. Ibi pag. 1104. lit. E.
S. Edit. Labb. Concil. Gen. Tomo 6.
T. Lib. Pontif. *in Vita Silvestri*.
V. Ibi.
X. Tertull. loco indicato lit. E.

CAPUT NONUM.

Origo signaculi Crucis, ejusque mystica indicatio servata ex Apostolica traditione in praecipuis Ecclesiae ritibus.

SIgnaculum Crucis Christi non modo complectitur monimenta verbi Divini scripto consignati in utriusque Testamenti tabulis, ac Mysteriis; verum et Apostolicae Traditionis, seu verbi Divini non scripti, et ab Apostolis Ecclesiae per manus traditi est documentum ac testimonium maxime illustre.

Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, et exitum, ad vestitum,

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

tum, et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, (inquit Tertullianus de Cor.Mil.cap. 3.) *quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus*. Cujus signi legem nullam asserit scriptam esse; verum haberi ex Apostolica consuetudine ac traditione: *Harum*, ait, *& aliarum ejusmodi disciplinarum si legem exposcules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

Traditio ista non scripta, sed Apostolicis moribus, quasi quibusdam manibus, Ecclesiae commendata, viguit perennis & viget in cujuscumque actionis exordio; sed potissimum frequentata est in Sacrorum administratione. Nam Crucis signaculo consuevit Ecclesia Catholica tam Latinis, et Graecis, quam Syris, Aegyptiis, ceterisque Nationibus Ritus Sacramentorum inchoare, et perficere.

In

In Scrutiniis, quae adhibebantur adultis ante Baptiſmum, a Crucis traditione, ejuſque conſignatione ſuper Electi frontem per manus Presbyteri, Acolythi, et Patrini, ex vetuſtis Adminiſtrationum Codicibus a Gregorio XIII. editis, et ex recentioribus per proximos Pontifices evulgatis etiam in Baptiſmo infantium, initium ſumitur.

Profecta eſt pariter ab Divina et Apoſtolica Traditione Crucis adoratio, quae ſalutis noſtrae Auctorem Christum Dominum, Unum Deum cum Patre, et Spiritu Sancto, in ea reſpicit, tanquam in ſignaculo, annulo, charactere ſuo nobis propoſitum. Diſerte id recenſetur in quinto libro Apologiae B. Leontii Epiſcopi Neapoleos Cypri pro Chriſtianis adverſus Judaeos: quam publice recitari juſſerunt in Synodo Nicaena ſecunda Legati Sedis Apoſtolicae per Stephanum Diaconum et Notarium: *Agedum*, inquit, *& deinceps de venerabiliter pictis Imaginibus Apologiam*

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

giam texamus; quo eorum ora, qui impietatem garriunt, obturentur. Haec est enim ipsa Legalis Traditio. *Audi vero* DEUM *dicentem ad Moysen: Imagines duas Cherubim aureas sculptas facies, obumbrantes Propitiatorium &c.* Et paulo post addit: *Igitur si de Imaginibus me arguis, redargue ipsum* DEUM, *qui haec in memoriam eorum, quae apud nos sunt, fieri jussit. Judaeus dixit: sed ejuscemodi similitudines non adorabantur ut Dii, tantummodo in recordationem fiebant. Christianus dixit: recte dixisti. Neque enim apud nos ut Dii adorantur Sanctorum Imagines, typi, characteres. Nam si* DEOS *in ligno imaginis adorarent, futurum esset, ut omnes & reliqua quoque ligna adorarent: si vero ut* DEUM *adorarent lignum, non sane ubique extincto charactere imaginem exurerent.*

Ego vero quatenus duo ligna Crucis colligata sunt, typum quidem adoro propter CHRISTUM, *qui in eo crucifixus est: cum vero fuerint dissoluta a se, abjicio*

Digitized by Google

cio ea, & exuro quoque. Et quemadmodum qui mandatum Imperatoris ſuſcepit, illius ſigillum oſculando, non ipſam ceram, aut characterem, aut plumbum venerantur; verum Imperatori ipſi venerationem, et cultum exibuit: ita quoque Chriſtianorum filii typum Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed ſigillum, & annulum, & characterem, CHRISTUM *ipſum aſpicientes: per hoc eum, qui in illo crucifixus eſt, ſalutamus, & adoramus.* Et paulo infra:

Hinc etiam, propter CHRISTUM, CHRISTIQUE *Paſſiones, paſſim in Eccleſiis, in domibus, & foro, in picturis, in ſindonibus, in promptuariis, veſtibus, omnibus denique locis hanc figuram ponimus; quo continuo contemplantibus nobis haec, in mentem veniant, & non obliviſcamur, quemadmodum tu oblitus es,* DOMINI DEI *tui &c.* Et paucis interpoſitis:

Tu vero cum me criminaris, quod, ut DEUM, *lignum Crucis adoro, quid eſt, quamobrem non vertis in crimen, Jacob*

LIBER HISTORICUS.

adorantem in ſummitate baculi Joſeph? Sane manifeſtum eſt, quod lignum non adoravit, ſed per lignum, Joſeph; quemadmodum nos per Crucem, CHRISTUM.

Duo itaque ſunt hinc deducenda corollaria. Primum eſt, ex Traditione Divina ita doctos fuiſſe per Moyſen Judaeos, ut ſcilicet imaginem futurorum, ſive myſteriorum CHRISTI proponerent publicae venerationi in ſculptis imaginibus Cherubim, protegentibus Propitiatorium; quemadmodum eadem myſteria, completa in ſigno Crucis, veluti ſignaculo, annulo, & charactere CHRISTI, exprimendi conſuetudinem ab Apoſtolicis acceperunt Chriſtiani. Alterum eſt, ut Diſcipuli Apoſtolorum, intelligentes haec ipſa Fidei Catholicae myſteria comprehendi in Cruce CHRISTI tanquam in ſigillo, annulo, charactere divinitus inſtituto, Crucis figuram ubique imprimerent, & oſcularentur; exprimerent etiam digitis in re Divina;

Digitized by Google

na; & fronti, oculis, ori, pectori, manibus commendarent; aliquando etiam componerent cum Monogrammate seu nomine Jesu Christi, eumque in Cruce sua ita expressum maximo venerationis cultu ubique prosequerentur.

Utrumque igitur corollarium ex Apostolica Traditione ad nos emanasse tam perspicuum est, quam quod maxime. Intueri enim licet ubique Gentium Liturgias Catholicorum, & Sacramentorum ritus ab hoc signaculo consecrari; sive Latino more extensa manus Crucem figuret, sive addat ex Graecae Ecclesiae institutis conformationem digitorum, Jesu nomen in Cruce exprimentium. Observare licet Martyrum cryptas, signacula, Titulos Cruce insignitos, additis literis A & Ω, quae Fidei nostrae auctorem & consummatorem, principium & finem, Dominum scilicet Jesum in signo Crucis a nobis adorandum testantur. Et quantum quidem per-

LIBER HISTORICUS.

adorantem in ſummitate baculi Joſeph? Sane manifeſtum eſt, quod lignum non adoravit, ſed per lignum, Joſeph; quemadmodum nos per Crucem, CHRISTUM.

Duo itaque ſunt hinc deducenda corollaria. Primum eſt, ex Traditione Divina ita doctos fuiſſe per Moyſen Judaeos, ut ſcilicet imaginem futurorum, ſive myſteriorum CHRISTI proponerent publicae venerationi in ſculptis imaginibus Cherubim, protegentibus Propitiatorium; quemadmodum eadem myſteria, completa in ſigno Crucis, veluti ſignaculo, annulo, & charactere CHRISTI, exprimendi conſuetudinem ab Apoſtolicis acceperunt Chriſtiani. Alterum eſt, ut Diſcipuli Apoſtolorum, intelligentes haec ipſa Fidei Catholicae myſteria comprehendi in Cruce CHRISTI tanquam in ſigillo, annulo, charactere divinitus inſtituto, Crucis figuram ubique imprimerent, & oſcularentur; exprimerent etiam digitis in re Divina;

na; & fronti, oculis, ori, pectori, manibus commendarent; aliquando etiam componerent cum Monogrammate seu nomine Jesu Christi, eumque in Cruce sua ita expressum maximo venerationis cultu ubique prosequerentur.

Utrumque igitur corollarium ex Apostolica Traditione ad nos emanasse tam perspicuum est, quam quod maxime. Intueri enim licet ubique Gentium Liturgias Catholicorum, & Sacramentorum ritus ab hoc signaculo consecrari; sive Latino more extensa manus Crucem figuret, sive addat ex Graecae Ecclesiae institutis conformationem digitorum, Jesu nomen in Cruce exprimentium. Observare licet Martyrum cryptas, signacula, Titulos Cruce insignitos, additis literis A & Ω, quae Fidei nostrae auctorem & consummatorem, principium & finem, Dominum scilicet Jesum in signo Crucis a nobis adorandum testantur. Et quantum quidem per-

LIBER HISTORICUS.

pertinet ad Crucis conſtructionem etiam aetate Martyrum, ejuſque myſteria, & adorationem, praeclarum teſtimonium ejus rei recitatum fuit in eadem Synodo Nicaena ſecunda ex Martyrio B. Procopii, Geſtiſque Neaniae; quem Acta declarant, aetate Diocletiani veniſſe Scythopolim; & Crucis conſtructionem demandaſſe artifici Marco, ab aurifabrorum, & argenti fuſorum Collegio ſibi propoſito, cujus imaginis myſterium ſpoponderat ſe Regi occultaturum: *Perſuaſus itaque Marcus, in abdito ex auro & argento noctu Crucem fabricavit. Cum autem opus conſummatum erigeretur, tres in eo imagines apparuerunt, Scriptum autem erat Hebraica dialecto in ſuperiore parte, Emmanuel, & utrimque in ſummitate alarum, Michael, & Gabriel. Voluit autem Marcus ſibi timens expungere imagines: verum non potuit. Confeſtim enim manus illi ſicca permanſit. Sub gallicinium autem Dux, qui dicebatur Neanias, ad Aedes*

des Marci, quo Crucem auferret, properat. Videns autem illam, protinus adoravit. En igitur in Actis Martyrum ante Concilium Nicaenum & consuetudo legitur Crucis efformandae, ex auro & argento, & mysteriorum in ea occultandorum, ejusque adorandae: quae omnia in Persecutionibus clam Diocletiano ex antiqua disciplina Martyres fieri curabant. Sequuntur Acta: ac de imaginibus Cruci impressis interrogantem describunt Neaniam.

CAPUT DECIMUM.

De Paschalis temporis delectu, & mysteriis. Sanctorum Patrum diligentia in iis procurandis. Cur Nicaena Synodus eam curam demandaverit Ecclesiae Alexandrinae? Hujus praestantia declaratur in Mathematicis.

(Ex Schedis Francisci Blanchini Parui.)

PAschalis Festi ordinandi cura solertior ita exercuit Ecclesiae diligen-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

gentiam, ut cum ista sapienter psallere CHRISTO DOMINO ubique gestiat, in hoc tamen celebrando mysterio colligere satagat, quidquid in ceteris disciplinae, quidquid est sacramenti DEO auctore atque institutore divisum. Nova enim & vetera Dilecto suo servans, Temporis, & Mundi primitias illa die dedicat, quam fecit DOMINUS mense novorum, anni exordio, quando utriusque Luminaris radii Terrae universae sui copiam praebent, maximo aequinoctiorum circulo, proferente omnibus late Populis quidquid lucis ab utroque Sydere vel emittitur, vel reflectitur. In hac scilicet magnificentia fulgoris praedicandum quotannis ducit Divinae Sapientiae consilium, a constitutione quidem Mundi reconditum, revelatum vero in ea plenitudine temporum, quam Aeternus Dierum supremam morti constituens a se obeundae simul, ac perimendae, restituti hominis immortalitati principem dedicavit.

Digitized by Google

vit. Quadam igitur pompa mysterii omnium aetatum Patres exercuisse videtur Ecclesia in omnibus disciplinae numeris Paschali Festo tribuendis; quamvis se Christi libertate solutam agnosceret a prisca coeremoniarum Religione per Moysen tradita. Quin etiam eo diligentius intendit animum ad novam Christiani Paschatis disciplinam sancte custodiendam, quo se felicius exemptam agnovit ab umbra Veteris instituti, & in aperta luce veritatis Euangelicae collocatam. A primis itaque Saeculis studiosam hanc sollicitudinem auspicata, nihil de illa contentione remisit aetate nostra. Memorat enim Polycarpum Joannis Apostoli auditorem, totiusque Asiae Principem, Romam accitum ab Aniceto, ut subortas de Paschate quaestiones componeret. Sequenti Saeculo addictos fuisse videt Clarissimos Patres condendis Paschalibus regulis, & Cyclis disponendis. Nam Victor, & Irenaeus

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

naeus ſub Severo, Hippolytus Epiſcopus ſub Alexandro, Cyprianus ſub Valeriano, Zeno Veronenſis ſub Gallieno illuſtria hujus curae monimenta in Occidente reliquerunt: & in Palaeſtina Theophilus, in Aſia Anatolius, Corinthi Bacchylus, qua Conciliis coactis, qua Scriptis editis, omnium Regionum induſtriam excitaverunt. Ut vero ſub Conſtantino reſpirare viſa eſt Eccleſia ſuperioribus a Tyrannis vexata, nihil antiquius habuit in prima illa Nicaena Synodo, poſt Verbi Divinitatem aſſertam, quam ut ejuſdem Verbi Paſchale myſterium ſapientiſſime ordinaret. Adhibendos itaque cenſuit ad eam curam Pontifices Alexandrinos, utpote qui abundarent omnibus praeſidiis diſciplinarum, quas neceſſarias fore praeviderat ad utriuſque Luminaris motus certis legibus explicandos; ne quid non optimum dedicaretur DEI Sapientiae ex iis, quae hominum mentibus a DEO data, ſtudio & in-

& industria perfici potuissent. Alexandriam vero viderat hac laude florere, non modo veteri Gentis instituto (unde a Sacerdotibus Aegyptiis utraque Graecia in Thalete, Pythagora, & Platone hujusmodi studiis fertur imbuta); verum & recenti delectu *C. Julii Caesaris Dictatoris*; quum is, Civilem annum ordinaturus, ab Alexandrina Schola Sosigenem accersivit. Cumulaverat Majorum laudes sub Ptolemaeo Epiphane Eratosthenes Cyrenaeus Bibliothecae Alexandrinae Praefectus, armillis constitutis ad observanda Aequinoctia. Easdem laudes compleverat Ptolemaeus libris Magnae Syntaxeos, Alexandrinae Scholae concontraditis: quos deinde praelectos per plura Saecula ibidem novimus, una cum altera Collectione, quam nomine μίκρου ἀστρονόμου ex Pappo memorat Vossius. Ut vero priscus ille Judaeorum Doctor & Legislator Moyses, qui Paschales ritus Deo mandante primus

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

instituit, eruditusi fuisse traditur in omni sapientia Aegyptiorum, prius quam divinitus adhiberetur ad Neomeniarum, & Paschatis, aliorumque Festorum scribendas leges; ita etiam praecipui Patres in Alexandrina Ecclesia nati, vel educati, ad Christiani Paschatis mysteria aptis temporibus explicanda atque ordinanda caelitus dati, humana illa praesidia non neglexerunt, quae ab Astronomicis institutionibus Scholae potissimum domesticae hauriri poterant. Certe Anatolius Patria Alexandrinus, ad Laodicensem Episcopatum in Asia Minori assumptus (cui primam tribuunt applicationem Enneadecaeteridos Methonicae ad usum Paschalem) ita excelluit in Mathematicis, ut de illo scribat Eusebius *Eccl. Hist.* lib.7. cap.32. pervenisse ad summum apicem Arithmeticae, Geometriae, atque Astronomiae; ad haec, & Dialecticae, & Physicae, & Rhetoricae supremum ad fastigium pervenisse:

se: eoque nomine rogatum ab Alexandrinis, ut Aristotelicae successionis Scholam ibidem instituerent. Hieronymus vero judicat, ejus ingenii magnitudinem, de Volumine quod super Pascha composuit, & ex decem libris *de Arithmeticae Institutionibus*, intelligi posse. Quot ante ipsum floruerint, quot etiam postea sequuti sint in ejusdem Patria Christiani Doctores, a Claudii Ptolemaei, ad Theonis, & Pappi aetatem, dispositi serie propemodum continenti, ostendunt praeclara illa nomina Clementis, Origenis, Heraclae, Dionysii, Theophili, Cyrilli: quorum plerique cum Theologicis, etiam Astronomica Studia junxerunt; rati fortasse cum Synesio, Astronomiam esse continentem quendam trajectum, (ut ipse eleganter definit), ad reconditam Theologiam. Quare & eorumdem Cycli perpetui, & Paschales Epistolae ad aetatem nostram pervenerunt. De Clemente Pantaeni auditore,

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

re, juxta quandam veterem in Alexandria consuetudinem (ubi , a Marco Evangelista, semper Ecclesiastici fuere Doctores) tradit Hieronymus , scriptum ab eo librum *de Pascha* . Idem Hieronymus de Origene a Clemente erudito haec dictavit : illud de immortali ejus ingenio non tacens , quod Dialecticam quoque , & Geometriam , & Arithmeticam , & Musicam , & Grammaticam, & Rhetoricam , omniumque Philosophorum Sectas ita didicit ; ut studiosos quoque Saecularium Literarum sectatores haberet,& interpretaretur eis quotidie , concursusque ad eum miri fierent:quos ille propterea recipiebat, ut sub occasione Saecularis Literaturae in fide CHRISTI eos institueret . Heraclam , ex Origenis Schola , ad Thronum Alexandrinae Ecclesiae vocatum , admiratione tanta prosequutus est Africanus (celeberrimus ille Temporum Scriptor) , ut narret, se profectum fuisse Alexandriam , He-

Digitized by Google

Heraclae fama & existimatione incitatum, quam in Philosophia, aliisque Graecorum Disciplinis maximam obtinebat. Dionysium, Theophilum, Cyrillum Alexandrinos Antistites, Paschalium Canonum, ut ita dicam, sequestres & conditores, ostendunt eorum monumenta. Quae si deficerent, unus posset Synesius Cyrenensis, a Theophilo datus Episcopus Ptolemaidi, aetatis, & Patriae suae gloriam asserere in Mathematicis, & in Astronomicis praesertim exercitationibus, quae Paschali computo habendae sunt proximiores: cum & Hipparchi inventa theorematibus, ac problematibus a se perfecta demonstret in eo Libro, quem *de Astrolabio* conscripsit.

Merito igitur Nicaenae Synodi providentia praeferebat in Paschalibus computis Ecclesiam Alexandrinam, quam Studiis Astronomicis florere prae ceteris & excellere animadverterat. Poterant equidem plerique Patrum Grae-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

Graecorum, ac Latinorum non immerito pertractare Mathematicorum quaeſtiones; cum plurimi eorum prodirent e Schola Platonis, quam ſcilicet ingredi nemo poterat inexpertus Geometriae, juxta legem illam Ὅτι μὴ ἄριστο ἀγεωμητρητος, Academiae ſuae veſtibulo a Platone praefixam. Inde proceſſerat Juſtinus Martyr; ut ipſe de ſe teſtatur apud Euſebium: frequentaverant vero eandem plurimi e Patribus, etiam Latinis: quare & ejuſdem Philoſophi libros maxime commendarunt; uti Simplicianus, & Auguſtinus: vel Commentariis illuſtraverunt; ſicuti Ambroſius: ſive etiam Latinitate donarunt; quod praeſtitit Victorinus.

Neque deerant in Occidente Aſtronomi ſatis periti, qui motuum Caeleſtium Canones probe tenerent, quantum ea tempora ferabant; cum & *Claudius* Imperator Eclipſim Solis Edicto praediceret; *Domitianus* Lunae poſi-

Digitized by Google

positum; *Menelaus* sub *Trajano* obscurationes Solares; sub *Gordiano Censorinus* aureum Opusculum ederet de die Natali: ut copiam Astrologorum praeteream, qui, licet somnia venditarent, eoque nomine Urbe pellerentur; attamen inerrantium Stellarum motus ad datam diem colligere ex Astronomorum abacis plane didicerant. Licet, inquam, plerique Patrum Graecorum ac Latinorum non immerito possent de rebus Astronomicis judicare (cum ubique tanta Mathematicorum copia suppeteret), ea tamen fuit apud omnes Aegyptiae Scholae praestantia & existimatio in hoc genere Literarum, ut consultatione Sanctorum totius Orbis ad ejusmodi munus deligerentur Pontifices Alexandrini: quibus & Gentis antiqua laus, & patriae Academiae Doctores, ipsique adeo Episcopi ibidem nati, vel educati, tantum de se specimen in rebus Astronomicis edidissent. Ut enim Ecclesia nihil non optimum

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

dedicare nititur CHRISTO DOMINO, ita colligit omne ſtudium Divinarum, humanarumque rerum, ubi arcana myſteria Veteris, ac Novi Paſchatis, Caelo Terraque teſtibus, rite proponenda ac diſponenda eſſe cognoſcit. Quanam vero lege ordinanda eſſe duxerint Patriarchae Alexandrini, in Capite ſequenti explicabimus, producemuſque etiam Canones Latinorum; quum aetate Sanctorum Patrum non infeliciter fuiſſe cultam Aſtrorum ac Temporum diſciplinam etiam in Occidente antea indicaverimus.

CAPUT UNDECIMUM.

Paſchalis Computi ab Eccleſia in Feſtis uſurpati Brevis Hiſtoria.

(Ex Schedis Franciſci Patrui mei Blanchini Praeſulis.)

COmputus Eccleſiaſticus eſt certa regula temporis Civilis ita ordinan-

nandi juxta mensuram motuum Lunisolarium, ut dies, menses, & anni, ad cultum Divinum exercendum legitima auctoritate designati, constitutis a Legislatore conditionibus apte respondeant, si ex ejusdem regulae praescripto ad calculos reducantur.

In utraque Ecclesia, nempe Judaea ante Christi Domini adventum, & Christiana post eundem Terris datum, hujusmodi ars et regula temporis apte assignandi juxta praeceptum Legislatoris quaesita est.

Quaenam vero constructa regula, & constituta fuerit apud Hebraeos, a Mosis & Israelis profectione, ad Imperium Macedonicum, dubitatur inter Auctores. Plerique autumant, de Caelo spectasse Viros huic muneri addictos, ut Novilunia tum primum nunciarent Synhedrio, cum a Solaribus radiis emergentem prospicerent Lunam in vespertina, quam vocant, phasi, e turribus, aut aliis editis locis: prout

LIBER HISTORICUS.

etiam hodieque praeſtant tum ipſi, tum Muhamedani. Verum Joſephus Scaliger *de Emend. Temp.* in Proleg. p. vi. eam phaſim obſervari ait, non ad computi neceſſitatem, aut difficultatem ſupplendam (indicunt enim Judaei etiam ex ſcripto Neomenias); ſed ad novam Lunam ſanctificandam. P. Harduinus in Libro *de ſupremo* CHRISTI *Paſchate* pag. 16. docet, Hebraeos Karaitas hauſiſſe obſervationem phaſeos Lunaris non ab antiquis Patribus, ſed a Turcis, & Arabis, quos inter verſantur. An igitur Aegyptiis rationibus, an Babylonicis Cyclis uterentur Hebraei ante Regnum Magni Alexandri, videtur incertum. Euſebius in fine lib. 7. *Eccleſiaſticae Hiſtoriae* praeter Philonem, Joſephum, & Muſaeum, de Methodo Paſchalis Feſti apud Hebraeos deſignandi, ait, diſertiſſime diſputaſſe utrumque Aghathobulum, quos praeceptores habuit Ariſtobulus ille, inter LXX. Interpretes a Synhedrio

drio delectus, qui mitteretur ad Ptolemaeum Philadelphum. Post Aeram Magni Alexandri, & post anni Macedonici usum inductum in Syriam, usurpasse Judaeos Periodum Calippicam annorum lxxvi, quae constat quatuor Enneadecaeteridibus Methonicis, colligi videtur ex libris Machabaeorum: ubi Chronologia contexitur juxta menses, & annos Aerae Syromacedonum: de cujus usu, in plerisque Syriae Civitatibus celeberrimum edidit librum Eminentissimus Cardinalis Norisius, colligens e pluribus antiquis Nummis in ea Ditione percussis Aeras Urbium praecipuarum. De illo autem anno Macedonico lucubrationem edidit eruditissimam Jacobus Usserius Armachanus: ubi etiam egit de Asianorum anno Solari, cum Graecorum Astronomorum parapegmate, ad Macedonici, & Juliani anni rationes accomodato. *Parapegma* indicavit Theon in commentariis ad Aratum (pag. mihi 61. versu 20.)

20.) fuiſſe tabulam gypſo oblinitam, quae in Foro proponebatur Civibus, cum expanſione anni Civilis, & Lunationum per dies ſingulos; non ſecus ac deinde propoſuit Romae Julius Caeſar, & qui ab eo proximus imperavit Auguſtus, ſuum Kalendarium marmoreae Tabulae inſculptum; quod adſervatur inter ſelectas antiquitates Palatii Farneſiani. Indicantur a Franciſco Blanchino Patruo meo in Libro *de Kalendario & Cyclo Caeſaris* pag. 63. alia *parapegmata* propoſita fuiſſe Siculis ab Archimede, Samiis a Conone, ut e Virgilio Scaliger docuit. Hujuſmodi Parapegmatibus, ac potiſſime Macedonico, proxime poſt Alexandrum Philippi filium, deinde etiam Juliano (cum a victoribus Romanis imperante Auguſto univerſis ferme Provinciis proponeretur), Anni Civilis modum fuiſſe ab Hebraeis accomodatum, minime dubium videri debet; cum apud ipſos celebris fuerit *Aera Dhilkarnaim*,

quae

quae dicitur etiam *Contractuum*. De hac videndus Scaliger *de emend. Temp.* lib. v. pag. 427. & seqq. & lib. vii. pag. 653. ubi agit de ejusdem connexione cum Judaeorum computo, quem *Magnum* appellant.

Per eam vero aetatem, qua Christus Dominus spectandum se Terris praebuit, cum Romani sub Augusto proprii Kalendarii methodum longe lateque vulgassent, & fortasse etiam Cyclum Lunarem, quem Eusebius, Beda, & Antiquus Chronographus apud Petavium, repertum memorant Annis xxx. circiter ante illum, quem Christi Natalem numerat Vulgaris Epocha; placuit fortasse & Hebraeis eodem uti: quippe qui castigatus demonstratur, si is fuerit Octagrammus, quem ex marmore Farnesiano laudatus Praesul Franciscus Blanchinus colligit: praesertim, cum Caesar Sosigenem Mathematicum in primis celebrem adhibuisset in Kalendarii sui ordina-

LIBER HISTORICUS.

dinatione. Verum, ſive is Cyclus non ſatis receptus fuerit, ſive facilior methodus viſa ſit *decemnovennalis*, & ex hac deſcendens *Calippica*, ſive antiquioribus regulis uti maluerint Hebraei, colligi poſſe videtur ex S. Epiphanio ad Haereſim LI. num. 26. ut in Notis ad eumdem locum collegit Petavius, prioribus CHRISTI Saeculis uſurpatum fuiſſe ab Hebraeis Cyclum annorum LXXXIV. quantum nempe ſpatium temporis obtinuit Cyclus Latinorum, a Chriſtianis receptus, ac retentus ad Paſchales uſus, quarto praeſertim, & quinto CHRISTI Saeculo, ut mox dicemus. Qua de re videndus Petavius in Notis ad eumdem locum, & Card. Noriſius in duplici Diſſertatione Paſchalium Cyclorum, quae ſubnectitur ejuſdem Epochis Syromacedonicis.

Ceterum Judaei obſervantes vitia ejuſmodi Cyclorum, quos antea uſurpaverant, circa annum CHRISTI 369. no-

Digitized by Google

novitium ſuum Kalendarium, & Cyclum induxerunt, aptatum ſpatio periodi Calippicae annorum 76. eumque duplici methodo collegerunt juxta diverſam rationem Tekupharum duo eorumdem praecipui Magiſtri, nempe Rabbi Adda,& Rabbi Samuel. Cum nihil interſit noſtri eorumdem Epochas explanare, & cum ſuperſtitioſas obſervationes in aliquot Feriis hebdomadae ab anni capite removendis induxerint, ſatius fuerit Auctores indicare, qui eaſdem exhibent. Dilucide id praeſtitit inter ceteros Sethus Calviſius *in Iſagoge Chronologica* c. xii., ubi agit de Kalendariis Judaicis.

P. Harduinus vindicat a ſuperſtitionis nota excluſionem Feriae iv. a die anni principe, juxta regulam a Rabbinis dictam *Badu*, de qua loculenter pertractat pag. 39. & ſequentibus in Opuſculo *de ſupremo* Christi *Paſchate* Pariſiis impreſſo anno 1693.

Hactenus indicavi regulas ab Hebraeis

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

braeis assumptas ad Paschatis Legalis celebrationem, tam ante, quam post Aeram CHRISTI, juxta computum ipsis tributum ab Auctoribus antea laudatis: quorum omnium instar esse potest celeberrimus Dionysius Petavius. Quae autem regula servata sit in Ecclesia Catholica, ex quo huic Sacro initiata fuit Sanguine immaculati Agni CHRISTI DOMINI, uberrime ac nitidissime pertractarunt omnium ferme aetatum Patres ac Doctores, ab ipso Redemptionis Saeculo, ad nostrum. Horum potiores si quis amat cognoscere, adeat Opus praeclarissimum nuper laudatum Petavii *de Doctrina Temporum*, maximo labore, & pari eruditione adornatum. Paschalis Historiae Breviarium quoddam inveniet in Appendice huic Operi adjecta postrema in parte Tomi Secundi: ubi collegit Epistolas praestantiores SS. Patrum, de Paschalibus Cyclis proxime a Nicaena Synodo pertractantes. Praestiterit etiam

etiam consulere P. Bucherii Commentarium eruditissimum in Paschalem Cyclum S. Hippolyti Martiris, de quo infra loquemur. Verum universam ferme doctrinam Paschalium Cyclorum & Regularum addiscere quisque poterit multo castigatius & compendiosius, si attente legerit duplicem Dissertationem Eminentissimi Cardinalis Norisii, aliam de Paschali Latinorum Cyclo, alteram de Ravennati, quas reperiet adjectas Operi, ad aeternitatem nominis sui, & ad Historiae adjumentum plane singulare typis mandato Florentiae anno 1689., & Lipsiae iterum, ac Veronae cuso inter ejus Opera omnia.

Primo, & altero Christi Saeculo Paschalem Computum ab Hebraeorum consuetudine, ac Cyclis, quandoque etiam a Civilibus regulis sive Romanorum, sive Alexandrinorum, circa novilunia e Parapegmatibus addiscenda, deduxisse Christianos, plerique affirmant. Paulus de Middelburgo,

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

optime de hiſce literis meritus, Lunarem Caeſaris Cyclum a ſe adinventum inſerviſſe autumat huic miniſterio, ſuffragantibus Pitato, & Stoefflero, quibus utpote peritis Mathematicis, vir ſummus Petavius fidem praeſtitiſſe videtur lib. 2. *de doct. Temp.* cap. 68. Verum nec aureos numeros Cyclo Caeſaris, & Alexandrino Parapegmati tunc inhaeſiſſe, quales opinati ſunt Auctores praedicti, demonſtravit Cardinalis Noriſius in Diſſert. *de Paſchali Latinorum Cyclo*. Conatus eſt quoque Patruus meus Franciſcus Blanchinus Cyclum Lunarem Caeſaris expiſcari in ejuſdem Kalendarii marmorea tabula e Romanis ruderibus educta poſt editionem Operis Pauli Foroſempronienſis Epiſcopi, cui proinde ſuſpicari integrum fuit de methodo plane diverſa, cum ejuſmodi monumentum non inſpexiſſet. Oſtendit in Libro *de Kalendario, & Cyclo Caeſaris*, juxta illam methodum potuiſſe Novilunia ſatis apte

apte designari ad Civiles usus omnium Nationum, quae humano Imperio parebant. Quod vero pertinet ad usum Paschalem, ostendit pag. 172. posse ex illo contexi Tabulas satis accurate indicantes Neomeniam Paschalem, non modo a *Caesaris* aetate, ad nostram, verum & ab ipso Mosis Saeculo, si ad ea Tempora per prolepsim retrahatur expansio anni Juliani. Nam Lunae praecessio, & Aequinoctiorum, (quae duo non admodum innotuerant aetate *Caesaris*, a nostris vero Astronomis definita sunt satis exacte) in methodo ab ipso producta ibi computantur.

Cum hac aequatione, quam abhibuit, constat *Caesaris* aetate non fuisse usurpatum ejus Cyclum Lunarem. Propterea credi par est, ejus methodum laborasse aliquot vitiis aliorum Cyclorum, qui pridem a Graecis, & ab Alexandrinis reperti fuerant a Metone, Calippo, Eudoxo, & reliquis nondum instructis tanta copia Caelestium

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

stium Obſervationum, quanta requirebatur ad medios Luminarium motus per plura Saecula diligentiſſime definiendos.

Hinc abiere Chriſtiani in diverſas methodos deſignandi Novilunii Paſchalis, & quartaedecimae, pro libera facultate aſſumendi Cyclum, quem maluiſſent. Nam S. Dionyſius Patriarcha Alexandrinus, qui *Gallieno* imperante floruit, *Octaeteride* uſus fuit, teſte Euſebio *Hiſt. Eccleſiaſticae* lib.7. cap. 15. Eamdem geminatam adhibuerat Hippolytus Martyr, ut cernimus in ejus Canone omnium antiquiſſimo, qui fuerint a Chriſtianis compoſiti, & ad nos pervenerint. Hunc in Vaticana Bibliotheca aſſervatum doctiſſimo quidem commentario illuſtravit P. Aegidius Bucherius; ſed Patruo quoque meo reliquit ea ſpicilegia, quae poſt illius meſſem in Diſſertatione de illo edita typis Aloyſii & Franciſci de Comitibus impreſſorum Ca-

nie-

meralium an. 1703. Annus primus Canonis Hippolytei refertur ad primum Imperatoris *Severi Alexandri*, prout ibi diserte legitur, nempe ad annum Christi 222. S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cum Eusebio lib. 6. *Eccl. Hist.* cap. 21. narrat, hunc Hippolytum, praeter Heccaedecaetericum Cyclum, vulgasse etiam librum de Paschate, cujus titulum indicari adhuc legimus cum ceteris Doctissimi ejus Patris Operibus in latere culo ipsius basis marmoreae, quae incisum antiquitus Cyclum asservat. Ante Hippolytum solido ferme Saeculo Romam concesserat insignis Christi Martyr Polycarpus Smyrnaeorum Episcopus a Joanne Apostolo constitutus, cujus fuerat auditor, Ecclesiam regente Aniceto Papa, ut quasdam de Paschate subortas Quaestiones componeret. Polycarpi Discipulus Irenaeus, qui *Commodo* imperante floruit, ad Victorem Papam plures dedit Epi-

LIBER HISTORICUS.

Epistolas super controversia Paschali: Ipse Victor Pontifex Romanus tertius decimus, super Quaestione Paschae, & alia quaedam scripsit Opuscula. Ante hunc Melito Asianus Sardensis Episcopus de Pascha ediderat libros duos, testibus Hieronymo *de Script. Eccl.* & Eusebio lib. v. cap. 21; qui etiam asserunt, peculiarem Librum de eodem argumento compositum a Clemente Alexandrino. Ceterum a Victore Pontifice Romano consulti plerique Episcopi Orientales & Occidentales super Quaestione Paschali, complures Synodos collegerunt. Caesarienſi in Palaestina praefuerunt Theophilus, & Narcissus Hierosolymitanus, suffragium conferentibus voce, & scriptis Cassio Tyri, & Claudio Ptolemaidis Episcopis. Ponti Palmas, per Gallias Irenaeus, Corinthi Bacchilus; alii per Osrhoenam praesederunt: praeter eam Synodum, quam Romae indictam Victor Papa celebrari coram se jussit.

Omnium

Liber Historicus.

Omnium vero ex monumentis nonnulla literis consignata recitans Eusebius eodem libro, cap. 23. indicat permissum fuisse a Romanis Pontificibus Aniceto, Hygino, Telesphoro, & Xysto, ut, salva unitatis pace, unusquisque in sua Paroecia unitatis suae semitam sequeretur. Post horum autem Conciliorum concorde suffragium, placuit Dominicam diem deputari solutioni jejunii & Resurrectionis Festo, juxta Apostolicae consuetudinis instituta, ubique Terrarum concelebrando.

Hinc orta necessitas proponendi nitidius regulas universales, unde posset unaquaeque Paroecia tria illa observare in Christiani Paschatis ordinatione, quae sunt, Vernum Aequinoctium, Dies Lunae XIV. absoluta, & Feria prima subsequens proxime, seu dies Dominica.

Eadem suasit Hippolyto Martyri construere Cyclum Hecaedecaetericum, Dionysio Alexandrino octaetericum,

LIBER HISTORICUS.

cum, Anatolio Laodiceno Enneadecaterícum, Latinis Periodum annorum LXXXIV, aliis vero diverſas, prout mox explicabimus.

Omnium, & ſingulorum conſilium fuit, tria illa complecti in Paſchatis deſignatione, quae Patrum conſenſu ſervari ab univerſis placuerat, nempe *Dominicam diem* ſive Feriam primam, quae ſequeretur *poſt quartamdecimam diem* aetatis Lunae, *ab Aequinoctio Verno* proxime affulgentem.

Verum & in hac regula decernenda non eadem fuit Alexandrinorum, quae erat Latinorum ſententia. In duplici enim aſſumpto invicem diſſidebant, nempe in terminis Menſis primi, & in excluſione diei quintaedecimae Lunaris a gaudio Feſti Paſchalis. Terminos ac limites menſis primi, ſeu menſis novorum, appellarunt dies illos anni Civilis, in quos Novilunia cum inciderent, ea Luna ad menſem Aequinoctii Verni, ſeu ad menſem Niſan

Digitized by Google

ſan pertinere judicabatur. Hos igitur limites Latini juxtà Cyclum annorum LXXXIV. collocabant a die 5. Martii, ad ſecundam Aprilis. E contra Alexandrini a die 8. Martii, ad 5. Aprilis. Hinc Alexandrinis (ſecus ac Latini cenſebant) omnis lunatio Martii, cujus Novilunium praecederet diem 8, non erat Paſchalis; Paſchalis vero habebatur illa, quae ultra diem 5. Aprilis non excurreret ſuo Novilunio. Quare, cum triduo tardius Alexandrini Menſem *novorum* figerent, quam Latini; in utroque extremo citimae, ac tardioris Neomeniae diſſidere ab invicem, utroſque neceſſe fuit. Praeterea Latini, qui mature conſignaverant exordium Menſis *novorum*, Paſcha Dominicum celebrare detrectabant die lunaris aetatis quintadecima, quam ſcilicet ſilentio & lacrymis tranſigendam potius cenſebant; quod ſcilicet CHRISTUS DOMINUS, qui Luna XIV. Paſcha celebrarat, Luna quintadeci-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

ma in Crucem actus, non nisi sexta-decima, vel post sextamdecimam re-surrexisset. E contra Alexandrini asse-rebant, mysterium Passionis in quar-tadecima se rite recolere, qua Judaeis olim praeceptum fuerat Agni figuram praemittere CHRISTO DOMINO, olim passuro eodem vertente Festo Judaeo-rum: ut subinde liberum foret ejus Anastasimon Pascha laetanter indicere ad diem Dominicam, quae post eam Passionis sive Crucifixionis Σταυρωσιμῦ *Stauroſimi Paſchatis* quartam decimam proxime sequeretur. Hinc eveniebat, ut etiamsi Tabulae Lunares Latinae, & Alexandrinae consentirent in alicu-jus Anni Novilunio Paschali, nume-rando ab eadem die Anni Civilis, quae dies incideret in Feriam primam; discrepare attamen possent per inte-gram hebdomadam in Paschae desi-gnatione; cum XV. dies Lunae in Do-minicam incidens, apud Alexandrinos utilis haberetur Paschali gaudio reco-len-

lendo, inutilis vero apud Latinos.

Controversiam hujusmodi terminorum non diremit Canon Nicaenae Synodi, cui tantummodo placuit statuere, ut Alexandrinus Antistes curam Paschalis Computi assumeret, ac Romano Pontifici mature indicaret; ut iste quotannis posset universis Ecclesiis eamdem diem, concordi suffragio selectam edicere, ad Paschalia Festa peragenda.

Alexandrini Praesules, Anatolii methodum sequuti, sui scilicet conterranei, qui Laodicenus Episcopus in Asia vixerat circa annum Christi 275, *Enneadecaeteridas* sive decemnovennalem circulum Parapegmati Paschali indiderunt. Hujus certe Cycli in Ecclesiasticas Tabulas referendi (qui olim a MetoneGraecis traditus fuerat) Auctorem Anatolium narrat Eusebius (*lib. 7. cap. ultimo*), cujus praestantissimum ingenium in Mathematicis Disciplinis, & in libro *de Paschate* ab eodem

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

eodem compoſito laudat etiam B. Hieronymus. At Latinis potior viſa eſt Periodus annorum 84. ſive ab Hebraeorum aequidiuturna peterent, de qua S. Epiphanius ad Haereſim LI., ſive novam ſuopte ingenio procudiſſent ad Feriarum Apocataſtaſim, ſive inſtaurationem ſpatio breviſſimo repetendam. Eamdem ſcripto illuſtravit omnium doctiſſime Cardinalis Noriſius in laudata Diſſertatione; cum is omnium primus demonſtraverit, eam ipſam eſſe, quam Anonymus Quarti Saeculi Scriptor, in membranis vetuſtiſſimis Bibliothecae Vindobonenſis Caeſareae aſſervatus, extenderat juxta ſeriem Conſulum Romanorum. Quarto pariter CHRISTI Saeculo laterculum Paſchalem laborioſo computo edidit Alexandrinus Patriarcha Theophilus, Magno Theodoſio adhortante, a primo ejus Conſulatu, nempe ab anno CHRISTI 380., ad centum proximos a ſe perductum. Verum B. Cyrillus ejuſdem

dem Theophili nepos & Succeſſor, cum videret a Latinis expeti Cyclum reſtituentem hebdomadae Ferias, qualem diximus nuper laudatum annorum 84., a quo ratio Enneadicaeteridum non ſervatur, alium ipſe adinvenit, ex quinque decem novennalibus Anatolii ſive Theophili collectum, nempe conſtantem annis xcv. in cujus abſolutione Feriarum apocataſtaſis repetereretur, Lunationibus inſuper reſtitutis. Ingenti laude ſuſceptum probant, etiam in Occidente apud Latinos, tum plura veterum teſtimonia, tum antiquiſſimus ac celeberrimus Lapis adhuc in Ravennate Eccleſia aſſervatus, & eodem Cyclo Cyrilli inciſus, qui anſam praebuit Cardinali Noriſio Diſſertationis de illo in publicam lucem edendae.

Non adeo tamen exactus viſus eſt Occidentalibus Cyrilli Cyclus, quin ſaepe dubitarent, num Paſchalibus regulis ubique reſponderet. Certe Victo-

LIBER HISTORICUS.

ctorius Aquitanus anno CHRISTI 457. vicennio ſcilicet poſt evulgatum Cyrilli Cyclum, cum animadvertiſſet erroneam aetatem Lunae ab eodem prodi, magnum Cyclum annor. DXXXII., quo dudum utebantur non pauci Orientalium, ad Latinorum Canones nonnihil deflexum contexuit. Eodem vero uſum fuiſſe Hilarum Papam, cui tunc Romanae Eccleſiae Archidiacono Victorius Opus nuncupaverat, ac plurimas etiam Eccleſias Occidentis eumdem uſurpaſſe, docet Cardinalis Noriſius in memorata Diſſertatione *de Cyclo Ravennati* cap. 3. Exſtare nunc etiam ferunt in Eccleſia Petrocorienſi vetuſtum Lapidem, Victoriani Cycli characteres exhibentem, quem Gruterus vulgavit inter Antiquas Inſcriptiones.

Quod attinet ad primum Auctorem magnae hujus Periodi, annor. DXXXII. ſpatio recurrentis, tradit Syncellus, circa ipſam Cyrilli aetatem inventorem

rem habitum fuisse quemdam Aegyptium Monachum nomine Anianum, quem floruisse asseverat *Arcadio* imperante. Photius asserit, Metrodoro nomen Auctori fuisse, qui Cyclum annorum 532. ab anno *Diocletiani* primo auspicatus est. Perperam vero attributam indicat Cl. Card. Norisius (p. 183. in fine capitis 3.) Dionysio Abbati cognomento Exiguo aptationem Cycli Orientalium sive Aegyptiorum Latinis regulis, quam Victorio Aquitano deberi probavit; licet Viros praestantes ea ratio numerorum fefellerit, quam late prosequitur pag. 156. Nam S. Cyrilli Cyclus, qui coeperat anno 437. cum ad finem vergeret instante anno 531, & succidaneus aliquis a Latinis desideraretur, qui Cyrillianum jamjam desiturum exciperet; opportune rogavit Petronius Episcopus Dionysium Abbatem, Graece ac Latine doctum, & ob sacros Synodorum Canones Latinitate donatos in Romana Ec-

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

cleſia clarum, ut Cyclum Paſchalem procuderet, ita diligenter & apte diſpoſitum, ut controverſiis Paſchalibus magnum diem tandem imponeret. Obſequutus Epiſcopo adhortanti Dionyſius, Cyclum quidem edidit, non tamen illum, quem ei vulgo tribuunt, annorum 532., imo alterum Cyrilliano parem, nempe conſtantem annis 95. ut in ejuſdem Prologo ipſe luculenter expreſſit. Coepit autem anno CHRISTI 525, cum ſex adhuc anni ſupereſſent ad exitum Cyrilliani, qui complebatur anno CHRISTI 531. (*Vid. Card. Noris cap. 3. de Cyclo Ravennati*). Cum vero anno CHRISTI 531. expleretur Cyrilli Periodus, & inſequenti anno 532. Dionyſiana ſubrogaretur (licet complures Eccleſiae in Gallia, Hibernia, & Hiſpania adhuc Victorianae adhaererent), ab illo annorum numero, qui Aegyptiam Aniani Monachi, ſeu Metrodori Periodum annorum 532. apud Graecos in dies invaleſcentem, & Victorianam ipſam

ipsam aequidiuturnam, & a pluribus Ecclesiis in Occidente observatam, metiebatur, erroris occasio suborta est. Tribui etiam vulgo coepit Dionysio inventio Periodi annorum 532., licet ipse Cyrillianam mensuram annorum 95. in sua non excessisset. Ut vero Beda apud Latinos parem Victorianae Periodum induxit, & celeberrimam reddidit ex Epocha annorum Christi, juxta numerationem suam, quae vulgo recepta est, & initio Cycli praefixa; visus est Oriens, & Occidens concordi sententia de Paschali Cyclo deliberasse. Quare, cum Beda novum Cyclum ab anno Christi 532. per totidem consequentes produxisset ad 1064. hinc auspicati Posteri tertiam addiderunt pari annorum summa, ad 1594 Vulgaris Epochae desituram; non secus ac Septimo Saeculo S. Isidorus Hispalensis, ad finem vergente Dionysiana 95. annorum, post B. Cyrilli Aequidiuturnam Periodum, suam

Digitized by Google

LIBER HISTORICUS.

produxerat lib. VI. *Originum* cap. 17., expanſam ab anno Aerae CHRISTI Vulgaris 627. ad 721. Tertiae autem Periodi annorum 532. ab eo, quem diximus 1065, ad 1596. procedentis, cum Gregorius XIII. animadverteret rationes nimium eſſe luxatas, atque in dies recedere longius ab utriuſque Luminaris motibus poſt intervallum annorum mille, ex quo recepta ab Eccleſia fuerat (conqueſtis jam pridem ea de re ad Apoſtolicam Sedem Epiſcopis doctiſſimis, in Concilio praeſertim Generali Lateranenſi ſub Leone X.), de nova Paſchalis Computi ratione in uſum Chriſtianae Reipublicae inducenda feliciter cogitatum fuit: idque praeſtitum in *Emendatione* veteris *Kalendarii* ab eodem Pontifice per Cyclum Epactarum, qui, aureis numeris Alexandrinorum impoſterum amputatis, eorumdem in locum ſuffectus eſt.

In tanta igitur Cyclorum diverſitate, quae in Oriente, atque Occidente ufur-

usurpata fuit ad Paschalis Festi rationes Ecclesiae proponendas, singulis ferme Saeculis ante Bedam peculiaris quidam Computus fuit addiscendus. Post Bedae vero ordinationem ab anno Christi 532. per alios totidem ad 1064. deductam (unde posterior Aetas tertium Cyclum aequidiuturnum perduxit ad annum 1596.), regulae computi petebantur ab Auctoribus supra memoratis. Verum ab anno 1582., quo Gregorius XIII. opportune providit futuris aetatibus, inducta nova ratione Kalendarii, novoque Epactarum Cyclo per Aloysium Lilium adinvento, & nonnihil castigato per Viros peritos ab eodem Gregorio selectos, utimur Canonibus, ab ipsomet Pontifice editis una cum Bulla, & ratione, in libro Kalendarii perpetui; ubi etiam facilis atque ordinata methodus aperitur computi recentioris, quam deinde P. Clavius Clementis VIII. jussu grandiori Volumine expansam evulgavit.

LIBER

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER CRITICUS

PRIMI ET SECUNDI SAECULI DEMONSTRATIONIS HISTORIAE ECCLESIASTICAE QUADRIPARTITAE.

CAPUT PRIMUM.

Stoicae Sectae Philosophi, Primo & Secundo CHRISTI *Saeculo Haereticorum antesignani, & praecipui errores.*

ORDINEM temporis certum, ejusque partium accuratam assignationem Gestis quibusque praeteritis, una cum documentis proximioribus ac genuinis, spatia aetatis ac res demonstrantibus, esse praecipuam Historicae Fidei curam, nemo negaverit, qui formare animum studeat veris exemplis & narrationibus castigatis, potiusquam figmentis & fabulis, aut teme-

re

LIBER CRITICUS.

re garrientium opinionibus onerare. Quae cum in singulis Historiae generibus quaerenda sint, multo diligentius praestari oportet in eo gravissimo genere narrationum, ubi Religionis Mysteria, & Sanctissima Ecclesiae monimenta conquiruntur; repetenda potissimum ex Gestis Pontificum, Conciliorum, Patrum, atque Sanctorum; & derivanda ad usus Historiae universae Ecclesiae, B. Petri Successoribus ad erudiendum regendumque traditae. Id certe curatum diligenter a nobis est in duobus praecedentibus Libris hujus *Demonstrationis Historiae Ecclesiasticae Quadripartitae*, priora duo Saecula JESU CHRISTI complexis; dum ea, quae in ipsis descripta sunt, comprobata fuisse credimus documentis publicis Temporum, ac Gestorum, nondum deperditis. Promisimus autem in Libro tertio, Criticae reservato, proferre singillatim praecipua dogmata Catholicae Religionis adversus commenta

Digitized by Google

ta Stoicorum, qui doctrinae laude apud Ethnicos maxime commendati, suorum deliramentorum professores & assecias, Haereticos reliquerunt. Cum igitur pro virili id praestare parati simus, ab iisdem Stoicis ducimus incipiendum. Esto igitur nostri laboris exordium.

Actorum XVII. v. 16. *Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idolatriae deditam Civitatem.* v. 17. *Disputabat igitur in Synagoga cum Judaeis, & colentibus, & in foro per omnes dies ad eos, qui aderant.* v. 18. *Quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi differebant cum eo &c.*

Contigisse id anno Aerae CHRISTI 52. docet Venerab. DEI Servus Caesar Card. Baronius, *Claudii* nempe X, quo postmodum venit Corinthum, ubi *L. Junius Gallio* Proconsul Achajae Provinciam administrabat: ante cujus Tribunal adductus fuit Paulus a Judaeis (*Act.* XVIII. 12.) anno sequenti.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

Porro *L. Junius Gallio* Senecae Stoici frater germanus erat, ut ipse testatur in Praefatione lib. 4. *Quaest. Natural.* Et cum Seneca Magister Neroni datus fuisset a *Claudio* anno 52, floruisse tunc in Urbe constat etiam Stoicam Philosophiam, ut docet vetus Inscriptio in Hortis Urbanis Clarissimorum Ducum Matthejorum ad Naviculam.

Epictetus Philosophus Stoicus Epaphrodito *Neronis* familiari serviisse dicitur: tum *Domitiano* imperante, Roma pulsus, atque iterum in Urbem redux, pertigisse dicitur ad tempora *M. Antonini*. Ejus Philosophiae summa, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *sustine, & abstine*.

Stoici quamplures (& quidem celebres) primum, & alterum CHRISTI Saeculum illustrarunt; sed praesertim sub *Antoninis*: quos inter *M. Aurelius* cognomento Philosophus Stoicam doctrinam a multis hausit, & quidem praeclaris ejusdem Philosophiae Sectatoribus. Capitolinus in vita Marci ait:

Fuit

Fuit a prima infantia gravis. At ubi egressus est annos, qui nutricum foventur auxilio, magnis praeceptoribus traditus, ad Philosophiae scita pervenit &c. Nam duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi sumpsit; & deinceps tolerantiam; cum studeret in pallio, & humi cubaret &c. Usus est etiam Commodo Magistro; cujus ei affinitas fuerat destinata. Usus est & Apollonio Chalcedonio, Stoico Philosopho. Tantum autem studium in eo Philosophiae fuit, ut ascitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii *discendi causa veniret. Audivit & Sextum Cheronensem Plutarchi nepotem,* Junium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum *Stoicos. Peripateticae vero studiosos audivit* Claudium Severum, & *praecipue* Junium Rusticum, *quem & reveritus est, & sectatus, qui domi, militiaeque pollebat Stoicae disciplinae peritissimum: cum quo omnia communicavit publica, privataque consilia: cui etiam*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

ante Praefectos Praetorio ſemper oſculum dedit: quem & Coſs. iterum deſignavit: cui poſt obitum a Senatu ſtatuas poſtulavit. Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret &c. Educatus eſt in Hadriani *gremio, qui illum (ut ſupra diximus)* Veriſſimum *nominabat.*

Ex his itaquè teſtimoniis conſtat, Stoicae Sectae profeſſores non Athenis modo, ſed etiam Romae celeberrimos extitiſſe primo CHRISTI Saeculo, cum, ad eorumdem errores convincendos, uterque Apoſtolus Petrus & Paulus in has Occidentales plagas ex Oriente devenerunt. Altero autem Saeculo Aerae Chriſtianae, quo Petri Succeſſores in ejus Cathedra Romana docebant univerſam Eccleſiam, conſtat pariter ejuſdem Sectae Philoſophos complures & eximios extitiſſe, imperante praefato *M. Aurelio*, eoſdem honeſtante Ma-

Magiſtratibus ſupremis, & neceſſitudine ſua, dum viverent: mortuos autem ſtatuis, a Senatu decretis & impetratis, atque in Larario domeſtico poſitis imaginibus aureis, aditu, ac etiam hoſtiis, & floribus ad eorum ſepulchra; ut ſcilicet profiteretur, ex ipſius Sectae dogmatibus, eſſe pluſquam humanis honoribus proſequendos, quorum animos in Caelum receptos cum anima Mundi, Dei partem conſtituere, impie ſentiebat; quemadmodum ex anaglypho in ſtylobate Columnae *Antonino* Patri poſitae expreſſum ab eo fuiſſe conſpicimus, & infra oſtendemus ex libris ejuſdem *M. Antonini de Vita ſua*, adducendis circa finem iſtius Libri.

Ad hujus itaque Sectae pernicioſos errores de medio tollendos in Urbe,* prae-

**Haec autem Civitas ignorans ſuae provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſerviebat erroribus*: S. Leo Serm. pr. *de Nat. Apoſtolorum Petri & Pauli*.

Digitized by Google

pe eos, qui falsam Divinitatis ejusque providentiae & cultus ideam obtrudunt : tum etiam de justitia, de causa & origine boni & mali, ac de humanorum actuum regulis perperam sentiunt.

Singillatim proponendi sunt Stoicorum errores praecipui, nempe

1. De idea, & cultu Dei.
2. De Providentia & Mundi rectione.
3. De Summo Bono.
4. De origine boni, & mali.

CAPUT SECUNDUM.

Errores Stoicorum circa ideam, & cultum Dei.

DE Deo ita sentiunt Stoici, ut animam Mundi credant. S. Epiphanius in eorumdem Haeresi ait *Tomo I. pag.* 12. *Edit. Paris.* 1622. Καὶ Στωϊκοὶ μὲν φρονοῦσι περὶ θεότητος τοῦτο, φάσκοντες εἶναι τοῦτον Θεὸν, ἢ παντὸς τοῦ ὁρωμένου κόσμου, οὐ

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

οὐρανοῦ τέ φημι καὶ γῆς καὶ τῶν ἄλλων ὡς ἐν σώματι ψυχή. μερίζουσι δὲ οἱ αὐτοὶ τὴν μίαν θεότητα εἰς πολλὰς μερικὰς οὐσίας, εἰς ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ἄστρα, εἰς ψυχὴν καὶ ἀέρα καὶ τὰ ἄλλα. *Quod ad Stoicos pertinet, haec eſt de Divinitate illorum opinio*: DEUM *eſſe mentem aſſerunt, quae totius aſpectabilis molis, caeli nimirum ac terrae, ceterarumque rerum velut corporis anima ſit. Rurſus Divinitatem unam in plures ac particulares naturas diſtribuunt; Solem videlicet, Lunam, ac Stellas, animam, aerem, reſque ceteras.*

Sentiunt autem ita conſtitui unum quidpiam ex mente illa ſive anima, quae corpus Mundi pervadit; ut ipſum Mundum appellent, animal rationale mente praeditum, & DEUM. Laertius in Vita Zenonis, ubi de Stoicorum dogmatibus (*pag.* 255. *n.* 285. *Edit.* Henrici Stephani) ait: *Chryſippus autem in primo de providentia, & Poſidonius in Libro de Diis, Caelum, ajunt, principale eſſe Mundi: Cleanthes vero Solem: Chryſippus autem*

autem rursus a se dissidens in eodem purissimum dixit ac liquidissimum aetera, quem etiam primum asserunt esse DEUM, *sensibiliter veluti infusum per ea, quae sunt in aere, ac per cunctas animantes, & arbores, per terram autem ipsam secundum habitum. Unum esse Mundum, & hunc finitum, globosaque figura &c.* Et num. 286. *Quod autem sit animal Mundus, & rationale, & animatum, & intelligibile; & Chrysippus in primo de providentia differit, & Apollodorus in Physica, & Posidonius &c.* Et eod. num. 286. *Porro animatum esse inde manifestum est, quod anima nostra inde veluti avulsa sit &c.* Conferantur haec cum assertis per Stoicos apud eundem Laertium num. 284. *Mundum vero tripliciter dicunt, ipsumque* DEUM, *quem ex omni substantia dicunt propriam qualitatem; qui & incorruptibilis, & ingenitus sit opifex tanti operis, ac ornamenti, ut quotannis orbes suos peragat Sol in seipsum, omnium substantiam consumens, ac eam rursus ex se*

LIBER CRITICUS.

ipſo gignens. Tum num. 119. *Divinos quoque eſſe, quod in ſe ipſis quaſi habeant* DEUM. Rurſus conferantur cum geſtis ac monumentis *M. Aurelii Antonini* Imperatoris, Stoicam Sectam profitentis, & idcirco divinis honoribus proſequuti Magiſtrorum ſuorum animos, poſitis in Larario imaginibus aureis, & hoſtiis ad ſepulchra mactatis, praecipue autem cum Anaglypho ipſius juſſu caelato in Apotheoſi Patris Antonini ſupra ſtylobatem Columnae; ubi Genius alatus, Mundi globum, ejuſque animam ſerpentis imagine expreſſam manu geſtat, & Superis infert Pium, cum uxore Fauſtina; ut ſcilicet indicare videatur, animas parentum e Mundi anima ſeu DEO Stoicorum avulſas per Genium cujuſque Praeſidem (quem pariter Stoici admittunt, Seneca teſtante lib. 19. Epiſtola III.) reſtitui rurſus Divinae Naturae, Univerſi ſcilicet Menti, cujus partes fuiſſe creduntur a Stoicis, ac veluti partiales Dii ha-

Digitized by Google

habentur, quemadmodum Epiphanius obſervat.

LIBER CRITICUS

Quiſquis haec omnia complectitur animo, & comparat, is profecto videt expreſſe, Stoicorum errores circa ideam Divinitatis, Mundani corporis mentem, tanquam alterum animalis naturae principium ab ipſis habitam. Duo enim principia, & naturae, partes conſtituunt, ut ex Lactantio lib. 7. cap. 3. aliiſque notavit Lipſius Phiſiologiae Stoicorum lib. I. Diſſert. V. & ſeqq. *Stoici*, (inquit Lactantius Edit. Pariſienſis 1748. Tom. 1. pag. 519.) *Naturam in duas partes dividunt, unam, quae efficiat: alteram, quae ſe ad faciendum tractabilem praebeat. In illa prima, eſſe vim ſentiendi, in hac materiam, nec alterum ſine altero poſſe. Quomodo poteſt idem eſſe quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat, idem eſſe figulum, quod lutum, aut lutum idem eſſe, quod figulum, nonne aperte inſanire videatur? At iſti uno Naturae nomine duas res diverſiſſimas*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

comprehendunt, DEUM, *& Mundum*, *Artificem*, *& opus*; *dicuntque*, *alterum ſine altero nihil poſſe*, *tamquam natura ſit* DEUS *Mundo permixtus*. *Nam interdum ſic confundunt*, *ut ſit* DEUS *ipſa mens Mundi*, *& Mundus ſit Corpus* DEI. Hanc vero naturam artificem, ſeu mentem Mundi, ignem quoque appellant, & cum Caelo, Syderibus, & Fato confundunt, ut ibidem ex Plutarco, Athenagora, & Stobaeo Lipſius obſervat. Plutarchi vera ſunt: DEUM *Stoici dicunt eſſe Ignem artificioſum*, *via vadentem in generatione Mundi*, *continentem intra ſe omnes ſeminales rationes*, *juxta quas ſingula Fato deinde ſiunt*. Neque aliter Poſidonius apud Stobaeum, DEUS *eſt ſpiritus intelligens*, *& igneus*, *formam ipſe non habens*, *ſed in omnes ſe vertens*, *& omnibus aſſimilans*. Quare & Virgilio ita canenti,

Spiritus intus alit, *totamque infuſa per artus*
Mens agitat malem, *& magno ſe corpore miſcet*

ita

ita accinit Manilius:

. . . . vivere Mundum,
Et rationis agi motu: cum ſpiritus unus,
Per cunctas habitet partes, atque irriget Orbem,
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret,

& Julius Firmicus juratiſſimus Stoicus figuram quoque circularem huic menti Mundi non veretur adſcribere: *Mens illa divina, animuſque caeleſtis, per omne Mundi Corpus in modum circuli collocatus, & nunc intrinſecus, nunc extrinſecus poſitus, cuncta regit atque componit: & propria originis generatione conceptus, ſe ad creanda, & conſervanda omnia, ignea & ſempiterna agitatione perpetuat.*

Iterum Manilius:

Qua pateat Mundum Divino numine verti,
Atque ipſum eſſe DEUM.

Didymus apud Euſebium Praep. Evang. cap. 15. *Stoici totum Mundum cum*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

cum partibus ejus , appellant DEUM . Et Seneca Epiſt.94. *Totum,hoc quo continemur, & unum, &* DEUS *eſt: & ſocii ejus, & membra ſumus.*Plutarchus vero lib.1. de Placitis Philoſ. cap. 7. DEUM *Stoici dicunt & Mundum , & Stellas , & Terram , ſed ſupremum illum , mentem in aethere* . Quibus autem gradibus Divinitas haec dividua, & verſatilis,a Stoicis , cum Varrone , diſtribuatur in Mundi mentem , & partes omnium , clariſſime exponit S. Auguſtinus de Civit. DEI lib.7. cap.6. *Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali Theologia praeloquens* , DEUM *ſe arbitrari eſſe animam Mundi , quem Graeci vocant κόσμον , & hunc ipſum Mundum , eſſe* DEUM . *Sed ſicut hominem ſapientem,cum ſit ex corpore & animo,tamen ab animo dici Sapientem; ita Mundum ,* DEUM *dici ab animo , cum ſit ex anima & corpore . Hic videtur quoquomodo confiteri unum* DEUM . *Sed , ut plures etiam introducat , adjungit , Mundum dividi in duas partes , Caelum & Ter-*

& Terram: & Caelum bifariam in aethera, & aera, terram vero in aquam & humum. E quibus ſummum, eſſe aethera, ſecundum aera, tertium aquam, infimum terram. Quas omnes partes quatuor animarum eſſe plenas, in aethere & Vere immortalium, in aqua, & terra mortalium: a ſummo autem circuitu Caeli, uſque ad circulum Lunae, aethereas animas eſſe aſtra, ac ſtellas, eoſque Caeleſtes Deos *non modo intelligi eſſe, ſed etiam videri. Inter Lunae vero gyrum, & nimborum, & ventorum cacumina, aereas eſſe animas, ſed eas animo, non oculis videri, & vocari Heroas, & Lares, et Genios. Haec eſt videlicet breviter in iſta praelocutione propoſita Theologia naturalis, quae non huic tantum, ſed et multis Philoſophis placuit etc.* Hactenus Auguſtinus.

Mirum propterea videri non debet, ſi Stoica ſupercilia deflexere aliquando ad Poetas Viri tantam gravitatem profeſſi, ut Divinitatis Mundanae partitio

LIBER CRITICUS.

tio ab Homericis etiam carminibus ſuffragium referret. Diſerte hoc tradit Lactantius capite duodecimo Libri primi *de falſa Religione*, quod ita inſcribitur: *Quomodo Stoici figmenta Poetarum ad Philoſophicam transferant rationem*. Singulis autem Homericorum Deorum nominibus ita compellant DEUM ſuum, Mundi mentem, ſimul & partem apud Laertium n. 287. *Namque Grecis* Δία *appellari, quod per ipſum ſint omnia. Eundem* Ζῆνα *vocari, quod vitae omnium ſit auctor*: Ἀθηνᾶν *autem, quod in aethere diſtentum ſit imperium ejus*: Ἥραν *vero, quod in aere*: Ἥφαιστον, *quod in artificiali igne*: Ποσειδῶνα, *quod in humore*: Δήμητραν, *quod in terra ect.* ut omnino perſpicuum ſit, hanc etiam ſententiam contineri in illa inani Philoſophia & fallacia ſecundum elementa Mundi, a qua, ut caverent, monuit Apoſtolus Colloſſenſes cap. 2. verſ. 6.

Satis haec fuerint ad exibendos Philoſo-

Digitized by Google

losophiae Storicae praecipuos errores circa ideam simplicem Divinitatis: cui perperam ipsi coniungunt, esse partem Mundi se ipsam ignentem,& inconstanter concipiunt modo mentem, modo ignem, modo aethera, sed figura minime praeditum,& ceteroqui sensibilem, ac partitionis, & graduum capacem. Cui etiam Divinitati notionem unitatis cum tribuant, unici tamen Principii vim negant; cum ipsi aequalem & coaeternam materiem per summam impietatem comminiscantur: id etiam addentes blasphemiae, Deum omnium mentem & artificem, nihil posse sine materia. Seneca Epist. 65. *Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: Causam, et Materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem, idest ratio, Materiam format, et quocumque vult, versat: ex illa, varia opera producit. Esse ergo debet aliquid unde fiat, deinde a quo fiat.*

Liber Criticus.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

Hoc causa est, illud materia. Quaerimus quid sit Causa: Ratio faciens, idest DEUS. Et concludit: *Nempe universa ex materia, et Deo constant.* Et Cicero de Stoicis: *Naturam dividebant in res duas: ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens: ex qua efficeretur aliquid. In eo quod efficeret, Vim esse censebant: in eo quod efficeretur, Materiam quandam: in utroque tamen utrumque. Neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque Vim sine aliqua Materia.* Ubi scite animadvertit Lipsius, qui utrumque locum adnotavit, *in quo tamen opinio sive error vetus notandus, censentium materiam simul cum Deo aeternam, nec alterum sine altero fuisse.*

CA-

CAPUT TERTIUM

Primus Stoicorum error a Schola tertii Zoroastris, sive Magorum Persidis; atque primorum Haereticorum Sectae ab utrisque progenitae, nempe a Magis Persis, ac Stoicis.

TErtullianus adversus Hermogenem disputans, cum Stoicis impie asserentem, fuisse materiam DEO coaequalem, recte observabat, tum hujus, tum complurium Haereseon Patriarchas fuisse Gentium Philosophos. Quocirca utrosque merito irridet, dum ait (pag. 269. Edit. Lutetiae Paris. an. 1634.) *Sane et sibi praestitit aliquid materia, ut et ipsa cum Deo possit agnosci coaequalis* DEO, *imo et adjutrix: nisi quod solus eam Hermogenes cognovit, et Haereticorum Patriarchae Philosophi. Prophetis enim, et Apostolis usque adhuc latuit, puto et* CHRISTO. Dictum Tertulliani assumit B. Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, ita scribens: *Pulchre quidam nostrorum ait: Philosophi, Pa-*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

triarchae Haereticorum, Eccleſiae puritatem perverſa maculavere doctrina. Nec minus ſcite animadvertit Barraeus in hunc Tertulliani locum, vocari merito ab ipſo Hieronymo eoſdem Philoſophos, *primogenita Aegypti, et vectes Damaſci*. Ab antiquiſſimis enim Aegyptiorum, Phoenicum, & Aſſyriorum, Doctoribus dicam, an impoſtoribus, Ethnicae Philoſophiae falſa dogmata, Haereſum ſcilicet ſemina, inſperſa ſunt Aſiae, Orienti, Aegypto, unde Graecia, & Occidens ſubinde accepit.

Aequalem igitur DEO Materiam, a Stoicis aſſertam, & ab Hermogene, aliiſque Haereticis pari pertinacia propoſitam, praeſertim ut Mali principium adſtruerent, ante Stoicos commenti ſunt Magi Perſarum, qui apud Plutarchum in lib. de Iſide & Oſiride *exiſtimant duos eſſe* DEOS, *contrariis actibus veluti deditos, unum bonorum, alterum malorum opificem*: quos etiam Oro-

Oromazan & *Areimanium* appellant, ex illius Zoroastris sententia, quem suae superstitionis, & Philosophiae putant auctorem, & fabulantur quinque annorum millibus ante bellum Trojanum floruisse; cum tamen ex ipso Persae nomine, quod ei tribuitur, jure arguat Stanlejus in *Historia Philosophiae Orientalis* lib. I. cap. 2. non esse vetustiorem aetate Cyri, & propterea tertium inter Zoroastres recensendum; & cum primo Zoroastre Chaldaeo perperam ab iis confundi, qui aequalis habetur Nino. Potissima hujus erroris occasio desumebatur ex origine malorum, quam optimae Dei naturae cum minime convenire cognoscerent, nescirent autem, bona quidem universa fuisse a DEO condita, sed abusu libertatis vitium in rationales Creaturas irrepsisse, deflexis actionibus ad alium finem, quam ad regulam morum a DEO constitutam (cujus errati poenas DEUM exigere administratione justitiae, unde

LIBER CRITICUS

unde irrogantur ea, quae ſuapte natura bona cum ſint, perditis mentibus,& a fine averſis moleſta contingunt,& habentur mala); haec,inquam, cum ignorarent, confuſam mali notionem, cum DEO ſummo bono confligere quodammodo, ac decertare, tanquam rem illi coaeternam, ſtatuerunt : duo inducentes Principia a nemine condita, ſibique adverſa, Bonorum ſcilicet cauſam, & Malorum. Huic autem abſurdae illationi,ex praejudicata notione Boni, & Mali, non modo ſubſcripſit Heraclitus, rerum omnium cauſam tribuens diſcordiae, ut ibidem refert Plutarchus; verum & univerſi ferme Ethnicorum Philoſophi, eodem Plutarcho teſte, diverſis licet ambagibus verborum, ſuffragium contulerunt.Hinc etiam Apoſtatae Chriſtiani, ubi a fide Scripturarum deſciverant,& ad elementaMundi convertebantur cum inanis Philoſophiae Profeſſoribus, ſtatim in has ſymplegadas impegerunt,in duo ſcilicet aeterna

terna Principia, duosque DEOS, Bonum, & Malum; quos Simon ille Magus & Haereticorum antesignanus confinxit, & coram Apostolico Coetu obtrudere non est veritus, ut Cerdoni, Basilidi, Valentino, Marcioni, Hermogeni proxime subsecuturis viam sterneret. Rem paucis exhibet Tertullianus adversus Hermogenem pagina 266. *Bonum et optimum definiens*, DOMINUM, inquit, *qui bona atque optima tam velit facere, quam sit; imo nihil non bonum atque optimum et velle eum, et facere. Igitur omnia ab eo bona et optima oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inveniri autem et mala ab eo facta, utique non ex arbitrio, nec ex voluntate: quia si ex arbitrio et voluntate, nihil incongruens et indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere ex vitio alicujus rei factum; ex materia esse sine dubio.* Cur autem in haec absurda dogmata prolapsus sit Hermogenes, paullo ante dixit p. 265: *A Christia-*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

stianis enim, inquit *conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam, et Porticum, inde sumpsit a Stoicis Materiam cum* DOMINO *ponere, quae ipsa semper fuerit neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua* DOMINUS *omnia postea fecerit*. Neque aliter de Marcionis errore sentiendum contra ipsum scribit lib. 5. pag. 613: imo & contra Haereses universas peculiari Opere demonstrare cum pararet, ita assentitur Apostolo praemonenti, ut inani seductione falsi nominis Sapientiae propterea caveremus. *At*, inquit, (ibi lit. C.) *cum monet cavendum a subtili loquentia, & Philosophia & inani seductione, quae sit secundum elementa Mundi; non secundum Caelum, aut Terram dicens, sed secundum literas seculares, & secundum traditionem; scilicet hominum subtililoquorum, & Philosophorum: longum est quidem & alterius Operis ostendere, hac sententia omnes Haereses damnari, quod* OMMES *ex subtililo-*

liloquentiae viribus (λεπτολογία) *& Philoſophiae regulis conſtent. Sed Marcion principalem ſuae fidei terminum de Epicuri Schola agnoſcat*, DOMINUM *inferens hebetem, ne timeri eum dicat: collocans & cum* DEO *Creatore materiam de porticu Stoicorum &c.*

Otioſum propterea non fuit commemorari inter Acta Apoſtolica Epicureos, & Stoicos cum Paulo diſceptaſſe; dum is Athenis agens, ab eiſdem pertraheretur in Areopagum: ut ſcilicet intelligeremus, quorſum Apoſtolus coeperit ab Articulo principe in Symbolo, utriuſque Sectae erroribus veritatis normam opponere, dicens, (Act. XVII. 24.) DEUS, *qui fecit Mundum, et omnia quae in eo ſunt, hic Caeli, et Terrae cum ſit* DOMINUS *etc.* Nec aliunde exordiendum ſibi eſſe duxit Tertullianus, dum radicitus evellere conſtituit in duplici Marcionis Principio omnium Haereticorum ſuccreſcentes inde propagines: *Duos*, ait, (pag. 431. lit. B.)

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

431. lit.B.) *Ponticus* DEOS *affert, tamquam duas symplegadas naufragii sui: quem negare non potuit, ideſt, creatorem, ideſt noſtrum; & quem probare non poterit, ideſt ſuum &c. Languens enim (quod & nunc multi, & maxime Haeretici) circa mali quaeſtionem: Unde malum? & obtuſis ſenſibus ipſa enormitate curioſitatis, inveniens Creatorem pronuntiantem: Ego ſum, qui condo mala: quando ipſum praeſumpſerat mali auctorem, et ex aliis argumentis, quae ita perſuadent perverſo cuique, tanto in creatorem interpretatus, malam arborem malos fructus condentem, ſcilicet mala, alium* DEUM *praeſumpſit eſſe debere in partem bonae arboris bonos fructus etc.*: & infra:

„ Principalis itaque & exinde tota
„ congreſſio de numero, an duos
„ DEOS liceat induci, ſi forte Poetica,
„ & pictoria licentia, & tertia jam
„ Haeretica. Sed veritas Chriſtiana
„ diſtricte pronunciavit: DEUS, ſi non
„ unus eſt, non eſt &c.(pag.432.l.B.)

„ Non

„ Non quasi dubitemus esse Deum,
„ dicendo, si non unus, non est: sed
„ quia, quem confidimus esse, id eum
„ definiamus esse &c. Porro summum
„ Magnum, unicum sit necesse est. Er-
„ go & Deus unicus erit: non aliter
„ Deus, nisi summum Magnum: nec
„ aliter summum Magnum, nisi pa-
„ rem non habens: nec aliter parem
„ non habens, nisi unicus fuerit. Cer-
„ te quemcumque alium Deum indu-
„ xeris, non alia poteris eum forma
„ tueri Deum, quam ut & illi pro-
„ prium Divinitatis adscripseris, sicut
„ aeternum, ita & summum Magnum.
„ Duo ergo summa Magna quomodo
„ consistent; cum hoc sit summum
„ Magnum, par non habere?

Hinc etiam in libro de Praescriptionibus, tam Haereticos, quam Philosophos aestuantes in ea Quaestione, *unde malum*, impegisse turpiter innuit in duo Principia, ita scribens (pag. 232. lit. D.): „ Eadem materia apud Hae-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS

„ reticos & Philoſophos volutatur ;
„ idem tractatus implicatur : Unde
„ malum , & quare ? & unde homo ,
„ & quomodo ? & , quod proxime Va-
„ lentinus propoſuit , unde DEUS ? &c.
„ Hinc & illae fabulae & genealogiae
„ interminabiles , & quaeſtiones in-
„ fructuoſae , & ſermones ſerpentes
„ velut cancer: a quibus nos Apoſtolus
„ refraenans,nomitatim Philoſophiam
„ conteſtatur caveri oportere,ſcribens
„ ad Colloſſenſes „ Videte ne quis vos
circumveniat per Philoſophiam , et
inanem ſeductionem , ſecundum tra-
ditionem hominum , praeter provi-
dentiam Spiritus Sancti . „ Fuerat
„ Athenis ; & iſtam ſapientiam hu-
„ manam , adfectatricem & inter-
„ polatricem veritatis,de congreſſibus
„ noverat: ipſam quoque in ſuas Hae-
„ reſes multipartitam,varietate Secta-
„ rum invicem repugnantium . Quid
„ ergo Athenis , & Hieroſolymis ;
„ quid Academiae , & Eccleſiae ; quid

„ Hae-

„ Haereticis & Christianis ? Nostra „ institutio de porticu Salomonis est.„

Liber Criticus.

Errorem alterius Principii mali, & Deo supparis, a Persarum Magis derivatum in Stoicos, licet in Simone, Marcione, atque Hermogene toties proscriptum, & Ecclesiae Decretis rejectum, iterum mutuatus est Manes (& ipse Persa) suis a gentilibus Magis; quorum disciplinis excultus cum esset a Terebintho Scythiani discipulo, visus est sibi assumere posse vocabulum optimi Disceptatoris (quod Persica lingua sonat *Manes*), ut falsi nominis scientiam praejudicata vocabuli auctoritate confidentius venditaret.

Ab obscuro igitur antro Persici Mithrae, ad porticum Stoicorum, inde autem ad Simonem Magum, ad Marcionitas, Valentinianos, Hermogenianos, & Manichaeos, quasi per manus Sapientum, tradita dogmata Principii duplicis Boni, & Mali Etnicorum, & Apostatarum Scholae contra nos afferunt:

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

runt: quibus erit in fine Operis occurrendum certamine singulari. Nunc vero alia Stoicorum effata a Divinae Scripturae oraculis reprobata proferantur in medium, juxta seriem quatuor summorum Capitum, quibus constare Methodum Christianae Sapientiae in evertendis inanibus Philosophorum Sectis paulo ante memorabamus ad calcem Capitis primi.

CAPUT QUARTUM

Secundus error Stoicorum circa Providentiam, & Mundi regimen, eorumque Fatum.

LIcet Stoicorum Philosophia lubens admitteret, providentia illius DEI, quem Mundi Mentem appellant, & collegam Materiae faciunt, rerum universitatem administrari; attamen ipsam Materiam rerum negabant esse Divina Providentia effectam. Quod Cotta Epicureus arripiens a Stoicis apud

apud Ciceronem, ita extendit ad elementa; ut ne terram quidem, nec aquam, nec aerem, & ignem a Deo factum fuisse deduceret. Locum adnotavit Salvianus. Et Lactantius *de Origine erroris* lib. 2. cap. 9. pag. 146.: „ Nam „ Cicero de Natura Deorum disputans, „ sic ait: Primum igitur non est probabile, eam Materiam rerum, unde „ orta sunt omnia, esse Divina providentia effectam; sed habere, & habuisse vim & naturam suam. Ut „ igitur faber, cum quid aedificaturus „ est, non ipse facit materiam, sed ea „ utitur, quae sit parata, fictorque „ item cera; sic isti Providentiae Divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed „ quam haberet paratam. Quod si „ non est a Deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis „ a Deo factus est. „ His autem Cottae sententiis recitatis ex Academicorum mente, & Ciceronis, merito subdit

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

dit Lactantius exclamationem: „ O „ quam multa sunt vitia in his decem „ versibus! „ quae subinde luculenter confutat eodemCapite invictis rationibus. Ante Lactantium, confutaverat Apostolus Paulus in Areopago, diserte docens, non esse de arte Divina sentiendum, quod vulgo experimur de fabrilibus hominum laboribus, materia indigentibus ad opera perficienda. Verum, omissis Academicis, atque Epicureis, pressius est heic inquirendum, quid in Stoicorum sententia consequatur, ubi semel concesserint, citra Divinae Providentiae jussum, materiam per se constitisse.

Consequebatur nempe id, quod Cotta recensuit, habuisse materiem, nulla donante Providentia, vim & naturam suam. Si vim obtinuit; qua foret; profecto et qua ageret. Non mentis vim: hac enim una distinguitur a DEO Stoicorum: ergo necessitatis. Necessitas ergo aliqua cum sit, quae citra Pro-

Digitized by Google

Liber Criticus.

Providentiae consilium materiae vim infert, hanc ipsam Necessitatem, quam invertere Providentia non potest, Fatum Stoici appellarunt: licet alibi Fatum ita definiant apud Laertium in Zenone (pag. 257. num. 288. Editionis Henrici Stephani ann. 1570.): „ Est „ autem Fatum connexa rerum series, „ sive ratio, per quam Mundus administratur „. Repetteret hic rursum Lactantius: „ O quam multa sunt vi- „ tia in his decem versibus! „

Admitti tamen a Stoicis Fatum, et Necessitatem vim Deo inferentem, cognoscimus ab eorumdem sententiis: quarum aliquas utcumque mollire conatur Lipsius (in *Physiol. Stoic.* l. 1. Diss. xii. pag. 27.), alias omnino aspernatur. „ Asper, *inquit*, initio sermo; sed „ examinatus, Stoicorum etiam vero „ sensu mitescit. Voces quidem asper- „ namur, quae dicunt: „ destinatam sortem, nec Deo fas est effugere (*Herod.* 1.): *et Philemon*: „ sunt Regibus

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

„ servi, Rex servus est DEO, DEUS „ Necessitati. Etiam noster doctor „ Seneca *De Providentia* capit. 7. „ „ eadem necessitas et DEOS alligat: „ irrevocabilis, Divina pariter, atque „ humana cursus vehit. Ille ipse „ omnium Conditor ac rector scripsit „ quidem Fata, sed sequitur. Semper „ paret; semel jussit. „ Haec talia; *subdit Lipsius*, parum decore ex dignitate DEI dicta: etsi, ut tetigi, interpretatione, ad verum sensum liquidumque deducas. Illa vero, quae consequuntur eodem loco apud Stoicum, vereor ne aliquando ad liquidum sensum deducat. Quaerit enim Seneca „: Quare tamen DEUS tam ini- „ quus in distributione Fati fuit, ut „ bonis viris paupertatem, vulnera, „ et acerba funera adscriberet? „ Interogat insipienter, et blalpheme respondet: „ Non potest artifex mutare „ materiam. Haec passa est „. Incidit nempe in eandem comparationem

DEI,

Digitized by Google

Liber Criticus.

Dei, et artificis cujuſque e trivio, ex materia fingentis: quam ſimilitudinis regulam Paulus in Areopago damnaverat (Actor. xvii. v. 29.): „ Non „ debemus aeſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturae artis, et „ cogitationis hominis, Divinum eſſe „ ſimile „. Multo autem infelicius labitur haec Providentia, Fatum materiae immutare nequaquam valens, ſi alia Stoicorum diſſidia in Rectoris aſſignatione obſerventur, quae Cicero diſerte tradit 2. libro Academicarum Quaeſtionum: Ait enim „ Zenoni, „ et reliquis fere Stoicis Aether videtur Summus Deus, mente praeditus, qua omnia regantur. Cleanthes (qui quaſi majorum eſt Gentium Stoicus) Zenonis auditor, Solem dominari, & rerum potiri putat. Itaque cogimur diſſenſione „ Sapientum Dominum noſtrum ignorare: quippe qui neſciamus, Soli, „ an Aetheri ſerviamus „. Confer

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

nunc his, ea quae Seneca in eodem Lib. *de Providentia* exponit cap. 7. poſtquam in 3. dixerat, pro univerſis majorem DIIS curam eſſe, quam ſingulorum. „ Fata, *inquit*, nos ducunt: & quan„ tum cuique temporis reſtet, prima „ naſcentium hora diſpoſuit. Cauſa„ pendet ex cauſa: privata, ac publi„ ca longus ordo rerum trahit„. Videbis praeclaro nomini Providentiae ſubeſſe Fatum, Caelo illigatum, atque horae naſcendi, & ipſum, quod amoliri conantur a Stoicis, *Fatum Aſtrologorum*. An vero defenſio S. Auguſtini (*de Civit. Dei* lib. 5. cap. 8. & ſeq.), quam Lipſius accomodat Senecae, faveat aeque etiam reliquis Stoicis, plurimum ambigo. Video enim ex ea Schola celebres Viros admodum diverſa ſenſiſſe; ut iiſdem exprobat Tullius loca indicato.

Ut igitur mitius agere velimus cum aliquibus Stoicis in eorundem ſententiis interpretandis de Providentia, et

Fato

Fato, et Mundi regimine, inconſtantiae ſaltem damnare illorum Sectam neceſſe fuerit, aut levitatis et oſcitantiae in definienda et aſſignanda certa notione Providentiae, et Fati, et regiminis hujus univerſitatis, quae materia per eos conſtat, et mente. Neque enim clare percipiunt, neque conſtanter affirmant, aut negant, a Mundi Mente ita legem ſtatui materiae motibus, ut ejuſdem contumaciam flectat invicte, quo lubeat, eique Fatum praeſcribat: an potius quaedam materiae vis ad gignenda mala [dum inobſequens arti eſt optimi Conditoris], ejuſdem quodammodo Fatum adverſum fiat, ac dira neceſſitas; atque adeo Stoicorum ſententia ad Platonis dogma inclinanda ſit, ita ſcribentis apud Plutarchum (in lib. *de Iſide, & Oſiride*): „ Mundi animas ab eo ſtatui natu „ jam grandiore in libris de Legibus: „ & cum diu fluctuaſſet, Beneficam, „ & Maleficam. „ Obſervat Lipſius, Euſe-

Digitized by Google

Liber Criticus

Eusebio praeeunte de Praepar. lib.14.
„ Vetus hoc dogma, et a Pythagora-
„ etiam usurpatum: Principiorum
„ alterum esse Unionem, ideſt Deum,
„ & Bonum: alterum infinitum Bi-
„ nionem, ideſt Daemonem, & Ma-
„ lum, circa quem Materialis multi-
„ tudo est. „ Hinc autem Hermoge-
nem haereticum transcripsisse Mate-
riam aeternam cum Creatore; ut Ma-
lum a materia, non a Creatore dedu-
ceret. Quibus propterea Tertullia-
nus, Maximus, Arnobius, Eusebius,
aliique scripta sua opposuerunt.

Verum, ne actum agamus, redar-
guentes iterum duo Principia Stoico-
rum, satis detecta capite superiori, si-
stendum heic in censura Fati Stoicorum,
male cum Providentia compositi. Ne-
mesius putat, etiam cum libertate hu-
manarum actionum aegre ab iis posse
componi. Nam in lib. *de animae facul-
tatibus* c.35. ita scribit (Vid. *Bibl. PP.* To.
9. p.616.): „ Qui autem utrumque te-
„ nent,

„ nent, & in noſtra poteſtate eſſe ali-
„ quid, & Fato omnia evenire (omni-
„ bus enim, quae fiunt, datum eſſe
„ aliquid fatale, ut aquae refrigerare,
„ cuique ſtirpi talem fructum edere,
„ lapidi deorſum ferri, igni ſurſum,
„ item animali aſſentiri, & appetere:
„ & cum huic appetitui nihil rerum
„ externarum, neque Fatum obſtite-
rit, tum ambulationem in morbis per-
fectam eſſe, & prorſus ambulaturos):
„ qui haec dicunt (ſunt autem e Stoi-
„ cis Chryſippus, & Philopater, alii-
„ que multi & nobiles), nihil aliud
„ explicant, quam omnia Fato fieri:
„ ſi enim & appetitus ajunt nobis da-
„ tos eſſe Fato; eoſque aliquando Fato
„ impediri, aliquando non impediri;
„ planum eſt, omnia fieri Fato, etiam
„ quae in nobis ſita videntur. „ Et
cap.44. pag. 630. lit.C. ita concludit,
ubi notionem Providentiae praemiſit:
„ Stoici, qui & Fatum, & in noſtra
„ eſſe aliquid poteſtate tuentur, nul-
„ lum

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

„ lum locum Providentiae relinquunt:
„ imo revera voluntates noſtras liber-
„ tate ſpoliant, quod ſupra a nobis
„ probatum eſt„. Id ipſum in Chry-
ſippi Fato redarguit Euſebius *Praepar. Evang.* lib. 6. cap. 7. Quin etiam Plutarchus eodem Saeculo, quo Stoica Philoſophia prae ceteris in Urbe vigebat, univerſa haec vitia detexit in Stoicis, praeſertim vero in Chryſippo, ſcilicet inconſtantiam dictorum, & repugnantiam Fati per ipſum aſſerti, cum Providentia, & cum libertate moralium actionum. Nam in Commentario *de Stoicorum repugnantiis*, poſtquam compluribus ex Chryſippi effatis oſtendit, juxta ejus mentem, „ Nihil ſingu-
„ larum rerum, ne minimum quidem,
„ fieri poſſe aliter, quam ſecundum
„ communem naturam, et ejus ratio-
nem; „ ſubdit: „ Ceterum commu-
„ nem naturam, ejuſque rationem
„ eſſe ipſi Fatum, Providentiam, Jo-
„ vem, ne Antipodes quidem neſciunt.

Haec

„ Haec enim ubique ab illis jactantur: „ et Homerum (ait Chrysippus isthuc), *Jovis est confecta voluntas* „ recte „ dixisse, ad Fatum respicientem, „ universique Naturam, qua omnia „ administrantur. Quomodo ergo haec „ cohaerent? DEUM nullius turpis rei „ quovis modo causam esse; et, nihil „ vel minimum secus fieri posse, quam „ secundum communem Naturam, „ ejusque rationem? „ Et, paucis interpositis, ait: „ Qualis est ergo Ju- „ piter (de Chrysippo loquor), rem „ puniens, neque ultro, neque inuti- „ liter factam? nam Chrysippi ratio ef- „ ficit, vitia omnino culpanda non „ esse, sed Jovem: sive is fecit vitia, „ quae nihil prodessent; sive punit, „ cum feciset non inutilia.

Labitur ergo in praeceps mutila Stoicorum DEI providentia, cum Fato suo, et cum Necessitate perperam alligata; ac libertatem abrumpit tum Divini consilii, tum rationalis naturae, ipsis

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

fatentibus Ethnicis, eamque impellentibus ad ruinam diſſidiis, tum aſſeclarum Zenonis inter ſe, tum ipſius Chryſippi a ſe ipſo. Cauſam vero ſuggerit tam frequentis diſcordiae inter Stoicorum dogmata Plutarchus ipſe; recte conſiderans, propenſionem in Paradoxa, quam Sectae illius aſſeclae profitebantur, occaſionem dediſſe diverſimmode pronunciandi de ideis non definitis et involutis quodammodo in confuſa notione. Ita enim loquitur apud ipſum (pag.474.col.2.circa fin.) Lamprias in Dialogo adverſus Stoicos:

„ Sed Stoici adeo cupiunt ſemper con-
„ tra communes notitias dixiſſe vide-
„ ri; ut novitatis cauſa ſaepe a ſe ipſis
„ deſciſcant.

CAPUT QUINTUM

Origo ſecundi Stoicorum erroris a Fato Chaldaeorum illuſtratur antiquis Lapidibus utriuſque Sectae dogmate conſignatis.

PHilo Judaeorum Philoſophus maxime illuſtris, ea praeſertim aetate, quae Senecam, atque Epictetum Stoicorum magna lumina tulit, eandem ferme ſententiam Chaldaeis tribuit, quam aſſeri vidimus a Schola Zenonis. (a) *Chaldaei*, inquit, *ſuper alios homines Aſtronomiam, et Genethliacam excolentes, Infera Superis, Caeleſtia terrenis adaptare et jungere nitebantur: tanquam Muſicis rationibus omnia concinere, et convenire inter ſe ajebant, locis diſiuncta, cognatione conjuncta. Iidem, apparentem hunc & ſenſibus ſubjectum Mundum, ſuſpicati ſunt & ediderunt, aut ſolum ipſum eſſe* DEUM, *aut, quae eo continetur, Univerſi animam. Fatum autem, & Neceſſitatem Deificantes, ut ſic dicam, & conſecrantes, ſumma impietate vitam*

(a) *Lib.* περὶ ἀστοιχίας &c.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

humanam repleverunt, docentes, praeter haec quae conſpiciuntur, nullam eſſe omnium cauſam. Sunt ipſa Stoica (inquit Lipſius), *quae* Rationem *in hac anima*, Fatum et Neceſſitatem *etiam interpretabantur. Abſurda igitur ſic accepta &c.* Idem Philo in Libro, *Quis rerum Divinarum haeres*, ſuggillat Chaldaeos etiam aetate Abrahami viventes, quod Mundum dicerent DEUM, non vero opus DEI. Verba Philonis Latine reddita, ſunt (ex Edit. Lugd. an. 1561, pag. mihi 426.): *Siquidem dudum donatum bonum, exitus erat e Meteorologia Chaldaica, quae docebat credere, Mundum non opus* DEI, *ſed* DEUM *ipſum eſſe, & bona, malaque imputare Stellarum certis ordinatiſque curſibus, unde bonorum, malorumque cauſae pendeant. Hanc tam prodigioſam opinionem homines ad credendum faciles hauſerant ex aequabili motu orbium Caeleſtium.*

Scio ad haec objicere Clericum in Indice ad Stanleji *Hiſtoriam Philoſophiae*

phiae Orientalis, voce *Mundus*: *Calumniam ſane redolet; nisi forte Philo Platonicam ſententiam cum Chaldaica confuderit. Imo ne Plato quidem negavit, Mundum eſſe opus* DEI; *licet* DEUM *crediderit propter animum eum inhabitantem*. Vide Timaeum. At heic nulla eſt nobis cum Platonicis diſceptatio. Sive Philoni aſſentiamur, criminanti Chaldaeos Abrahamo aequales, quod Mundum, vel animam Mundi dicerent DEUM, necnon cumularent nominibus *Fati, & Neceſſitatis*; ſive tribuamus Chaldaeis recentioribus Zoroaſtris antiqui doctrinam de uno DEO omnium DOMINO & conditore, & Genethliacae ſuperſtitionis Artem, quam poſtmodum Aegyptios, & Graecos inſtituerunt; certum eſt, Chaldaeos Genethliacos & Magos praeiviſſe Stoicis in ea ſententia, qua ſunt opinati, aut Mundum, aut ejus Animam ſolum eſſe DEUM, & rerum omnium Fatum, ac Neceſſitatem: & moveri ab hoc animan-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

mante DEO (per lumen errantium & inerrantium Syderum , aut per aetheris inſitam vim) univerſa & ſingula Mundo incluſa ad certos & ineluctabiles curſus . Hujus autem magni animantis DEI , Fati , & Neceſſitatis, partes quaſdam minores eſſe autumant XII., quas appellant Principes Deos , eoſque reſpondere putant totidem Signis Zodiaci, Divinis honoribus cultis cum Baal, Sole , ac Luna , et omni Militia Caeli , antequam pius Joſias 4. *Regum* XXIII. v.5. haruſpices , et cultores eorundem deleret . *Diodorus Siculus* lib. 2. ſect. XXX. et ſequentibus Theologiam Chaldaeorum ita digerit, ut Stoicae videatur exemplar:

Ceterum, inquit, *Chaldaei Mundi quidem naturam ſempiternam eſſe perbibent, quae neque certum principii ortum habeat, neque corruptionem ullo deinceps tempore admittat: ſed ordinem hunc , & ornatum universi a Divina quadam Providentia exiſtere: quaeque nunc in Caelo fiunt , ſin-*

singula non casu, aut sua quadam sponte, sed determinato, & firmiter rato Dei *judicio perfici*. Haec nempe, quam Diodorus describit in sempiterna Mundi natura providentiam, ordinem et ornatum universi curantem, juxta Chaldaeos providentia est, Fatum et Necessitas Stoicorum, ab anima Mundi, sive ab ipsorum praecipuo Deo seu Ratione profecta; ut singulas sui partes animantium more procuret ac moveat legibus, materiae et Mentis indoli indeclinabiliter constitutis. Sub hoc autem Deo universos complexo, Mundi scilicet anima, xii. Deos Principes, et duplum Judicum numerum (pro totidem Asterismis Chaldaeorum) ita recensent: „ Deos, *inquit*, Prin-
„ cipes numerant xii. singulis Men-
„ sem, & de xii. Zodiaci signis unum
„ attribuunt. Per haec Sol, et Luna
„ ipsis cursitant, ceterique Planetae
„ quinque: ita ut Sol anni, Luna men-
„ sis spatio orbis sui iter metiantur.

„ Pla-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

„ Planetarum unicuique proprium
„ assignant cursum, qui per disparia
„ celeritatis momenta, temporumque
„ spatia exigatur. Has stellas pluri-
„ mum tum boni, tum mali ad homi-
„ num generationes et ortum confer-
„ re, et ex naturae illarum considera-
„ tione eventus humanos cognosci etc.
„ Privatis etiam, quid eventurum sit,
„ exponunt tam certo, ut experti, pro
„ miraculo humanum excedente mo-
„ dum istud reputent. Extra Zodia-
„ cum porro XXIV. definiunt stellas,
„ quarum XII. Borealem, XII. Au-
„ stralem sibi Regionem vendicent.
„ Inter has, quae apparent, viventi-
„ bus deputant; quae latent, vita
„ functis congregatas existimant: et
„ has omnium rerum IVDICES ap-
„ pellant.

Reliquum Chaldaicae hujus doctri-
nae systema petendum est ex Teucro
Babylonio apud Scaligerum in Notis
ad Manilium, ex Firmico, aliisque,

Apo-

Liber Criticus.

Apoteleſmaticae Artis originem Chaldaeam, et additamenta Aegyptiorum atque Arabum exponentibus.

Monumentum ſatis illuſtre, neſcio an unicum quod ſuperſit, Chaldaicae Diſciplinae, aeri inciſum in Tab. 1. Saeculi II. noſtrae *Demonſtrationis Hiſtoriae Eccleſiaſticae Quadripartitae*, aſſervatur in Palatio Pontificio Vaticano, effoſſum in Monte Aventino; ubi etiam reperta ſunt nonnulla fragmenta, ad Graecorum Sapientes pertinentia, opere Muſivo elaborata, quae in noſtro pariter Cimeliarchio Barbatiano expreſſa viſuntur.

Hoc ipſum, quod indicamus, Chaldaicae doctrinae teſtimonium expoſuit Franciſcus Blanchinus patruus meus in Opere infra edendo, quod inſcribitur, *de Globo Farnesiano*, ubi de Sapientibus Aſſyriis, ſive Babyloniis, et Aegyptiis loquitur. Recolenda tamen ſunt heic nonnulla, quae pertinent ad Decanos, et Terminos Signorum, in eodem monumen-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

to consignatos; quae Chaldaicam Disciplinam ab Aegyptia distinguunt.

Signis igitur XII. per Zodiaci fasciam distributis, sive XII. Diis Principibus assignavere singillatim Chaldaei gradus XXX, tres in decurias ita ordinatos, ut singulis Decuriis praesideret Decanus, DEUS scilicet aliquis succenturiatus Planetae, ex VII. erronibus, cui eandem Decuriam subjiciunt. Stanlejus in *Historia Philosof. Orientalis* p.2. cap.20. ex Veterum testimoniis ita descripsit: *Haec fuisse veterum Chaldaeorum inventa, liquet non modo ex eo, quod de hisce scripserit Teucer Babylonius, sed etiam, quod ab Aegyptiis, qui, auctore Josepho, ex Chaldaeis hanc eruditionem derivaverunt, observata fuerint. Nicipso Rex Aegypti, idemque justissimus Princeps (si Firmico credimus), ex Decanis morbos omnes collegerat, ostenderatque, quinam ab unoquoque curentur Decano: quoniam Natura ab alia Natura, DEUS unus ab alio*

su-

ſuperaretur DEO. *Idem Scriptor docet, etiam a Petoſiride hanc Aſtrologiae partem leviter perſtrictam ſuiſſe, non quod eam ignoraret, ſed quod nollet ſuam eruditionem ad Poſteros traduci.*

Audiendus etiam Scaliger in Notis ad Manilium pag. 296. „ Quum autem „ tricenarum partium ſignum ſit, „ unumquodque Decurias ternas habet. Singulis Decuriis, ſinguli Decani praeſident. Primae parti Arietis, praeſidet Aries ipſe, & reliquis novem. Undecimae, & reliquis novem, Taurus &c. Eadem ratio in reliquis: ut nimirum in uno Signo terni Decani ſint: quia tribus contuberniis, ſeu Decuriis diſtincta ſunt. Res admodum priſca eſti (nam & vetuſtiſſimus Scriptor Teucer Babylonius Decurias iſtas tractavit). abrogata vero a Ptolemaeo, & ab Arabibus relata, qui has partes vocant Wageah.

Conſueverunt autem priſci Aegy-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

ptii certis nominibus & figuris exprimere ſingulorum Signorum Decanos tres, quos a Chaldaeis fuerant mutuati. Marmorea Tabula in Aventino e ruderibus egeſta, eoſdem proponit, una cum Planeta, cujus poteſtati Decanus ſubjicitur. Nomina vero Decanorum Arabica leguntur apud Scaligerum in Notis ad Manilium pag. 442. accepta ex R. Aben Ezra.

Aries. ♂ Primus Decanus ASSICAN Martis: audaciae fortitudinis, elationis, inverecundiae.

☉ Secundus Decanus SENACHER Solis: nobilitatis, magnanimitatis, regni, & magni Dominii.

♀ Tertius Decanus ACENTACER Veneris: ſolertiae, manſuetudinis, ludorum, jocorum, munditiarum.

In marmore obſervari poteſt eodem ordine impoſitos fuiſſe tres planetas Martem, Solem, ac Venerem tribus figuris Decanorum, incluſis in ſigno Arietis; quarum ſymbola Aegyptia, nemo eſt qui non

non videat; cum secunda donetur accipitris capite, ut Solis vim exprimat, cui subest, & nobilitatis, magnanimitatis, ac regni ferat indicium, juxta interpretationem Decani SENACHER dicti: quemadmodum Decanus illi praecedens ASSICAN gestat bipennem, ad significandam *audaciam*, & *fortitudinem*, ab Apotelesmaticis Chaldaeis illi tributam: ac tertius figuram exhibet utraque manu corollas gerentem, ac stolatam, ut referat indicationes Decani ACENTACER, munditiarum, & ludorum amantis. Consequitur in marmorea Tabula primus Decanus Tauri, Mercurio subjectus: qui, cum exprimatur per figuram pallio ornatam, & canino Anubidis capite praeditam, satis congruenter proponit symbola Scientiarum Civilium, & Geometriae, juxta Chaldaeos & Aegyptios assignata huic Decano ASITACH sub tutela Mercurii, quemadmodum tradit Aben Ezra apud Scaligerum loco indicato. Posse-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

Poſſemus facile ſingulos Decanos cum iconibus hiſce conferre, niſi abruptum marmor deſiderium cererarum nobis relinqueret, praeter ultimum Decanum *Virginis*, ac tres *Librae* ſubjectos; qui figurantur imaginibus accommodatis ad ejuſmodi praejudicia Fati Chaldaeorum.

Verum haec uberius proſequitur Patruus meus in Diſſertatione infra edenda de Globo Farneſiano, in qua agit de Sapientibus Chaldaeis, Babyloniis, & Aegyptiis, eorumque inventis, ex hoc praecipue marmore manifeſtis. Unum tantummodo heic eſt adnotandum, nempe duodecim ſtellas (quas extra Zodiacum in hemiſpherio Boreali, juxta Diodori narrationem, ſtatuerunt Chaldaei, & *omnium rerum Judices* appellarunt, viventibus deputatas, ad diſcrimen aliarum duodecim extra Zodiacum in Auſtrali hemiſpherio mortuis aſſignatas), figurari hoc in marmore inter Zodiaci circulum, & tres Phoe-

Phoenicum Aſteriſmos Arctico circulo incluſos, Urſas videlicet, & Draconem. Sunt autem illi xii. Judices, aſteriſmi animalium figuris expreſſi; e quibus quatuor cum fragmento Tabulae nondum reperto deſiderantur. Econtra termini Planetarum, juxta quos uniuſcujuſque Signi xxx. gradus numerabilibus Graecorum literis diſtribuit Marmor, definiti non ſunt ex ſyſtemate Chaldaeorum, ſed juxta Aegyptiorum Monomoeriam: ut facile intelliget quiſquis contulerit expreſſos in Marmore graduum numeros, cum triplici partitione, quam Tayus retulit in notis ad Manilium lib. 2. verſ. 745. pag. 204. Ibi enim termini Planetarum in ſigno Arietis ita exprimuntur:

Juxta Aegyptios	♃6. ♀6. ☿8. ♂5. ♄5
Juxta Chaldaeos	♃8. ♀7. ♄6. ☿5. ♂4
Juxta Authorem ignotum	♃6. ♀8. ☿5. ♂5. ♄4

In Marmore ipſiſſima eſt Aegyptiorum diſtributio, nempe

☉. ☾.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

G. G. H. E. E.
6. 6. 8. 5. 5.

Singulis vero gradibus in ſua Myriogeneſi, & monomoeriis aptarunt Aegyptii (& Arabes male feriati a male feriatis acceperunt), ut ait Scaliger, ſingulas imagines : quas iſte ex Aben Ezra cum deſcriberet in notis ad Manilium pag. 442, dignum cordato viro judicium protulit de hujuſmodi naeniis, dicens : *Haec nos ideo proponimus, ut ματαιοτεχνίαν potius traducamus, quam ut in illis aliquid ullius bonae frugis eſſe putemus. Imo contra, haec omnia tam digna illorum otio, qui haec commenti ſunt, judicamus, quam indigna occupationibus eorum, qui nobilioribus curis capiuntur.*

Nec tamen inutile nobis fuit, haec figmenta Decanorum, & Fati Chaldaici ſimul, ac Stoici comprobaſſe teſtimoniis Lapidum antiquorum ; ut oculis ſubjecta fidelibus demonſtrent origines Fati, & Neceſſitatis, cum Providentia aeternae Materiae malis ſerviliter

liter obsequente, quam in Mundi Anima Genethliacorum, & Stoicorum error pari ferme audacia aut imprudentia confinxit.

Quin, ut evidentius percipiatur systema Stoicorum, de quo nunc agimus, coagmentans Fatum, & Necessitatem cum Providentia in ea Ratione, (seu λογῳ), quam asserit esse Mundi Animam, & Principem omnium Deum materiae a se non conditae sed aeternae intimum ac circumfusum; dabo documentum asserti erroris, a Stoico Imperatore propositum in Apotheosi Patris *Antonini*, tanquam praecipuam suae Teologiae professionem, & dedicatum in Campo Martio, ut omnium praesentium pariter ac posterorum oculis usurparetur.

Marci consilium fuerat, in funere Patris *Antonini* cognomento *Pii*, honores Divinos eidem decernere more Majorum. Ne quis tamen obtenderet, ambitione potius, quam verae pietatis

LIBER CRITICUS.

ſtudio id officium a ſe praeſtari, rationem ſententiae ſuae cenſuit publice proponendam, eamque depromptam oſtendere ex placitis ſanctioris & gravioris Philoſophiae, qualem in Stoicae Sectae cultoribus, a quibus fuerat ipſe inſtitutus, Roma tunc maxime venerabatur. Propoſuit itaque ſupra Stylobatam Columnae, nunc ante Curiam Innocentianam, olim in Campo Martio excitatae, ubi crematum fuerat cadaver Principis conſecrati, Genium alatum, ferentem humeris in ſublime protomen *Antonini* patris, & matris *Fauſtinae*, & manu geſtantem ſtellatum Globum, cui ſerpens circumfuſus advolvitur.

Symbolum Globi, ſpiris a ſerpente praecincti, nemo dubitat eſſe apud Aegyptiorum Sapientes imaginem Mundanae univerſitatis, ab anima ſeu mente moderatrice illi circumfuſa & inſidente vitam motumque omnem trahentis, juxta eorumdem ſententiam, quam a Chaldaeis accepiſſe dicuntur, licet

licet a se illis traditam assererent. Nihil frequentius occurrit ejusmodi symbolo in Obeliscis, aliisque monimentis Aegyptiorum, quae hjeroglyphicis characteribus sint incisa. Videndus passim P. Kircherius in Obelisco Panphil. pag. 348. & 399. lib. 5. cap. 3. & Hierogrammum. 17. lib. 4. & in expositione Obelisci Mahutei pag. 37. ubi adducit ex Horo in *Hieroglyphicis*, & Eusebio in *Praeparat. Euang.* luculenta testimonia, quibus ostenditur, tum Globo, tum etiam circulo, cui serpens sit insertus, Spiritum igneum toti universo infusum apte signari. Consulendus etiam P. Bonjour in Dissert. *de Joseph Patriarcha* pag. 3. ubi ex Macrobio, & Auctore Orphicorum apud Athenagoram ostendit, Mundi simulacrum in Ethnicorum Sacris exhiberi per ovum forma tereti, ac pene spirali, & per serpentem apud Aegyptios. Quam vero Divinitatem huic aspectabili Mundo, & praesertim Caelestibus corpori-

Liber Criticus.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

bus, tribuant iidem Aegyptii, eamque alligatam Fato, & Neceſſitati, ſatis ſuperque cognoſcimus ex Porphyrii Epiſtola ab Euſebio producta *Praep. Euang.* lib. 3. ubi etiam addit, aetate quoque ſua vigere apud Aegyptios ejuſmodi Theologiam, quam ad Graecos emanaſſe ipſi concedunt. Summa eſt, Solem, ſive animam Mundi, eſſe praecipuum DEUM & conditorem, una cum ſyderibus in Deorum numero cenſitis: horum ex motibus pendere neceſſario Fatum univerſorum. Praeter hos vero DEOS, nullam eſſe intellectualem ſubſtantiam, quae aliquando condiderit ea, quae videmus. Quare etiam vota Soli, ac Syderibus tantum, nuncupant, tamquam arbitris Fati & Neceſſitatis omnium rerum.

Hiſce Principiis addebant Stoici nomina rationalis Naturae, & Providentiae, quam Mundi animae, ſuo ſcilicet DEO, Fatoque ac Neceſſitati, ignea natura praedito, & materiam in motum

tum agenti ita aptaverunt, ut in animis singulorum agnoscerent non modo vim, sed etiam partem illius Dei providentis, parentis tamen Fato, & Necessitati. Eam vero partem Mundanae ac universalis Deorum animae, Fatis urgentibus in sublunaria corpora illapsam hora Natali, iisdem Fatis donantibus tandiu inter nos versari & ciere diversos motus, donec soluta vinculo materiae sublunaris, reciperetur iterum fatali lege in eam sedem Caelestis corporis, Astri scilicet Deique sui, quam prius animando obtinuerat, Deum ubique constituens, cujus pars esse nunquam destiterat. Hinc Mundi Genius sive anima Universi, & Deus Stoicorum, qualem Globus & serpens etiam ostendunt, a *Marco Aurelio* exhibetur, humeris efferens in sublime illam sui partem, quae constituerat, juxta eorumdem principia, animas utriusque Parentis *Pii*, & *Faustinae*. Eodem vehiculo in Caelum ferri videtur

LIBER CRITICUS.

tur anima uxoris *Fauſtinae* in alio anaglypho Capitolino, ubi Apotheoſim ejuſdem exhibuit ad radices montis Tauri, necnon in Nummis eodem typo obſignatis ex Senatus Conſulto. Eodem, inquam, vehiculo caeleſtis ignis. Licet enim Genius mas & alatus in ſtylobate Columnae cernatur, & in Tabula Capitolina ac Nummis Figura muliebris *Fauſtinam* in Caelum vehat (non ſecus ac hominum mentes, quae Fati circulis recurrentibus eo reverti dicebantur, unde abreptae naſcendo fuerant), face tamen inſtructa eadem figura cum ſit, ſymbolum prodit caeleſtis ignis, quo animam Mundi conſtare utrobique Marcus affirmat, juxta ejus Philoſophiae dogmata, quam a Chaldaeis Aegyptii, ac ab Aegyptiis Graeci & Latini, Stoici potiſſimum, hauſerant. Hujus autem ſententiae ſuae teſtimonium luculentum reliquit *Marcus* lib. VI. *de vita ſua* num. 22, ubi haec perſcripſit: *Alexander Macedo, agaſoque*

ſoque ejus mortui, in idem ſunt redacti: aut enim aſſumpti ſunt ad Mentem Mundi eam, qua ſati ſunt reliquorum animi, aut diſſipati ſunt in atomos, unus perinde atque alter.

Jure igitur Philo damnaverat Sectas, ſive antiquiſſimas a primo Zoroaſtre profectas, ſive paulo recentiores ex Meteorologia Chaldaica diſſeminatas inter Aegyptios, & Graecos, quae docebant, Mundum non eſſe opus DEI, ſed DEUM ipſum, & bona, malaque imputare certis Stellarum curſibus, unde bonorum, malorumque cauſae pendeant non tam Providentiae legibus, quam Fati, & Neceſſitatis: quemadmodum jure damnaſſet Stoici Cleantis aſſertum DEUM, apud Tullium *de Nat. Deorum* lib. 1. *cum ipſum Mundum, eſſe* DEUM *dicit: tum ultimum & altiſſimum, atque undique circumfuſum & extremum, omnia cingentem, atque complexum Ardorem, qui Aether nominatur, certiſſimum* DEUM *judicat*; necnon Scipionis ſimile

rat, ita confidere, ut quotidie consuleret Genitalis horae suae thema Caeleste, operum auspicia, & sortes inde ducturus. Qua de re cum ab Ecclesiae Doctoribus persaepe admonitus non resipisceret, sed occasionem inde sumeret Fati pertinacius asserendi, Ecclesia tandem ejicitur, ut ex S. Epiphanio *de pond. & mens.* num. 14. necnon ex Auctore Chronici Alexandrini adnotarunt Ven. Dei Servus Caesar Card. Baronius ad ann. CHRISTI 137. aliique Scriptores. Tum vero Judaeis accessit, eorumque Linguam mira celeritate assequutus, novam Bibliorum Translationem edidit Graece, eo praesertim consilio, ut Versionem LXX. Interpretum eluderet, ac testimonia de CHRISTO in Scripturis prolata perverteret.

Haec leviter attigisse sufficiat de consectariis erroribus, a Fato Chaldaeorum & Stoicorum prognatis Saeculo CHRISTI I. & II. quo praesertim sub Imperatoribus *Antoninis* vana Astrologiae

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

judiciariae commenta, una cum Stoicorum, et Platonicorum Sectis, frequentabantur in Scholis Ethnicorum: quas propterea configendas & rescindendas susceperant invicto DEI verbo Apostolicae Cathedrae Successores, et assertores ac vindices Divinae Sapientiae, Petri auctoritate constituti in praecipuis Sedibus Romani Imperii, ubi Judaeorum atque Ethnicorum Academiae in primis celebres habebantur; ut opportune ibidem confligerent cum falsi Nominis Scientia sub conspectu Episcoporum Christiani Catechistae ac Doctores; quemadmodum S. Justinus, qui contra Fatum Stoicorum declamavit in Senat. Apol. II. Erit alibi locus indicandi singillatim easdem Scholas Thronis Apostolicis adhaerentes. Nunc autem institutum ordinem prosequamur, exponentes eos, qui supersunt, errores Stoicorum praecipuos circa summa Sapientiae capita, juxta enumerationem a nobis praemissam Capite primo.

CA-

CAPUT SEXTUM.

Tertius error Stoicorum in Quaestione de summo Bono.

STOICI, cum semel aberrassent, in vera DEI notione obvolvenda ac permiscenda cum Mundi anima, Fato, & Necessitate, Summi etiam Boni rationem, in DEO bonorum omnium origine ac termino unice sitam, ad alias res traduxerunt, ejusdem loco impie subrogatas, tanquam album humanis actionibus propositum, in quem vota Beatae vitae consequendae collinearent. Tumida nempe opinione suorum animorum elati, cum DEI Mundani ac supremi, quem, compegerant, se ipsos singuli partem constituissent, nihil extra se quaerendum asseverabant, ut summum Bonum assequerentur. In hominis autem animo virtutem excellere facile admittebatur. Bonum itaque summum, in animi nostri virtute situm esse inde inferebant. Quae ut concedatur cum honesto per-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

petuo componi, ut plurimorum Philosophorum sententia fuit, a Stoicis nomine potius, quam re dissidentium, (quemadmodum Cicero in tertio & quarto *de Finibus* saepe affirmavit;) attamen honesti fontem a sui dilectione cum peteret Stoicorum studiosissimus Cato; tum in his quae sunt consentanea naturae seligendis virtutem poneret, ac summum bonum; in utroque falli Viro ceteroqui doctissimo contigit. Neque enim integram consuluit naturam, uti erat a Conditore Optimo constituta; neque ipsum Conditorem Optimum, naturae a se conditae uti Auctorem ac DOMINUM; ita etiam finem ac terminum, solumque compotem ejus reparandae, atque beandae usquam vidit. Duplex igitur error Stoicos imprudenter abrepit; dum animi nostri naturam DEI partem esse constituit, ab eo non extraneam, neque alienatam mali delectu voluntario.

Primus error est, quo perperam sisti-

tur

Digitized by Google

tur in hominis natura, tanquam in Deo; cum sit ad Deum haec ipsa referenda, tanquam ad terminum, cui laudando fruendoque sit condita.

Secundus error, in naturali principio sui diligendi, a Catone & a Stoicis posito, latet, atque insidiatur corruptis mentibus. Siquidem confusis plerumque notionibus obscurant Zenonis assectae suas enunciationes; quod eisdem objectat Cicero (*De Fin.* lib. 4. num. 1. & 2.): heic autem obscurae, notioni falsum assumptum copulant. Judicant enim secundum naturam vivere, satis a se teneri; cum tamen haudquaquam noverint, an ulla naturae suae primae institutionis oblita sit, atque ita exciderit, ut vim non retineat suam, a primo ad extremum. Hac igitur omissa animadversione, obscurant objecta cogitationum, & falso de attributis pronunciant. Jure igitur Tullius (*ibi* num. 34.) intulit, in Aristonis vitia Stoicorum Philosophiam incidere etiam

LIBER CRITICUS.

etiam nolentem : *Ipsa institutio hominis*, inquit, *si loqueretur, haec diceret : primos suos quasi coeptus, appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quod maxime natura vellet. Explanetur igitur.* Verum nec Cicero Stoicis felicior fuit in assequendis *primis* naturae, quibus ita perficeretur, ut, suo percepto principio & fine, foret beata : licet ad rem propius accesserit, quum ita loquentem induxit naturam (ibi num. 39.): *Natura jure respondebit, non esse verum, aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae, peti : esse enim unam rationem, qua & principia rerum agendarum, & ultima bonorum continerentur : atque, ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas, praeter virtutes, & vitia, inter quas quidquam omnino interesset : sic errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in virtute, aut vitio, propensionem, ne minimi quidem momenti, ad*

ed by Google

ad ſummum bonum adipiſcendum diceret: & cum ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet, ad appetitionem autem rerum eſſe in his momenta diceret, quaſi vero haec appetitio non ad Summi Boni adeptionem pertineret.

Stoicorum ſuperbiam utilius compreſſerunt Lactantius, & Auguſtinus, per Fidei Chriſtianae dogmata manuducentes corruptam naturam hominis ad finem bonorum, eundemque Summum Bonum, a quo peccando deſciverat. Et Lactantius quidem Lib. 3. *Inſtitutionum* cap. 7, & conſequentibus (ubi omnes perſtringit Philoſophos Ethnicorum), ita ad Zenonem deſcendit (Tom. I. cap. 8. pag. 206.): *Audiamus etiam Zenonem: nam is interdum virtutem ſomniat. Summum*, inquit; *eſt bonum, cum natura conſentanee vivere. Belluarum igitur nobis more vivendum eſt. Nam, quae abeſſe debent ab homine, in iis omnia deprehenduntur: voluptates appetunt, metuunt, fallunt, in-*

LIBER CRITICUS.

insidiantur, occidunt, &, quod ad rem maxime attinet, DEUM *nesciunt. Quid ergo me docet, ut vivam secundum naturam, quae ipsa in deterius prona est, & quibusdam blandimentis lenioribus in vitia praecipitat? Vel si aliam mutorum, aliam hominis dicit esse naturam, quod homo ad virtutem sit genitus, nonnihil dicit: sed tamen non erit definitio summi boni; quia nullum est animal, quod non secundum naturam suam vivat. Qui Scientiam, summum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit: sed scientiam, alterius rei gratia homines appetunt, non propter ipsam &c.* & paulo post: *Virtus autem cum Scientia conjuncta, est Sapientia. Superest, ut eos etiam refellamus, qui Virtutem ipsam summum bonum putaverunt (in qua opinione etiam M. Tullius fuit,* qui idcirco monuit saepius, nomine potius, quam re, Stoicos ab antiquis Academicis dissidere); *in quo multum inconsiderati fuerunt. Non enim Virtus ipsa est summum bonum, sed effectrix*

Arix & mater est Summi Boni ; quoniam perveniri ad illud sine Virtute non potest. Tum, confutatis opinionibus Stoicorum, & his affinibus sententiis, caput 9. ita exorditur (pag.208.): *Venio nunc ad verae Sapientiae summum bonum, cujus natura hoc modo determinanda est: Primum, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal: deinde, ut solius animi, nec communicari possit cum corpore: postremo, ut non possit cuiquam sine scientia & virtute contingere.* Et, paucis interpositis, contra Anaxagoram ita aperit summum bonum (pag.210.): *Si quis hominem, qui vere sapiat, interroget, cujus rei gratia natus sit? respondebit intrepidus ac paratus, colendi se* DEI *gratia natum, qui nos ideo genera-vit, ut ei serviamus. Servire autem* DEO, *nihil aliud est, quam bonis operibus tueri & conservare justitiam.* Postremo concludit ignotam Anaxagorae, Stoicis, ceterisque Philosophis sententiam (cap.x. pag.211.): *Summum*

igi-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

igitur hominis bonum, in sola religione est. Firmamentum vero tam rationabilis pronunciati breviter explicat undecimo Capite (pag. 213.), dicens, *Naturam hominis hanc* DEUS *esse voluit, ut duarum rerum cupidus, & appetens esset, religionis, & sapientiae. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia, aut sapientiae soli studeant, omissa religione; cum alterum sine altero verum esse non possit. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quae illos docere poterat,* DEOS *multos esse non posset: aut studeant sapientiae, sed ideo falsae, quia religionem Summi* DEI *omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. Sic homines, qui alterutrum suscipiunt, vitam deviam, maximisque erroribus plenam sequuntur; quoniam in his duobus inseparabiliter connexis, & officium hominis, & veritas omnis inclusa est. Miror itaque, nullum omnino Philosophorum extitisse, qui sedem ac domicilium*

cilium ſummi boni reperiret. Sed preſſius urget Stoicos, negantes ſine virtute effici quemquam beatum poſſe (cap. 12. pag. 216.): *Ergo virtutis praemium*, inquit; *beata vita eſt, ſi virtus*, (ut recte dictum eſt) *beatam vitam facit. Non eſt igitur*, (ut ajunt), *propter ſe ipſam virtus expetenda, ſed propter vitam beatam, quae virtutem neceſſario ſequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod eſſet ſummum bonum.*

Pari ferme progreſſu Stoicorum erroris originem aſſequitur Auguſtinus lib. XIX. (Cap. 1. pag. 539.) *de Civitate* DEI, cujus argumentum praecipuam fecit quaeſtionem de ſummo bono: *Quoniam*, inquit, *de Civitatis utriuſque, terrenae ſcilicet, & Caeleſtis debitis finibus deinceps mihi videor diſputandum; prius exponenda ſunt, quantum Operis hujus terminandi ratio patitur, argumenta mortalium, quibus ſibi ipſi beatitudinem facere in hujus vitae*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

infelicitate moliti ſunt, ut ab eorum rebus vanis ſpes noſtra quid differat, quam DEUS *nobis dedit, & res ipſa, hoc eſt, vera beatitudo, quam dabit, non tantum auctoritate divina, ſed adhibita etiam ratione, qualem propter infideles poſſumus adhibere, clareſcat. De finibus enim bonorum, & malorum, multa, & multipliciter inter ſe Philoſophi diſputarunt: quam quaeſtionem maxima intentione verſantes, invenire conati ſunt, quid efficiat hominem beatum. Illud enim eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cetera; ipſum autem, propter ſe ipſum: & illud, finis mali, propter quod vitanda ſunt cetera, ipſum autem, propter ſe ipſum. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo conſumatur, ut non ſit; ſed quo perficiatur, ut plenum ſit: & finem mali, non quo eſſe deſinat, ſed quo uſque nocendo perducat. Fines itaque iſti ſunt, ſummum bonum, & ſummum malum.*

De quibus inveniendis, atque in hac vita

Digitized by Google

vita ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo, multum, ſicut dixi, laboraverunt, qui ſtudium ſapientiae in hujus ſaeculi vanitate profeſſi ſunt: nec tamen eos, quamvis diverſis errantes modis, naturae limes in tantum ab itinere veritatis deviare permiſit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent, & malorum. Ex qua tripertita velut generalium diſtributione Sectarum, Marcus Varro in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus, advertit, ut ad CCLXXXVIII. *Sectas, non quae jam eſſent, ſed quae eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillime perveniret.*

Hic ſcite enumerat truncos, ut ita dicam, praecipuos, unde tot rami ac ſurculi ſuboriuntur, Sectarum differentias conſtituentes diverſis poſitis finibus bonorum, & malorum: *Neque enim exiſtimat* (ait de Varrone) *ullam Philoſophiae Sectam eſſe dicendam, quae non*

LIBER CRITICUS.

non eo diſtet a ceteris, quod diverſos habeat fines bonorum, & malorum. Quandoquidem nulla eſt homini cauſa philoſophandi, niſi ut beatus ſit. Quod autem beatum facit, ipſe eſt finis boni. Nulla eſt igitur cauſa philoſophandi, niſi finis boni. Quamobrem, quae nullum boni finem ſectatur, nulla Philoſophiae Secta dicenda eſt. Praeciſis igitur ramulis, in quibus nulla diverſitas finis ejuſmodi Sectam peculiarem diſtinguit, tres omnino ſuperſunt ſtipites ac genera ſumma Philoſophiae, cui accenſeri unaquaeque familia debeat illorum, qui ſtudio Sapientiae teneri ſe praedicant. Voluptas enim, Quies, Utrumque, & Prima naturae, quatuor erant diſcreti termini humanae appetitionis; qui ſingillatim comparati cum arte vitae, quae virtus dicitur, dum ei ſubduntur, vel praeponuntur, aut copulantur, duodenarium numerum finium, & conſequenter ſectarum ſtatuunt. Verum ſapienter Varro contrahit ſummam;

mam, dum ostendit in primis naturae, & Voluptatem,& Quietem,atque adeo Utrumque reperiri. Reliquum igitur est, ut ad tres Sectas redigat universam Philosophiam, pro triplici differentia finis bonorum,& malorum. Prima enim statuit hunc finem in primigeniis naturae, virtuti praeponendis. Altera virtutis gratia, appetit prima naturae, quae idcirco virtuti subduntur. Tertia denique Secta tum virtutem, tum prima naturae per se appetenda constituit: quam cum veteribus Academicis etiam amplectitur Varro; secundam Stoici sequuntur; primam Epicurei.

Hoc autem loco, ubi de secundae erroribus disputatur, Augustinum sequimur ducem, Stoicorum fines ita evertentem cap.4. pag.547. E. *Tantus autem superbiae stupor est in his hominis bus,heic se habere finem boni, & a se ipsi- fieri beatos putantibus, ut sapiens eorum; hoc est qualem mirabili vanitate deseribunt,*

LIBER CRITICUS.

bunt, etiamsi excaecetur, obsurdescat, obmutescat, membris debilitetur, doloribus crucietur, & si quid aliud talium malorum dici, aut cogitari potest, incidat in eum, quo sibi mortem cogatur inferre; hanc in his malis vitam constitutam, eos non pudeat beatam vocare. O vitam beatam, quae ut finiatur, mortis quaerit auxilium! Si beata est, maneatur in ea: si vero propter ista mala fugitur ab ea, quomodo est beata?

Verum heic producenda non sunt argumenta, quibus Christiana Sapientia inanem Stoicorum persuasionem evertit. Erit oportunus eadem explicandi locus, quando Fidei nostrae positiones contra singula Philosophantium errata ab Apostolico symbolo deducemus. Palam enim fiet, ita per primum ejusdem Articulum, quo rerum omnium (ipsiusque adeo materiae) conditorem fatemur DEUM, everti quidquid falsi pronunciaverant Stoici capite superiori; quemadmodum ex postremo arti-

articulo, (ubi vitam aeternam a Deo Judice nobis paratam gratia multiplici, clementique remissione criminum initiatam, & carnis resurrectione complendam), Deum ipsum statuimus principium simul, ac terminum Beatae vitae, in eo perpetuo degendae, contra stupidam Stoicorum superbiam, recte sugillatam ab Augustino, & a nobis hoc ipso Capite ostensam, in duplici eorundem errore circa bonorum fines, quo tum a se beatos fieri, tum in hac vita posse, falso asseverant.

Liber Criticus.

CAPUT SEPTIMUM.

Quartus error Stoicorum circa originem boni ac mali.

Quaestio, *Unde malum*, celeberrima fuit prioribus Ecclesiae Christianae Saeculis, cum undique obstreperent portentosa illa nomina Principii duplicis, a Secta Chaldaeo-

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

rum, ad Aegyptios expansa, utrimque vero ad Orientales pariter, & Occidentales Ethnicos disseminata, tum a Simone Samarita haereticorum principe, deinde a Basilidianis, & Marcionitis, postremo a Manichaeis recocta. Quot autem germina inde pullulaverint ad inficiendum Orbem Terrarum, satis indicatum fuit tertio Capite.

Heic siltimus inStoicorum sententia circa originem boni & mali: quae minus impedita difficultatibus esse debuerat, quam reliquae omnium Philosophorum. Cum enim Stoici solum dicerent bonum, quod honestum est, malum vero tantummodo, quod esset inhonestum, (ut Cato apud Tullium *de fin. bon. & mal. lib.* 3. toties repetit); inhonestae actionis principium non erat necesse inter DEOS referre, nec eadem aeternitate potiri, qua necessario fruitur optimus ille omnium conditor, honesti regulam in se continens, & a se conditis voluntatibus ita imprimens, sua-

ſuadenſque eligendam conniſu opis ſuae, ut arbitratus proprii abuſione, deſerendam quandoque permittat. Perinde enim poterant cogitare principium Boni, & Honeſti regulam ſuapte natura aeternam, antequam inhoneſtae actionis principium e creata libertate proflueret; ac poterant in Republica Sapientum leges ſupponere conſtitutas, quibus nondum inveniretur, qui obſiſteret.

In aliis vero Sectis mali naturam extendentibus ad ea, quae non ſunt inhoneſta, gravior imminebat neceſſitas quaerendae originis rerum, quas nec bono principio tribuendas arbitrabantur, quippe quas conditas malas ducerent, nec malo audebant adſcribere, niſi aequa poteſtate cum eo polleret, cui reluctanti adverſas obtrudere, & condere vi propria poſſet. Dicam brevius, ac fortaſſe nitidius: Stoicorum mala, ſive inhoneſta, defectum indicabant directionis in temporaria

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

mente ac voluntate adſuum terminum, in qua ſcilicet negatione tota vis reſidet inhoneſti; atque adeo neque aeternum, nec DEO ſuppar principium requirebant. Mala vero Academicorum, aliarumque Sectarum nulla recenti & fluxili negatione praeſtari poterant, ſed ſolida poſitione naturae per ſe conſiſtentis citra boni principii ſententiam, imo, eodem averſante, & fruſtra reluctante, cudenda erant.

In hac tamen facilitate negandae aeternitatis, Divinae perſimilis, Malo Stoicorum, ſive Inhoneſto iidem turpiter abripi ſe permiſerunt a conſuetudine judicandi juxta errata Sectarum, duo principia admittentium. Sin vero e propriis dogmatibus id petere maluiſſe dicendi ſunt, non alia profecto ab origine deducere potuerunt, quam ab admiſſa notione Fati, & confuſione humanae mentis cum DEO; cum ejus nos eſſe partem contenderent. Hoc enim ſemel poſito, animos ſcilicet hominum

minum praecisos ex ignea Mundi anima (Deo nempe suo) pro ejusdem animae Mundanae impulsu (hoc est Fato), Stellis contrariis urgentibus, honesta, sive inhonesta patrare; consequebatur & alterum, ut honestae, atque inhonestae actionis, nempe boni, & mali principia, tam ponerentur aeterna, quam stellae, & anima Mundi, sive Deus Stoicorum, ex igne stellarum sibi adversantium, & igneis adversisque hominum mentibus constitutus.

Non aliam certe sententiam indicare videtur Stoicorum alumnus *M. Antoninus* in lib. vi. *de Vita sua* num. 22. ubi haec serio meditata perscripsit: *Alexander Macedo, agasoque ejus, mortui, in idem sunt redacti. Aut enim assumpti sunt ad mentem Mundi eam, qua sati sunt reliquorum animi, aut dissipati sunt in atomos unus perinde, atque alter.* Tum etiam lib. v. n. 26: *Vivendum est cum Diis. Vitam vero cum Diis agit, qui continenter iis suum animum ostendit, probantem*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

bantem ea, quae ipſi Fatum tribuit, agentemque ea, quae genio placens: quem Juppiter ſuae quandam particulam naturae unicuique praeſidem ducemque dedit, nimirum mentem atque rationem. Huic autem praejudicatae opinioni quam male congruerent tot praeclare dicta ab eiſdem Stoicis de vitiis,& virtutibus,tanquam in noſtra poteſtate poſitis(cum tamen Fato nos agi citarique contenderet), jure objecit Juſtinus Martyr, coram eodem *M.Aurelio* & frequenti Senatu ita declamans: *Id etiam declarant, qui in qualibet Regione apte ad rectam rationem leges tulere, aut philoſophati ſunt, ex eo quod alia fieri praeſcribant, alia vitari. Haec eadem conſtanter probant Stoici, cum de moribus diſputant; ut facile pateat in principiis & rebus incorporeis pertractandis non rectam eos viam inſiſtere. Nam ſi Fato fieri dicent; quae ab hominibus fiunt; vel* DEUM *nihil aliud eſſe ſtatuent, praeter ea, quae vertuntur & immutantur, & in eadem ſemper reſolvun-*

vuntur; ſicque nullius rei, quae quidem corruptioni non ſit obnoxia, notionem habere, ac DEUM *ipſum tum per partes, tum per univerſum in omni miſeria & nequitia conſtituere videbuntur: vel nihil eſſe vitium, neque virtutem, quod ab omni ſana notione & ratione & mente alienum eſt.*

Ad haec abſurda, & ſibi contraria non raro adigebantur Stoici, genus hominum ad paradoxa propenſum, atque adeo proclive in ſententias invicem repugnantes. Locus propterea ferax argumentorum contra eorundem dogmata habebatur in deductione ad impoſſibilem ſeu falſam illationem, quae ex eorundem principiis neceſſario colligitur. Hac nempe methodo, contra finem bonorum, & malorum ab ipſis poſitum, concludit Tullius (poſtquam abſurdum conſequens inde profluere animadvertit), aequalia ſcilicet eſſe peccata.

Vos autem, inquit, *cum perſpicuis dubia debeatis illuſtare, dubiis perſpicua*

LIBER CRITICUS.

cua conanimi tollere. Itaque eadem ratione, qua ſum paulo ante uſus, haerebitis. Si enim propterea vitia alia aliis majora non ſunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam poteſt accedere; quoniam perſpicuum eſt, vitia non eſſe omnium paria, finis bonorum vobis mutandus eſt. Teneamus enim illud neceſſe eſt, cum conſequens aliquod falſum ſit, illud cujus id conſequens eſt, non poſſe eſſe verum.

Fluxit itaque quartus hic error Stoicorum de origine boni & mali a praemiſſis aſſertionibus Fati, & a male conſtituta DEI notione; quae tanquam radix habenda eſt monſtroſorum dogmatum inde erumpentium. Videntur idcirco Stoicis eadem inſuſurrata, ab hoſte veritatis Diabolo, quae Primis Parentibus a ſe decipiendis is olim callide proponebat, quum boni & mali notionem ſuggereret, aſſequendam per gradum quendam aequalitatis cum DEO: *Eritis*, inquit, *ſicut Dii, ſcientes bo-*

Digitized by Google

bonum, & malum. Ita etiam Stoici animum hominum aequalem DEO cum ſtatuerent, ex eadem ignea Maſſa utrumque formantes, ad originem boni & mali inſpiciendum ex hac ſpecula, ad quam nitebantur, perductum iri nos aſſerebant. Fatalem impulſum animae Mundi, pro diverſo ſyderum poſitu, ciere motus putabant varios in mentibus hominum, partibus ſcilicet ejuſdem animae circumfuſae atque infuſae rerum univerſitati: neque aliud eſſe principium honeſtae actionis & inhoneſtae (quod unicum malum dicebant), quam Fatum, animae mundanae motus in mole univerſi temperans, & in ſingulis voluntatibus pari neceſſitate diſponens.

Verum quidem eſt, non omnibus perinde Stoicis eandem ſtetiſſe ſententiam circa Fati neceſſitatem, in aſſentionibus animi determinandis, adeoque circa originem boni, & mali; cum alii declinarent ad alterutram ex duabus extremis opinionibus, alii mediam

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

amplectèrentur cum Cryſippo . Sed hàc ipſa in explicanda iiſdem Philoſophis haeſit plerumque aqua , uti ex Cicerone cognoſcimus in Libro *de Fato* , ubi ita loquitur : *Ac mihi quidem videtur , cum duae ſententiae fuiſſent veterum Philoſophorum , una eorum , qui cenſerent omnia ita Fato fieri , ut id Fatum vim neceſſitatis afferret (in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit) ; altera eorum , quibus viderentur ſine ullo Fato eſſe animorum motus voluntarii : Chryſippus tamquam arbiter honorarius medium ſe ferre voluiſſe: ſed applicat ſe ad eos potius , qui neceſſitate motus animos liberatos volunt . Dum autem verbis utitur ſuis , delabitur in eas difficultates , ut neceſſitatem fati confirmet invitus .* Tempero a pluribus exſcribendis ex Tullio , cum praecipuum hujuſce capitis noſtri argumentum ſit, Stoicorum errores conſiderare circa originem boni , & mali , ad Fati autem conſtitutiones leviter perſtringen-

Digitized by Google

gendas connexio utriusque dogmatis nos adegerit.

Liber Criticus.

Monuisse tamen juvabit, eadem de causa excidisse Stoicos a veritate, dum originem inquirunt mali, qua in errore prolapsi sunt Manichaei, dum eandem quaestionem renovant. Causam aperit Sanctus Augustinus in libro *contra Epistolam Manichaei* cap. 32. *Praeposterе instituerunt de hoc ipso quaerere unde foret, cujus nondum tenebant notionem, quid esset*. Quocirca acutissimus Doctor, ut ad veritatis semitam revocet, methodum inquirendi convertit, & constituit prius definire quid esset malum, sive peccatum, quam stabilire, unde sit: *Sed quoniam*, inquit cap. 36, *quaesivimus quid esset malum, neque hoc naturam, sed contra naturam esse cognovimus, consequenter quaerendum est, unde sit? quod ille si fecisset (Manichaeus), minus fortasse in has tanti erroris angustias laberetur. Praepopere quippe, ac praepostere quaesivit unde esset, quod primo*

LIBER CRITICUS.

mo non quaesierat, quid esset.

Quaerendum igitur insinuat mali definitionem in voluntate, ubi residet: voluntatis vero notionem ex ipso quotidiano experimento jam tenemus. Definit tamen in libro *contra Manichaeos* cap. 15: *Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiscendum.* Hac praemissa voluntatis notione, ad peccati ideam descendit: *Peccatum, est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Libertatem autem innotescere satis ostendit ex idea coactionis, quam excludit. Ordo igitur quaerendi *unde malum?*, ita per S. Augustinum disponitur: *Animus hominis consulens suas notiones igenitas, invenit sibi nitide impressam ideam sui motus ad aliquid quaerendum, seu retinendum, & ad refugiendum aliquid sive aversandum.* In his autem motibus, distinguit peculiari notione coactum, a spontaneo: quo in pro-

proſtremo vim collocat liberae voluntatis. Intelligit enim ſe libere velle ſuum motum, quotiens eſſe ſibi praeſto novit quaecumque pertinent tum ad eligendum, tum ad deſerendum terminum hiſce motibus conſtitutum. Nec vero deſtruet notionem liberi, ſi quid ita ſe interſerat electuro, ut facilius diſponi, aut aegrius peragi motus poſſit, omnino tamen non adigatur cogaturque animus in eum motum cieri, violenter pertractus, aut a motu deſiſtere ineluctabiliter impeditus. Difficultas enim, aut facilitas, ſalva poteſtate motus edendi, vel abrumpendi, ideam voluntatis, electionis, arbitriique non tollit.

His autem conſideratis ab animo, conſcio illorum motuum, quos experitur, progreditur cogitatio ad terminum hiſce motibus conſtitutum, nec-

non ad ordinem poſitum a natura inter ſe, ſuoſque motus, & electiones, facilitates, difficultates, ipſumque termi-

num.

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

num. Est autem meta seu terminus a natura positus motibus voluntariis *consecutio boni*. At ordo praescriptus prosecutioni, ut ad consecutionem pertingat, dicitur ratio, seu lex aeterna & immutabilis justitiae, ab animo in libera electione ita tenenda, ut nunquam deserat voluntario. Si enim deserat, aut cesset ab ordine, cum praesto illi sunt adiumenta ad retinendum ordinem jam in peccatum labitur, sive in malum.

Quandiu igitur voluntas arbitrio praedita, & instructa praesidiis, quibus indiget, ad potestatem bonae electionis, non deserit ordinem, sed prosequitur; tandiu nullum oritur malum sive peccatum, cujus propterea de origine nulla tunc est causa inquirendi. Ubi autem voluntas, licet idoneis instructa viribus, a prosecutione ordinis cessat, haec demum cessatio & interruptio ordinis, malum est: cujus de causa cum ita quaeritur: *Unde malum?*, recte Augu-

Digitized by Go

guſtinus reſpondet, *A libero arbitrio*, hoc eſt, uti fuſius exponit in primo libro Retractationum, capite ix. *Ab abuſu liberi arbitrii*. Ex qua reſponſione non ſequitur, aut eſſe malum conditorem liberi arbitrii (cum ſit optimus auctor, qui res ex nihilo conditas tantam haurire permiſerit ex ſe bonitatem, quantae ſunt compotes) aut malum eſſe libertatem arbitrii, quae ad virtutis notionem cum ſpectet, recenſeri inter bona merito debet. Sequitur unicum illud, nempe abuſum libertatis eſſe originem mali, ſeu ceſſationis ab ordine legis aeternae, inqua ceſſatione, mali naturam (ſi tamen natura dici poteſt, quod contra naturam eſt) ſitam deprehendimus.

Quaerentibus ergo *Unde malum?*, exponenda primum eſt vis interrogationis. Sentiant ſe inquirere, quonam agente fiat, ut ab ordine proſequendo deſiſtatur. Cum autem noverint, per eum deſiſti, qui poteſtate proſequendi facta non

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

non utitur, sed abutitur libertate sistendi; profecto intelligent, originem mali satis luculenter ostendi in origine minutionis boni, hoc est in origine cessandi a bono: quae cessatio, neque in DEO esse potest, indesinenter bona effundente, neque ex DEO, voluntates a se conditas ad se dirigente legibus aeternis, atque salubri adjutorio; sed a dissensu libero feriantis in se voluntatis, quando ei foret juxta inditam ordinis regulam naviter progrediendum ad finem.

Propterea nihilo videtur obscurior causa mali, quam obscura sit causa cessandi a bono. Deprehenditur enim in ea mente, quae bonorum usu, sibi a conditore indicato abstinet non coacta, sed libens, dum vires non exercet sibi divinitus praeparatas. In hisce viribus est causa moralis boni: in illa autem desidia, qua sponte cessat animus a prosecutione praecepti boni, origo mali moralis expresse continetur. Uberius

haec

haec addiſcuntur ex Auguſtini libris *de libero arbitrio*,& potiſſimum lib. 1. cap. xi. & lib. 3. cap. 13; necnon ex *Enchiridio ad Laurentium*,Capitibus praeſertim xii. xiii. & xiv: quorum poſtremum ita concludit Tom. vi Col. 200:

„ Ex bonis igitur mala orta ſunt, &
„ niſi in aliquibus bonis non ſunt: nec
„ erat alias unde oriretur ulla mali na-
„ tura. Nam ſi eſſet, in quantum na-
„ tura eſſet, profecto bona eſſet: &
„ aut incorruptibilis natura magnum
„ eſſet bonum, aut etiam natura cor-
„ ruptibilis nullo modo eſſet, niſi ali-
„ quod bonum, quod bonum corrum-
„ pendo poſſet ei nocere corruptio. „

Satis igitur conſtare arbitror, tam Stoicos, quam Manichaeos de origine mali idcirco abſurde ſenſiſſe,quod mali naturam neque curaſſent ſatis dilucide definire, nec ſatis nitide ac diſtincte ſecernere ab extraneis ideis ſategiſſent. *Praepopere*, inquit, *ac praepoſtere quaeſivit unde eſſet, quod primo non*

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

quaesierat quid esset. Quaesivit eórundem censor Augustinus primo & altero Libro *de libero arbitrio*: ac tum demum postremo capite ejusdem libri secundi disputatione recte ordinata, ita contra utrosque pervicit (Tom. 1. Col. 608.): „ Sed tu fortasse quaesiturus es, „ quoniam movetur voluntas, cum se „ avertit ab incommutabili bono ad „ mutabile bonum, unde ei iste motus „ existat? qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa „ nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste, idest „ aversio voluntatis a DOMINO DEO, „ sine dubitatione peccatum est, num „ possumus auctorem peccati DEUM dicere? Non erit ergo iste motus ex „ DEO. Unde igitur erit? Ita quaerenti tibi, si respondeam, nescire „ me, fortasse eris tristior: sed tamen „ vera responderim. Sciri enim non „ potest, quod nihil est. Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullum „ tibi

„ tibi bonum vel ſentienti, vel intel-
„ ligenti, vel quoquomodo cogitanti
„ occurrat, quod non ſit ex Deo. Ita
„ enim nulla natura occurrit, quae non
„ ſit ex Deo. Omnem quippe rem, ubi
„ menſuram, & numerum, & ordi-
„ nem videris, Deo artifici tribuere
„ ne cuncteris. Unde autem iſta peni-
„ tus detraxeris, nihil omnino rema-
„ nebit: quia & ſi remanſerit aliqua
„ formae alicujus inchoatio, ubi ne-
„ que menſuram, neque numerum,
„ neque ordinem invenias, quia ubi-
„ cumque iſta ſunt, forma perfecta
„ eſt, oportet auferas etiam ipſam in-
„ choationem formae, quae tanquam
„ materies ad perficiendum ſubjacere
„ videtur artifici. Si enim formae
„ perfectio bonum eſt, nonnullum jam
„ bonum eſt & formae inchoatio: ita
„ detracto penitus omni bono, non
„ quidem nonnihil, ſed omnino nihil
„ remanebit. Omne autem bonum ex
„ Deo: nulla ergo natura, quae non

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

„ sit ex DEO. Motus ergo ille averſio-
„ nis, quod fatemur eſſe peccatum,
„ quoniam defectivus motus eſt, om-
„ nis autem defectus ex nihilo eſt, vi-
„ de quo pertineat, & ad DEUM non
„ pertinere non dubites. Qui tamen
„ defectus quoniam eſt voluntarius,
„ in noſtra eſt poſitus poteſtate. Si enim
„ times illum, oportet ut nolis: ſi au-
„ tem nolis, non erit.„ Haec Auguſtinus: quae ita explanat ex communi Theologorum ſententia Fregoſus interpres: „ Peccatum, quod recti fa-
„ cti privatio eſt, efficientem non habet
„ cauſam, ſed deficientem; nam ut vi-
„ dere tenebras, non eſt videre, ſed
„ deficere a videndo; ſic peccare, non
„ eſt agere, ſed deficere.„ Hauſit Fregoſus ex ipſo Auguſtino in Libro XII. *de Civitate* DEI, capitibus ſexto, & ſeptimo, ac proxime conſequentibus. Quaerit enim S. Doctor Cap. VI. „ Quo-
„ modo ergo res bona, efficiens eſt vo-
„ luntatis malae? Quomodo, inquam
„ bo-

„ bonum, eſt cauſa mali? Cum enim
„ ſe voluntas relicto ſuperiore ad in-
„ feriora convertit, efficitur mala: non
„ quia malum eſt, quo ſe convertit;
„ ſed quia perverſa eſt ipſa converſio.
„ Idcirco non res inferior voluntatem
„ malam fecit, ſed rem inferiorem
„ prave atque inordinate ipſa quae fa-
„ cta eſt, appetivit: „ & cap. VII. ita concludit (Col. 306.): „ Nemo igi-
„ tur quaerat efficientem cauſam ma-
„ lae voluntatis: non enim eſt effi-
„ ciens, ſed deficiens; quia nec illa
„ effectio eſt, ſed defectio. Deficere
„ namque ab eo quod ſumme eſt, ad
„ id quod minus eſt, hoc eſt incipere
„ habere voluntatem malam. Cauſas
„ porro defectionum iſtarum, cum
„ efficientes non ſint, ut dixi, ſed de-
„ ficientes, velle invenire, tale eſt,
„ ac ſi quiſquam velit videre tenebras,
„ vel audire ſilentium: quod tamen
„ utrumque nobis notum eſt: neque
„ illud niſi per oculos, neque hoc niſi
„ per

Digitized by Google

LIBER CRITICUS.

„ per aures; non ſane in ſpecie, ſed
„ in ſpeciei privatione. Nemo ergo
„ ex me ſcire quaerat, quod me ne-
„ ſcire ſcio, niſi forte ut neſcire di-
„ ſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum
„ eſt. Ea quippe quae non in ſpecie,
„ ſed in ejus privatione ſciuntur, ſi di-
„ ci, aut intelligi poteſt, quodam-
„ modo neſciendo ſciuntur, ut ſcien-
„ do neſciantur. Cum enim acies etiam
„ oculi corporalis currit per ſpecies
„ corporales, nuſquam tenebras videt,
„ niſi ubi coeperit non videre. Ita
„ etiam non ad aliquem alium ſen-
„ ſum, ſed ad ſolas aures pertinet ſen-
„ tire ſilentium: quod tamen nullo
„ modo niſi non audiendo ſentitur.
„ Sic ſpecies intelligibiles mens qui-
„ dem noſtra intelligendo conſpicit,
„ ſed ubi deficiunt, neſciendo con-
„ diſcit.

Conſtare igitur arbitror ex comparatione Chriſtianae Philoſophiae, ac veritatis noſtrorum dogmatum ſibi coheren-

rentium, ex horum, inquam, comparatione cum vagis, obſcuris, & a ſe invicem diſſidentibus placitis Stoicorum, in origine mali tum inquirenda, tum aſſignanda, quam craſſus ac pernicioſus error eorundem Sectam involveret Aegyptiis plane tenebris Magorum veterum, & ſuccedentium Manichaeorum, abducentibus ab unico rerum Principio ad ſomnia duorum, & ad funeſta, quae inde conſequebantur, aenygmata Fati, & Neceſſitatis, nunquam componenda cum notione virtutis, licet hanc ipſam profiterentur; dum tradita nobis Fides, per viam rationis regiam perducit animos in apertam lucem unius Principii omnium bonorum; unde & cognoſcere libertatis humanae vim, & efficientem cauſam virtutis ſecernere a voluntaria ordinis deſertione, ſive a deficiente mali moralis origine, tuto poſſumus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER
ANTIQUARIUS
PRIMI ET SECUNDI SAECULI
DEMONSTRATIONIS
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
QUADRIPARTITAE.

ARGUMENTUM.

De Auctoribus praecipuis Ethnicorum, qui ante inventas Literas celebrantur: & de multiplici Hermete sive Mercurio, ejusque nomine, aetate, simulacro, historia, & inventis, potissimum vero Hieroglyphicae, Notariae, ac Literariae Scripturae, ipsi attributis: ubi etiam agitur de Hermis Antiquorum tam Mercurio positis, quam reliquis Virisque Literarum laude praestantibus; item de triplici Atlante, aliisque Auctoribus, qui clari habiti sunt doctrina Hieroglyphica, tam ante, quam post repertas Literas: ac demum de GLOBO FARNESIANO, in quo habentur insignia rudimenta Astronomiae, Chronologiae, & Historiae aetatis Heroicae a Graecis transmissa, usque ad Saeculum Antonini Pii.

DEMONSTRATIO HISTORIAE
CAPUT PRIMUM.

LIBER ANTIQUARIUS.

Hermetis seu Mercurii Nomen, & Simulacrum: ubi de Hermis, & Hermathenis.

(Ex Schedis Francisci Blanchini Patrui mei.)

CHANAAN filius Cham, Chananaeorum sive Phoenicum Pater, ab Aegyptiis *Thoyt*, *Theuth*, *Thoth*, *Taautus*, & *Tautus*, a Graecis *Hermes* sive Interpres, a Latinis *Mercurius*, hoc est mercimonii curam gerens, ab Hetruscis *Carnillus*, seu *Casmilus*, nempe Minister dictus; ab omnibus his habitus est characterum Inventor, ac plurium Disciplinarum, Grammatices, Eloquentiae, Musicae, Arithmetices, Geometriae, Astronomiae, ac Theologiae a Gentibus usurpatae. Complures vero Mercurii cum ab Ethnicis memorentur Aegyptiorum ac Phoenicum Diis sanguine juncti, unius res gestae, alteri facile tribuuntur: potissime cum no-

Digitized by Google

nomen primitivum & proprium *Chanaan* כנען, quod Hebraeis ſonat *Mercator*, Chananaeis omnibus ac Phoeniciis Chanaani nepotibus ſubſequentes Aetates attribuerint.

Mercurios quinque numerat Cicero *de Natura Deorum*, libro tertio: *Mercurius*, inquit, *unus Caelo patre, Die matre natus; cujus obſcaenius excitata natura traditur; quod adſpectu Proſerpinae commotus ſit. Alter Valentis, & Phoronidis filius, is, qui ſub terris habetur; idem* Trophonius. *Tertius Jove tertio natus, & Maja, ex quo, & Penelopa Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneatae, qui & Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam Aegyptum profugiſſe, atque Aegyptiis leges & literas tradidiſſe. Hunc Aegyptii* Thoth *appellant: eodemque nomine Anni primus Menſis apud eos vocatur.*

Mercurium illum principem in Hermis, quas vocant, ab Ethnicis paſ-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſim exhiberi, conſtat ex indicio unico ipſi attributo juxta M. Tullium. Chami enim filius Chanaan, quod impudentius ſpectata a patre ſuo Avi Noemi verenda olim fuiſſent, maledicto ſervitutis ab eodem Avo Noemo addictus eſt (*Geneſeos cap. IX. vers. 22. & 25.*). *Herodotus in Euterpe* lib. ſecundo affirmat, a Pelaſgis Samothraciae cultoribus Athenienſes olim addidiciſſe inter Orgia ab eiſdem accepta ejuſmodi ſacrum ſermonem de Mercurio traditum: *Itaque*, ait, *e Graecis primi Athenienſes a Pelaſgis edocti ſtatuas Mercurii, erecta virilia habentis, fecerunt. De qua re ſacrum quendam ſermonem retulerunt, qui in Samothracum myſteriis declaratus eſt.* Cum vero ipſemet Hermes, ſeu Mercurius, aut Chanaan, literarum ac diſciplinarum Inventor haberetur, ut paulo infra oſtendetur, hinc uſus apud Athenienſes inolevit, ut ſimulacra eorum, qui literis inclaruiſſent, ejuſmodi Hermis ita com-

compositis exhiberentur, tanquam Mercurium fuissent imitati. Quadrilatero enim trunco, seu cippo tretragono caput imponebatur sine manibus, ejus viri vultum praeseferens, cui Herma ejusmodi statuebatur, in qua ejusdem nomen, praeclara inventa, res gestae, aut laudes inciderentur. Sponius *Miscellaneorum Eruditae Antiquitatis* Sect. 1. Art. 4. ita scribit: *Hermi, seu Hermae, erant Statuae Mercurii marmoreae, sine brachiis & pedibus, quas in compitis collocabant* Graeci, & *Romani: quales in hac Tabula ex Gemmis & Nummis depinguntur: de his Servius ad* Aeneid. *lib.* 8. *Mercurium quum in monte invenissent, manus ei amputaverunt: unde & ipse Cyllenius, & Mons dicuntur: namque* Graeci κύλλας *aliqua mutilatos parte corporis dicunt: unde etiam Hermos vocamus quosdam stimulos in modum Signorum sine manibus. Suidas in voce* Ερμῶν. Ἑρμαι ἦσαν &c. *Hermae erant Athenis lapideae in vestibulis Aedium, atque*

LIBER ANTIQUARIUS.

atque Templis. Quia enim ajunt, Mercurium sermonis, & veritatis praesidem esse, propterea & ejus imagines quadratas & cubicas fecerunt, indicantes, quod quemadmodum ea, quae hanc habent figuram; in quam partem cadant, semper stabilia, & recta sunt; ita sermo, & veritas similis semper sibi ipsi est; mendacium vero fluxum, multifidum & minime sibi cohaerens. His addit Sponius: *observandum autem, Suidam Athenienſium dumtaxat Hermarum meminisse, tum quia in hac Urbe primum fuerant inventi, tum quia eorum maxima erat illic copia. Inter alias* vero Athenienſium Hermas, Hipparchaeos potiſſimum memorat. *Erant*, inquit, *& Hermae Athenis, Hipparchaei dicti, quod eos Hipparcus Piſiſtrati filius erexiſſet partim in Urbe, & inter Atticae populos, inſcribens iis varia ad ſapientiam & virtutem hortatoria,* teſtibus *Heſichio & Harpocratione. Accidit vero, ut ait Cornelius Nepos in Alcibiade, ut una nocte omnes Hermae,*

qui

qui in Oppido erant, Athenis dejicerentur, praeter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est.

Fragmentum vidi figlinae, inter Urbis rudera repertum, ubi Porticus exhibetur, in qua Mercurii Simulacrum, Herma senis coronati, & amphora anaglyphis signis inter columnas ita dispositа visuntur, ut Museum sive Bibliothecam, aut Templum Mercurii referant. Nulla Mercurii imago indicat evidentius Chanaani historiam; in suum Hermetem principem ab Ethnicis transformatam. Nam Herma Senis coronati, & virilia adjecta, quae a Chanaani patre Chamo impudentius observata sunt in ebrio parente Noemo, (ut amphora etiam proxima videtur significare & corona senis capiti imposita, unde etiam Sileni, & Bacchi sacra ita ab Ethnicis exercebantur circa Hermas sive Terminos similiter effictos & coronatos), vix referri aliter possunt ad Mer-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Mercurium, ejusque Simulacrum, in eadem Figlina olim expressum, ut ostendit caducaeum adhuc in fragmento superstes.

CAPUT SECUNDUM.

Hermae constituti in vestibulis templorum Mercurii, necnon pro foribus Aedium privatarum in Bibliothecis.

MARCUS AURELIUS Imperator cognomento Philosophus Nummum cudit anno Aerae CHRISTI Vulgaris 172., ut ex Tribunicia Potestate XXVII. ac ex Titulis Imp. VI. Cos. III. ibi numeratis colligitur, cujus in adversa parte Mercurii Templum exhibetur. Hermas autem quadrilateres collocatos in Mercurii templis proximè ostendam ex Romanorum monumentis, & veterum Testimoniis, cum Epigraphe subscripta RELIGIO AUGUSTI. Templum Mercurii intelligimus, ejusdem ex Simula-

mulacro ſupra aram in illo ſitam erecto, & ſymbolis univerſis Mercurio attributis tympano Templi inciſis, nempe caduceo, petaſo, ariete, gallo gallinaceo; marſupio, ac teſtudine, ipſius inventa indicantibus, ut infra exponemus. Frons Aedis illius quatuor Hermis innititur, cujuſmodi figurae cippos extitiſſe in veſtibulis Aedium, atque Templis ex Suida demonſtrabitur. Franciſcus Angelonus in hujus Nummi expoſitione affirmat, Franciſcum Paſſeri Romanum Antiquarium ſibi enarraſſe, hoc ipſum Mercurii Templum, gradibus, ara ſymbolis caducei ac petali inciſa, & Hermis quatuor infronte inſtructum, a ſe fuiſſe ſpectatum inter Circum Maximum & Aventinum, dum rudera vineae ibidem ſitae effoderentur; Hermis quatuor ſua e ſede, nondum emotis.

Cum vero & in veſtibulis Aedium, Romani conſtituerent non modo Simulacra Majorum, ſed etiam Lararium,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

in quibus DEOS Penates, alioſque ſibi potiſſimum cultos venerarentur, quemadmodum addiſcimus ex Lampridio in vita *Severi Alexandri*; hinc etiam legimus, Mercurii, & Majorum Hermas in veſtibulis ἐν προθύροις, teſte Suida, collocatas. In celeberimo Muſivo Praeneſte aſſervato in Aedibus Principum Barberinorum, Syllanis temporibus in Praeneſtino Fortunae Delubro, (hoc eſt ibidem) conſtituto, quod omnium primum in Italia memorat Plinius lib. 36. cap. 25. (ediderunt autem Kirkerus in Latio, & Ciampinus in Veter. Monim. pag. 81), viſuntur Hermae in privatarum aedium veſtibulis collocati. Scite autem animadvertimus, in eodem Muſivo exhiberi Aegypti inundationem, Nilo exuberante, ut manifeſte colligitur ex animalibus ibidem expreſſis, obeliſcis, palmis, ceteriſque indiciis Aegyptiae Regionis propriis. Quare conſtat, Hermas licet a Pelaſgis in Graeciam illatas, attamen apud Aegyptios

gyptios quoque usurpatas; a quibus proculdubio accepimus, tum quadrilateram Obeliscorum formam, symbolis eorundem sapientiae impressam, tum cadaverum conditorum figuram, Hermis Graecorum & Romanorum persimilem, & notis hieroglyphicis pariter consignatam.

Secundus itaque Ciceronis Mercurius, qui Valentis, & Phoronidis filius habetur, & Trophonius, utrumque indicium refert ad Chanaan. Phoronis, est Isis Regina Jovis Aegyptii sive Ammonis Conjux (Ammon vero est ipse Cham, elisa gutturali Hebraea ח, & in Atticam halpirationem, seu Latinam H, emollita initio dictionis ita nuncupatus, ut pluribus ostendit Bochartus Geogr. Sacrae lib 4. cap. primo, qui & Aegyptum de nomine suo appellavit Chemiam, in Sacris litteris nitidius expressam nomine terrae חם Cham), & cornibus proinde instructa, regio antiquorum more. Trophonius

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

veroMercurius,ejuſdem,&Ammonis filius, ſeu Valentis Ciceroni, cui propterea cornua ſunt addita (indicium roboris) eſt Mercurius inferus (Amon Aegyptiis, pro Hebraeo *Almoni*, quod LXX. κρύφιον reddunt, ut Bochartus obſervat) cui Mercurio, ſcilicet κρυφίῳ, ſive occulto & Trophonio, cadaverum Aegyptiorum cura tribuitur ita inſcribendorum ſymbolis ſeu literis Sacris ab ipſo adinventis una cum ſuperſtitioſis Apotheoſibus Majorum, quos divis intulit Idololatria in Orbem inducta. Nam Trophonii oraculum ſubterraneum, quemadmodum & Aegyptias cryptas; ſive ſubterraneos receſſus, Mercurii Syringas appellatas, prope Thebas Aegyptias a Marcellino memoratas lib. 22. deſcribit Philoſtratus in vita Apollonii.Huetius autem Dem. Euang. prop. 4. pag. 24. num. XIV. Hermas ſeu Cippos ejuſmodi oſtendit fuiſſe celebres illas Mercurii columnas, quibus ad Philoſophiam veluti Magiſtris

Digitized by Google

ſtris uſi ſunt *Pythagoras, Plato, & alii.* Conſtat enim ex Auctoribus tam Sacris, quam Prophanis ibidem productis, conſueviſſe Veteres truncis arborum primo, mox etiam poſtibus januarum uti ad inſcriptiones (unde & in Divinis literis legimus, *laudent in portis opera ejus*, & Iſraelitas jubet Moyſes Deut. VI. 9. praecepta Decalogi in liminibus domorum deſcribere); & Sepulchris Majorum, qui a Gentibus Dii habebantur, columnas, cippos, ſtelas ipſorum geſtis inciſas paſſim imponere: e quibus Erthemerus Meſſenius, Diodoro & Lactantio teſtibus, (*a*) eorundem Hiſtoriam deſcripſit.

Ex his igitur Hermis, ſtelis, cippis, a Mercurio Aegyptio hieroglyphicorum promicondo inciſis, & in ſepulchris, templis, aedibus olim poſitis, cum omnes propemodum diſciplinas Antiqui addiſcerent, conſuetudinem mu-

(2) *Diod. lib. VI. apud. Euſeb. Praep. lib. 2. cap. 2. Lact. lib. primo cap. XI.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

mutuati ſunt Pelaſgi, Athenienſes, & Romani Clarorum Virorum imagines in Haermae ſeu cippi quadrilateri formam concidendi, eiſque cippis inſcribendi nomen, dicta, inventa, hiſtoriam, & ſymbola ſingulorum. Quare & in Templis religionis ergo, ut in Nummo *M. Aurelii*, & in privatis Aedibus, uti in Muſivo Praeneſtino, & in Gymnaſiis, Xyſtis, Bibliothecis ejuſmodi Hermae collocabantur: quod praeter Boiſſardum, Roſinum, & Cartarium, Sponius obſervat ex Tullio ad Atticum ita ſcribente Epiſt. 6. lib. 1. *Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis ...jam nunc me admodum delectant. Quare velim, & eos, & ſigna, & cetera, quae tibi ejus loci, & noſtri ſtudii, & tuae elegantiae eſſe videbuntur, quamplurima, quamprimumque mittas, & maxime quae tibi Gymnaſii Xyſtique eſſe videbuntur.„ Inde autem (a) & Hermathena ſtatua, Hermam, & Athenam repraeſentans, ideſt Mer-*

(a) *Sponius pag.* 12.

Mercurium, & Minervam; cujus hic elegantem habemus delineationem ex Nummo Hadriani *a* Fulvio Urſino *in Virorum illuſtrium imaginibus exhibito. Simile ſignum cum* Titus Pomponius Atticus *reperiſſet Athenis, Romam illud miſit,* ut Ciceronis amici *ſui Bibliothecae ornamento eſſet: haec enim Cicero ad eum ſcribens Ep. 3. lib. primo,, Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt ornamentum Academiae proprium meae: quod & Hermes, commune omnium, & Minerva, ſingulare eſt ejus Gymnaſii. Quare velim, ut ſcribis, ceteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes.*

Tranferre igitur conſueverant veteres in ſuas Academias, Gymnaſia, Xyſtos, & Bibliothecas antiquos Hermas, ſapientiae Majorum teſtes, & libros ut ita dicam primigenios. Quare & in gemmis annularibus, ſi qui Philoſophi, aut Literati Viri inſculpti ſunt, plerumque exhibentur ante Hermam ſedentes, ex eaque in volumen deſcriben-

Digitized by Google

bentes memoriam rerum Hermis commendatarum per ſymbola Aegyptia, aut literas poſt hieroglyphica adinventas & uſurpatas a Moiſe omnium Scriptorum *P*rincipe: ex quo ſuum Mercurium Thoyt, ſeu Thoth, Ciceroni quintum Aegyptii deformarunt, ut proxime demonſtrabimus cum Doctiſſimo Praeſule Huetio; ubi praemiſſum fuerit, praecedentes Mercurios, ſeu Chanaan ejuſque poſteros Chananaeos, unde ſuos HermetesGraeci conflarunt, inveniſſe,aut excoluiſſe inventam ante Diluvium artem aperiendi animi ſenſus per ſymboła ſeu Hieroglyphica, cujuſmodi ſunt in monumentis Aegyptiis.

CAPUT TERTIUM.

Inventa Mercurii sive Hermetis, nempe Chanaani, & Phoenicum ejus posterorum, ex Nummo Hadriani *superius allegato, & ex alio, ipsius nomine, ac notis hyerogliphicis inscripto.*

Consentiunt tam veteres, quam recentes Auctores, quibus rerum origines diligenter scrutari placuit, Idololatriae crimen, supremum cultum uni DEO debitum ad res ab ipso creatas impie transferens, nonnisi post diluvium mentes hominum occupasse. Longaevi enim Patriarchae antediluviani continebant in officio nepotes, cum inter eos exercebant diuturnum magisterium primi Parentis, ultra nonum Saeculum occupati in humili confessione semel admissi criminis, ejusque deprecandi studio, ac solvendis poenis, quibus justa Conditoris ac Legislatoris judicia in patris lapsu filios obstrinxerant universos. Ut vero Divina clementia, post alteram universalem censuram supra humanum Genus exerci-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tam in Cataclysmo, promisit se imposterum temperaturam a poenis per Diluvium exigendis, visa sibi est Noemi nepotum temeritas confidentius audere posse, non contra leges modo, sed etiam contra majestatem praecipientis, neglecto ejusdem cultu, cujus imperium indulgentius exercitum iri etiam in fontes, quasi abjecto eo terribili flagro, commentabatur. Licet vero DEUS OptimusMaximus,contracta hominum vita, mortem celerius intentaret; attamen corruptae semel perduellium mentes ipsa moriendi festinatione abusae sunt ad licentius proruendum in majora crimina. Videbantur enim sibi oblivisci facilius posse,ac ferme eludere divinam censuram, ex quo Patriarcharum praesentia, Dictatoris veluti legibus per plura Saecula eosdem nepotes ac subditos antea coercens, maturis funeribus jam sublata, desuetudinem quamdam auctoritatis induxerat frequenti mutatione illius domestici Ma-

Liber Antiquarius.

Magiſtratus, quo patresfamilias inter ſuos utebantur. Per hos igitur gradus impietatis a Dei cultu ita receſſit humanus furor, vergente in extremum vitae Noemo, ſive paulo poſt ejus obitum, ut unus ex ipſius liberis Chamus, ſive Chami filius Chanaan, Toth ab Aegyptiis, a Graecis Hermes, a Latinis Marcurius appellatus, auſus fuerit Divinos honores Majoribus vita functis adhibere, atque ita mortalibus Diis humano generi datis, ex Monarchico Mundi regimine ſibi a Deo praeſervato, Olygarchiam in mentes hominum primum inducere, mox etiam Democratiam ſive ſtatum popularem nobiſcum peccantium Deorum, unde in Anarchiam Athenarum prolabi facilius poſſent maligni ſpiritus aſſeclae, ejuſque exempli ac ſuperbiae, in unius Domini contemptu, ſeduli imitatores.

Adverſus temeritatem toties peccantis, ac toties correpti Orbis nullum potentius aut praeſentius praeſidium

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

adhiberi poterat, quam ipſum DEI verbum, quo fuerant ab initio condita, ac ſemper adminiſtranda ſunt univerſa. Salutare igitur DEI verbum unicuique menti natura inditum cum lege honeſti, quam ſpiritus hominis a ſe amoliri cupiebat propria libertate abuſurus, opportune excolendum ſuſceperant Patriarchae, conſtitutis ſignis externis piarum cogitationum, quibus praecipuus ejuſdem DEI cultus, atque confeſſio tum praeſentibus, tum poſteris annunciaretur, ſacris quibuſdam ritibus ac ceremoniis inſtitutis, unde omnis diſciplina emanavit primitias offerendi univerſorum bonorum Auctori ac Largitori, certaque ſigna effluxere hujus interni ſenſus noſtrae omnimodae ſervitutis eidem ſacrandi ac devovendi. Ac viva quidem voce liberos ita erudire, & hujuſmodi ritibus exercere facile poterant, quamdiu unius linguae uſus obtinuit; in ea praeſertim longaeva vita, quam hominum antiquiſſimos degiſſe con-

constat, ex omnium Nationum, atque Historicorum consensu. Verum, correpto vivendi spatio, & plurium linguarum sobole proxime post diluvium suborta, perennitas verbi Dei, quam in cordis tabulis divinitus impressam malitia hominum suspicere detrectabat, & contracta piorum parentum vita, vocis institutione vegetam vivamque alere & confovere nonnisi apud praesentes, ejusdemque sermonis consortes, poterat, aperienda fuit etiam posteris vicario quodam invento substituto, quo seris nepotibus praesens quodammodo redderetur. Ars igitur enunciandi per symbola quaedam perennia internas animi cogitationes, & cultum Dei Majestatis, ita necessaria piis parentibus visa est, imo & hujusce cultus Auctori atque Exactori omniumque Domino, ut nonnulla ex his instituere ipsemet Conditor dignatus sit, alia ab hominibus oblata ultro recipere atque approbare (*a*). Invocationem itaque Divini No-

(a) *Genes. IV. vers. ult.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Nominis ab Enoſo coeptam (*a*), altaris conſtitutionem a Noemo peractam, utrumque autem ritum (*b*) ab eorundem nepote Abrahamo ſervatum, una cum decimarum uſu monſtrato, DEUS Optimus Maximus ratum habuit: quem inſtitutorem novimus fuiſſe plurium ſignorum, tum ipſis, tum poſteris commendatorum, hoc eſt foederum (*c*), quae conſtituit vetato ſanguinis eſu, iride in nubibus conſtituta, quatuor anni tempeſtatibus demonſtratis, mundis animantibus ad Sacrificium admiſſis (*d*), eorumque certa aetate, ſectione, ac ſpecie deſignata, tradita lege circumciſionis, aliiſque pluribus ad jus Sacrorum pertinentibus etiam ante Moſis aetatem. Horum autem ſignorum memoriam an iis duabus columnis inciderint Sethi nepotes, quas ante diluvium conſtitutas, & ſua aetate ſuperſtites monſtrari narrabat Joſephus, cum Sacrae lite-

(a) *Gen. VIII.* 20. (b) *Gen. XII.* 8.
(c) *Gen. IX.* 5. 17. (d) *Gen. XV.* 9.

literae non affirment, quae antiquissima sunt testimonia, nobis asseverare non placet. Id tantum novimus, constare ex oraculis Scripturarum, complura signa cogitationum ad cultum Dei pertinentium fuisse posteris tradita, tam ante, quam post cataclysmum a Patriarchis per symbola, saxis, atque arboribus memoriae causa commendata; cum nondum Moyses eorundem nepos expedita illa signa cogitationum simul ac vocum, in lapideis tabulis digito Dei impressa, e Monte Sina perferret, unde videtur ars emanasse exprimendi unico ductu cogitationes animi, & vocum differentias.

Duae sunt artes praecipuae exprimendarum cogitationum per signa externa: quarum una propositis imaginibus rerum animo obversantium excitat ideas notionum potius, quam affirmationum ac negationum nostrarum; altera vero tum ipsa objecta proposita, tum comparationes ac judicia de iis efor-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

formata complectitur, ac manifestius aperit mirabili invento vocum & cogitationum insimul reddendarum per literas. Prima constituit Graphicen, Pictoriam, Plasticen, Statuariam symbolicam atque Aenigmaticam; altera vero Grammaticen: quae rursus in duo genera subdividitur. Aut enim indicat voces integras peculiari charactere, unicuique voci attributo, prout Sinae solent; quod exponendi genus multo laborioſius addiscitur, pro ingenti numero dictionum, quibus aliqua lingua constat, neque ad alias transferri potest citra novam congeriem propemodum innumeram ejusmodi characterum: aut vocum elementa considerat, & singillatim componit; quod exprimendi genus tum brevius tum elegantius habetur, tum etiam uberius est, licet perceptu facilius, & ad omnium linguarum differentias exhibendas maxime accommodatum. Cum enim observatum fuerit, quinque spiritus emissiones

Digitized by Google

siones in voce edenda moderari nos posse dentibus, labiis, palato, lingua, omnium emissionum signa quinque vocalibus literis aut simpliciter positis, aut per dyphtongos copulatis exprimere satis fuit, moderationum vero discrimina significare per consonas, quae vicenarium numerum non excederent. Hac vero animadversione atque invento effectum est, ut quae difficillima & propemodum infinita fuisset ars pingendi dictiones innumeras per totidem ductus, & eos quidem ex integro addiscendos post comparatam notitiam vocabulorum, ea redderetur maxime facilis atque expedita, utpote comprehensa brevi numero literarum quatuor & viginti, pro aequali summa emissionum ac moderationum spiritus, in quas resolvitur universitas vocum ubique gentium usurpatarum: quibus semel intellectis, citra novam addiscendi necessitatem, illico reddi possent juxta unamquamque linguam earun-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

dem ſigna ac differentiae ab eo, qui pingere percepiſſet omnibus communia bis duodecim elementa.

Utramque igitur artem exprimendi cogitationes per ſymbola, ſeu hieroglyphica, (quae prima & rudior fuit hominum caelatura, potiuſquam Grammatice) necnon eaſdem elegantius & aptius enunciandi una cum vocibus per cifras primum, & monogrammata, deinde per elementa literarum, Mercurio antiquitus attributam Veteres prodidere. Mercurium vero a Latinis dictum, Hermen Graeci, Thoth Alexandrini, reliqui Aegyptii Thoyth, Phoenices Taautum appellarunt, teſtibus Platone, Tullio, Philone, Bytlio, & Porphyrio apud Euſebium *Praep. Euang. lib. primo*: in quo tamen uno plurium Virorum geſta complexi ſunt, ita ut quinque Mercurii etiam a Latinis Doctioribus diſtinguantur cum Cicerone, licet unico Simulacro Graeci Hermetis expreſſi: quorum ſi tempora confe-

feramus, apparet neque antiquiorem ullum haberi Chanaano Chami filio, neque recentiorem Mose, omnium Scriptorum principe, ut constat ex Justino, & ceteris Patribus, secundi praesertim Saeculi. Et quidem quae attinent ad primum Mercurium Tullii, sub finem I. Capitis satis probata sunt ad Chanaan referri. Quae vero spectant ad quintum Ciceronis Mercurium, esse Moysis propria, & ab ejus libris deflexa, luculenter ostendit saepe laudatus Praesul Huetius, capite praesertim tertio & quarto *Demonstrationis Euangelicae* cum aliis Clarissimis Auctoribus, quos producit. Hunc autem Mercurium quintum, Thoyt ab Aegyptiis dictum (ipse Cicero testis est) & literarum repertorem: neque alius est a quarto existimandus. Nilo enim patre natus cum dicitur Mercurius quartus, palam est indicari Mosem infantem ab eo flumine eductum, ut vitae reservaretur, eumque ita Aegyptiis invisum, ut ne-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

fas habuerint nominare.

Tres igitur ſuperiores Mercurii, ad Chanaan; ejuſque liberos ante Moſis aetatem ſunt referendi: quorum inventa praecedunt literas, a quarto & quinto (hoc eſt a Moyſe) primum oſtenſas. Inter illorum inventa eminet ars hieroglyphica ſive emblematica, hoc eſt ars exprimendi cogitationum noſtrarum ſigna per ſymbola quaedam figurata, eademque ſigna ceteris interpretandi, unde Hermetis nomen obtinuit princeps ejuſdem diſciplinae circa aetatem Chanaani, & Nembroti, dum linguae hominum in Babilonica Turri conſtruenda divino conſilio confunderentur. Hoc enim tempus & cauſam nominis Hermeti tribuit Hyginus fol. 143. *Poſtquam*, inquit, *Mercurius ſermones hominum interpretatus eſt, unde Hermeneutes dicitur interpres* (*Mercurius* enim, Graece *Hermes* vocatur) *idem Nationes diſtribuit: tum diſcordia inter Mortales eſſe coepit, quod Jovi pla-*

placitum non est. Quod vero ibidem subsequitur de Idololatria ab eodem Mercurio adinventa, pertinet plane ad ipsummet Saeculum Chanaan, quo impius rerum creatarum cultus in Chami familia fuit adinventus. *Itaque exordium regnandi* (scribit Hyginus) *tradidit Phoroneo ob id beneficium, quod Junoni Sacra primus fecit*. Nemo non videt in Phoronei nomine servata ferme integra vestigia nominis Pharaonum: quos primum in Aegypto regnantes memorant Sacrae (*a*) literae in Abrahami historia, & quidem capite proximo illi, in quo linguarum divisio percensetur: unde etiam constat, Heberum Abrahae atavum, & Phalegum abavum (quorum aetate linguae divisae sunt) origines Regum Babyloniorum, Assyriorum, & Chananeorum, non secus ac Aegyptiorum Pharaonum attigisse, & Abrahamo nepoti iis superstitibus adulto narrare potuisse: quemadmo-

(a) *Genes. cap. XII.*

Digitized by Google

admodum & Chananeum obtinuiſſe regionem Bethel, dum in Aegyptum peregrinaretur Abrahamus, a Pharaone hoſpitio excipiendus, idem Sacer textus diſerte tradit. Pertinet igitur ad eandem aetatem Phoroneus ſive Pharao in Aegypto primum regnans, & Chanaan inde profectus ad Palaeſtinae terminos occupandos, ad quam aetatem refertur Hermes, Phoroneo aequalis Mercurius, interpres notarum Hieroglyphicarum juxta varia linguarum genera tum primum diviſa, dum Nembrotus Babylonem, Aſſur Ninivem conderent, & Regna inſtituerent omnium antiquiſſima, caſtumque Dei cultum impie ſubverſum transferrent ad ſimulacra.

Cum autem interpretem potius, quam Scriptorem appellent Mercurium primum ſive Chanaan, ejuſque Poſteros Chananeos, in quibus alter, ac tertius Ciceronis Mercurius deprehenditur, Hermetis ſive interpretis munere, non

non secus ac primus, pariter donati, causa non est admodum longe repetenda. Si vera enim sunt quae de Sethi posteris ante diluvium Josephus tradit, nempe erectas ab iis fuisse columnas duas, easque notis inscriptas indicibus suarum praedictionum, & artium ab ipsis adinventarum, ante Mercurium primum sive Chanaan ars Hieroglyfica statuenda est: cujus interpretandae ratio tum demum necessaria magis est reddita, quando turbatis sermonum rationibus post Diluvium, signa cogitationum, quae diversa jam evaserant in pronunciando, licet in pingendo eadem perseverarent (utpote reperta nondum divisis generibus linguarum), Interpretis sive Hermetis vocem desiderabant. Sin autem nullae supponantur notae cogitationum a Sethi liberis impressae ante diluvium, sed tum demum usurpari coeptae, cum dissidentes in usu vocis populi commune subsidium sermonis aliunde quaerebant, ad interpretandos animi sensus;

pa-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

palam eſt nihil prius occurrere potuiſſe, quam ſymbola quaedam, & figuras rerum vicarias, earumque imaginibus non diſſimiles: in quibus eodem modo perciperent oculi, quidquid aures & ora diverſum ſonarent. Chanaan vero, ejuſque poſteri, quos inter Chaldaeos, Aſſyrios, & Aegyptios, prima ſcilicet orbis regna, (a) conſtat eſſe diſſeminatos, mercaturae potiſſimum exercendae cauſa (unde & nomen apud Latinos obtinuit Mercurius a mercimoniis, quibus etiam praefectus habebatur) prae ceteris incumbere debuerunt inveniendis atque interpretandis ſignis cogitationum earundem, quas idiomatum diverſorum Nationibus exponere, contraendi praecipue gratia, cupiebant. Sive igitur Chanaan, ejuſque poſteri primum repererint artem Hieroglyphicam ad eadem cogitata enuncianda diverſis linguis, antequam literae diſtinguerentur, ſive (quod verosimilius vide-

(a) *Geneſ. X.* 18.

videtur) primi excoluerint poſt linguarum turbationem artem interpretandi notas cogitationum, a poſteris Sethi relictas ante diluvium, cum nulla idiomatum diverſitas adhuc uſurparetur; conſtat Interpretis nomine potius, quam Scriptoris donatos fuiſſe Mercurios, ſive Mercatores Chanaanitas, Phoenicios, atque Aegyptios, Hermetes a Graecis dictos, utpote ſymbolis tantum uſos; cum Scriptoris, & inventoris Literarii nomen & laus tribuenda ſit Moyſi, primo elementorum Auctori, ex quo Mercurium quartum & quintum cum Chanaan & Chanaanitis tribuſque primis Hermetibus perperam confuſum Ethnici confinxerunt.

Satis id percipimus ex Nummo *M. Aurelii* jam allegato, necnon ex altero elegantiſſimo, quem Patruus meus poſſedit liberalitate Illuſtriſſimi Praeſulis Leonis Strozzi: in quo Hermetis nomen legitur: & in adverſa parte viſuntur Hieroglyphicae notae, a Phoeniciis ſeu

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Chananeis Aegyptiisque Hermetibus ante Moysis inventum usurpatae.

Quinque Hermetes sive Hermas a Tullio celebratos possumus contemplari in Templo Mercurii, a *M. Aurelii* Nummo eadem figura expresso, qua ejusdem Aedis vestigia ad Circum Maximum detexerat Franciscus Passeri teste Angelono. Neque enim frustra sustinebant Aedis frontem Hermae quatuor, in qua Aede praecipui Hermetis, sive quinti Mercurii, simulacrum visebatur, caducaei symbolo ornatum, quod etiam in basi sive ara simulacri erat insculptum. In caducaeo literarum inventum significari infra videbimus, cum sermo erit de quinto Mercurio omnium praestantissimo Thoth Aegyptiorum, seu Phoenicum Taauto, in quem Ethnicorum licentia transformavit Moysen Scriptorum principem, conversa in caducaeum ejus virga: quod ante nos adnotarunt Viri praestantissimi, praesertim inter antiquos Eusebius, ac inter

ter recentes Huetius *prop.4.cap.3.& 4.* ex Philone Byblio, Porphyrio, Eupolemo, Theodoreto, adſtipulantibus etiam Rabbinis, praecipue vero Abrabaniel in Exodum II. Ne nimius in hoc argumento ſim, pauca tranſcribam ex Huetio, quae indicant per ſymbola caducaei Moſen, & quintum Mercurium Thoth, eum ſcilicet, qui juxta Pheneates ejuſdem cultores, apud Ciceronem dicebatur Argum interemiſſe, ob eamque cauſam Aegypto praefuiſſe, atque Aegyptiis leges & literas tradidiſſe. *Praeſtigiator* (inquit Huetius) *fingitur Mercurius, propter edita a Moyſe per totum vitae curſum prodigia. Quaecumque autem adverſus Magos Aegyptios vi divina geſſit, incantamentis, & vi daemonum gerere creditus eſt. Caducaeum Mercurio tribuitur, virga nimirum ſerpentibus intexta, portentorum effectrix: virgae ſcilicet illius mirificae inſtar, quae a Moſe demiſſa in terram, colubri more reptavit, veneficorum Aegyptiorum ab-*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſorbuit virgas, & mirabilia ſubinde opera patravit. Atque his etiam ratio ineſt, cur ἀργειφοντης *Mercurius dictus ſit. Nam quae vulgo afferri ſolet, caedes nempe paſtoris illius* πολυομματος, *qui Argus dicebatur, naenia eſt ſopiendis infantibus idonea. Verius eſt quod propoſuit Pauſanias in Lexico* ἀργειφοντιω *ſonare* ὀφιοκτόνον, *ac ſi dicas anguicidam; quippe* ἀργις *anguem notare. Idem hoc teſtantur Grammatici veteres Heſychius, Harpocration, & Suidas: teſtificatur & Plutarchus eo ſenſu dictionem hanc apud Poetas aliquos reperiri. Addit Euſtathius, Pauſaniam non ſubjeciſſe cauſam, cur* ὀφιοκτόνος *dictus ſit Mercurius. At nos ſubjiciemus: nempe quod Magorum Aegyptiorum virgas in angues converſas illa Moſis, anguis itidem facta, deglutierit: vel quod ſerpentium ignitorum lethalem vim Moſes propoſito aeneo ſerpente repreſſerit.* Verum de transformato in Mercurium Thaautum ſeu Thoth ab Ethnicis Moſe erit infra dicendi locus, ubi de literarum

Digitized by Google

rarum inventore differemus. Interea regrediamur ad Mercurium primum ſeu Chanaan, ejuſque nepotes Chananeos, Aegyptios ſimul ac Phoenicios habitos, a Graecis autem dictos Hermas ſive Interpretes Hieroglyphicarum notarum, & Mercurio quinto ſuperiores. Symbola ſeu figurae ante literas ad ſignificandum inventae, quae poſtmodum hieroglyphicae dictae ſunt, in ejuſdem templi tympano colliguntur. Viſitur enim praeter caducaeum galericulus ſeu petaſus, aries, gallus gallinaceus, crumena, ac teſtudo, ſymbola Mercurio attributa, ad indicandas artes ac ſcientias, a Phoeniciis ſeu Chananeis ex Aegypto, Aſsyria, Babylone, ac Phoenicia in Occidentem translatas: quae, utpote inventae ante repertas literas, adeoque expreſſae primum per symbola, noſtra etiam aetate retinent aliquid antiqui moris; cum plures admiſceant characteres nullam literam denotantes. Illae autem artes

LIBER ANTIQUARIUS.

ac ſcientiae, quae tribuuntur Hermetibus primis Aegyptiis ſimul & Phoeniciis, ſive Chananeis ex Aegyptio Chanaoriundis, adauctae vero ſunt a Mercurio Thoth, hae potiſſimum numerantur a Platone, Arithmetice, Geometria, Aſtronomia, & Muſica, praeter mercaturam, & nauticam, quas nemo attribuit Taauto, ſed aliis Hermetibus praecedentibus aetatem Moſis. Mercaturam expreſſere marſupio, in quo etiam Arithmeticen intelligimus in numerando occupatam: Nauticam petaſus alatus, ac talaria Mercurio addita ſignificarunt: Geometriam radius ſeu virga: gallus gallinaceus horarum index Aſtronomiam; quam etiam indicat Arietis ſignum reliquis in Zodiaco praepoſitum. Muſicen denique teſtudo manifeſtat, cui ſcilicet ferunt tetrachordum a Mercurio ſuperinductum, fratrique Apollini dono datum, hoc eſt Horo Aegyptio, a quo virgam ſeu radium, ipſamque adeo Geometriam ipſe Mercu-

curius dicitur accepisse.

Liber Antiquarius.

Compluribus praetermissis, quae pertinent ad origines istarum facultatum a Chanaano & posteris auctarum, potius quam inventarum (pleraeque enim ex his ante Diluvium inchoatae probari possunt), intendimus id unum observare, quod ostendit, Hermetes priores seu Chananeos hieroglyphicis ac symbolis usos in hisce artibus circumferendis, cum literae nondum extarent. Servantur enim adhuc in Astronomia, Musica, Arithmetica, & Geometria compendiariae notae, loco dictionum, quas (ab antiquis acceptas hisce tantummodo in disciplinis), reliquae post literas adinventae, nempe Grammatica, Rhetorica, Poesis, Philosophia non recipiunt. Astronomorum Hieroglyphica, dici possunt Planetarum characteres proprii, necnon adspectuum, ac signorum: atque hinc deducta Astrologiae Apotelesmaticae figmenta, hoc est Aegyptii termini, Decani,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

cani, & ſpherae barbaricae commenta; quae a Babyloniis, & Chaldaeis jamtum emanarunt, una cum impoſturis divinationum, & Magicae Artis, Mercurio Trophonio (qui ſecundus eſt Ciceroni) a Veteribus attributae; necnon Pani, quem a tertio Mercurio Majae filio natum eodem Tullio teſte ferebant. Muſica tum antiqua, tum recens, notis peculiaribus uſa eſt, ad vocis elevationes, ac depreſſiones, moras, ac modulationes ſignificandas. De Geometria nihil attinet dicere; cum univerſa ejus ratio figuris conſtet, triangulis, circulis, conis, cylindris. Arithmetica denique ciſris utitur, ab Indis ad nos emanantibus. Licet vero Graeci ac Latini literis uterentur ad numeros conſignandos, palam eſt iiſdem nequaquam uſos ad vocis elementa ſignificanda, qua quiſque numerus efferretur; ſed loco notae, ſeu characteris, unitatum ſummam complexi, nulla ratione habita Graecae, aut Latinae dictionis, qua ſumma hujuſmodi

Liber Antiquarius

modi exprimeretur. Quin etiam conferentibus figuram unitatis,& decadis, aliorumque numerorum, qui a noſtris Latinis pingebantur cum notis,quae ab annis ferme quatuor millibus obtinent, ſimilem poteſtatem apud Sinenſes,conſtare ſatis poteſt,proxime poſt diluvium, dum ex Aſsyria ad eam Regionem incolendam Semi poſteritas proficiſceretur, hoc eſt aetate Chanaan, eoſdem propemodum characteres Arithmeticen habuiſſe: indicio ferme certo ejuſdem originis ac temporis, quo literis nondum repertis univerſa ſcribendi ratio symbolis ac notis compendiariis conſtabat. Quomadmodum vero numerales cifrae aetate Chanaan ad extremum Orientem propagatae figuram retinent primaevae inſtitutionis; ita etiam univerſa ratio Arithmetices in Pythagoricae tabulae novem columnis diſpoſita eadem habetur jam tum apud Sinas,quae a Graecis & Romanis uſurpabatur:ut alibi oſtendit Patruus meus

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ex antiquis monumentis abaci Velſeriani, collatis cum ſimili machina numerali, a Lixeo Sinicae Arithmeticae inventore ſuis popularibus communicata. Saeculis ſeptem ac viginti ante Aeram CHRISTI, hoc eſt ipſa aetate Chanaan, ſeu Hermetis primi, qua viguiſſe colligitur etiam inter Aegyptios ex diſpoſitione totidem ſtriarum non diſſimilium inter Obeliſcorum anaglypha, ubi numeros conſignatos Antiqui produnt. Singularum figuras retulit idem Patruus meus *Hiſtoriae Univerſalis cap.* 3. ubi earundem collatio & expoſitio videri poteſt. Id unum addere placet, quod hujus argumenti videtur proprium, ſcilicet in Obeliſcorum anaglyphis, ubi novem ſtriae occurrunt, abaco Arithmetico Sinarum ac Latinorum perſimiles, proximum obſervari ſignum cynocephali, hoc eſt Hermetis ſeu Mercurii, rudimento caducaei inſtructum; ſive ipſam caducaei figuram angue & circulo inſtructam imminere pro-

prope accipitrem galericulo ornatum : quae fymbola ſunt attributa Mercurio & Horo Apollini ſeu Pythio, nempe Chanaano, ejuſque fratri Puth, inter Chami, hoc eſt Ammonis, liberos memoratis *Geneſeos cap. X. verſ. 6*, quibus prima diſciplinarum ratio ab Ethnicis tributa eſt. Vide prae ceteris Bochartum *in Geogr. Sacra*.

Ut igitur colligam quae de Chanaan ſeu Mercurio primo, atque duobus proximis Hermis, ſive Aegyptiis ac Phoeniciis Chanaani poſteris, mercaturae, diſciplinarum, & artis hieroglyphicae cultoribus ac propagatoribus dicta ſunt, conſtare ſatis videtur, ex quinque Hermetibus ſeu Mercuriis a Cicerone numeratis, & in templo, ac Nummo *M. Aurelii* expreſſis ſecundo CHRISTI Saeculo, tres priores, nempe Caeli filium, Trophonium, & patrem Panos, pertinere ad Chanaan, ejuſque poſteros, ab eiſque expreſſa per Orientem & Africam ſymbolis & hieroglyphicis

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

notis (quae ſolae tum temporis repertae fuerant, literis nondum excogitatis) Majorum ſuorum inventa, artes, res geſtas, eaſque cippis ut plurimum quadrilateris rudi minerva conſignatas, prout illa ferebat aetas: unde Sinenſium prima ſcribendi ratio, Aegyptiacis anaglyphorum figuris omnino comparanda, necnon Arithmeticae uſus ac methodus plane ſimilis, Muſicae quoque notae, ac Geometriae rudimenta lineis & circulis explicata, Aſtronomiae characteres antiquiſſimi, & Aſtrologicae, ac Magicae ſuperſtitionis impoſturae, & artium divinandi indicationes & commenta petenda ſunt, tribus illis Hermetibus aſſignata. Quartum denique, & quintum, ipſumque praecipuum ac ſapientiſſimum Mercurium Thoth Aegyptiorum, Taautum vero Phoenicum, eſſe ad Moſis aetatem referendum, imo ipſum fuiſſe Moſem, (ex detorta interpretatione Sacrarum Literarum, quas identidem ab Hebraeis Ethnici ſuf-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſuffurabantur, ita variatum) paulo poſt repetemus, cum de literarum elementis primo repertis agendum erit.

Jam, quae ſuperſunt de Hieroglyphicis ejuſmodi notis comprobanda ex monumentis Aegyptiis ac Sinenſibus, breviter exponamus.

CAPUT QUARTUM.

Cum ſymbolis & figuris hieroglyphicis compendiariae notae dictionum producuntur (repertae, aut certe uſurpatae aevo trium priorum Hermetum apud Aegyptios, Indos, Braehmanes, & Sinas) ex veteri Cylindro magnetico utroque genere notarum antiquitus inciſo, aliiſque ex monumentis Romae aſſervatis.

CRebra cum Indis Aegyptios agitaſſe commercia recte inferebat Huetius *pag.* 80. compluribus ex argumentis, iiſque non obſcuris. Praeter hiſtoricorum auctoritatem (quae in Indiam confugiſſe docet complures Aegyptios, cum Aegyptum Cambyſes invaſit),

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

vaſit), imo & Sacrarum literarum teſtimonia, unde colligitur, occaſione navigationum juſſu & auſpiciis Salomonis in Ophir ſuſceptarum, Arabicum, Perſicum, & Indicum mare etiam ab Hebraeis fuiſſe luſtratum, alia quoque afferebat documenta, ex Sinica ſcribendi ratione Hieroglyphicae Aegyptiae perſimili; ex cultu Pyramidis apud Brachmanes inſtar Aegyptiarum, in qua oſſa ſervari credebant DEI cujuſdam ab ipſis habiti; ex pari forma Idolorum in ſerpentium formam fere fabricatorum; & ex capitibus praecipuis Pytagoricae Philoſophiae, olim in Aegypto perceptae a Pytagora, quaeque Brachmanes pertinaciter ad hanc diem retinuerunt; potiſſimum vero doctrina Metempſychoſeos, quam primi Aegyptii tradiderunt (ut auctores ſunt Herodotus, & Clemens Alexandrinus), & a quibus profecta, in Indiam & Sinenſes manavit.

Recte autem cum procedat illatio artium

Digitized by Google

artium communicatarum ex eadem ratione inſtituti, utrobique conformi & conſpicua, tam antiqua ſaltem ſunt commercia admittenda utriuſque gentis Aegyptiae ac Sinicae, quam vetuſta oſtenditur ſimilitudo ac methodus hieroglyphicae artis ab utraque gente uſurpatae. Et quidem quod pertinet ad Aegyptios, vidimus ſupra, uno aut altero ſaeculo poſt diluvium uſurpatas ibidem fuiſſe figuras animalium, aliaſque imagines, tanquam ſymbola cogitationum, quibus interpretandis Chanaan, ejuſque poſteri, ſive tres priores Hermetes aut Mercurii a Cicerone numerati, ſedulo incubuerunt, idcirco etiam habiti diſciplinarum Magiſtri. Neque aliter de Sinenſium hieroglyphicorum aetate ſtatuere licet; cum illius nationis hiſtoriae una voce teſtentur, ſeptem ac viginti Seculis ante Aeram CHRISTI abacum Arithmeticum, noſtris perſimilem a Lixeo productum fuiſſe, & Saeculo notarum for-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

formam, quam hodie uſurpant, ſubrogatam fuiſſe imaginibus rerum, quibus antea utebantur ad animi ſenſus patefaciendos. Ceterum Diodorus narrat duplicem ſcripturarum formam apud Aegyptios ſubinde excogitatam, quarum una poſterior ac Aegypti vernacula (vulgo communis), altera vero antiquior & Sacra, ſoliſque Sacerdotibus reſervata, ab Aethyopibus emanarat. Hanc autem ita deſcribit (ut plane intelligatur eadem eſſe, quae viſitur in Obeliſcis): *Primae* (a) *iſtarum variis beſtiis, & hominum membris, inſtrumentiſque fabrilibus potiſſimum aſſimiles ſunt. Nam ars apud eos literaria, non compoſitione ſyllabarum, ſed deſcriptarum imaginum ſignificatu, & translatione per exercitationem memoriae inſculpta, ſubjectam orationem exprimit & abſolvit. Jam enim Accipitrem, Crocodilum, Serpentem; jam de corpore Humano aliquid, puta oculum; manum,*

(a) *Diodor. Sicul. Bibliot. Hiſtor. lib.* III. *pag.* 101.

num, faciem, & id genus alia, ſcribunt: Accipiter, illis cuncta, quae celeriter fiunt, ſignificat; quod avis haec omnes fere alias velocitate ſuperet. Ratioque congruis metaphoris (translationibus) ad omnia ſubita & his affinia, perinde ac ſi dicta forent, applicatur. Crocodilus, omnis malitiae index eſt. Oculus, juſtitiae ſervator, & cuſtos corporis. Inter extrema corporis membra, dextera expanſis digitis victus ſuppeditationem, ſiniſtra contracta conſervationem facultatum & cuſtodiam denotat. Eadem ſe ratio ad ceteras quoque corporis & inſtrumentorum, adeoque omnium formas extendit. Dum enim in unoquoque ſignificationes abditas ſequuntur! animoſque diuturno ſtudio & memoriae cultu exercitatos intendunt, exacte ſingula figuris adumbrata legunt & intelligunt.

Cum igitur Aethiopicae illius antiquioris & Sacrae Aegyptiis ac Sinenſibus communicatae ſcripturae genus ſuperius illuſtratum ſit ex allegato Her-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

metis Nummo, ſequitur ut poſterioris ſcripturae tum, Sinenſium, tum Aegyptiorum documenta heic producamus. Dabimus vero elegantiſſimum, ni fallor, in amuleto ex magnete lapide; in quo utrumque genus viſitur notarum, Hieroglyphicum ſcilicet, atque vulgare. Utrumque autem invaluit aetate Chanaan, tam apud Sinas, quam apud Aegyptios: apud Sinenſes quidem, cum Saeculo ante CHRISTI Aeram .... aſſignent mutationem ſymbolorum in notas ſeu monogrammata verborum, quibus hodie communiter utuntur; apud Aegyptios vero, cum Aethiopum colonos ſeſe affirmarent deductos ab Oſiride, qui uxorem Iſidem Aegyptio Regno praeficiens, conſiliarium illi adjunxit Mercurium ſive Hermetem. Hermetem autem, qui aequalis Iſidi fuit, eique a conſiliis, hoc eſt ſecundum Ciceronis, habendum eſſe ipſum Chanaan, jam vidimus ſupra. Verum praeſtat in ipſo lapide hieroglyphica, &

mo-

monogrammata simul intueri.

Amuletum cylindricum ex lapide magnete juxta mensuras prototypi in hac figura delineatum.

口 *Keu*, os, *bocca*

曰 *Ibu*, loqui; *parlare*

米 *My*, oryza, *orzo*

采 *Chay* seu *Tsay*, *Principium*.

Videatur tres dictiones.

Superior pars isti aliquatenus accedit, & potest haberi duplicata.

斤 *Kin*, *Libra*: cum diverso accentu aliud significat.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Ching, significat aliquid rectum.

Pars ista superior, est pars dictionis significantis instrumentum Musicum, in quo digitis ludimus, quemadmodum apud Italos *Clavicembalo*.

Prima, est eadem ac secunda prioris columnae.

Partem inferiorem supra explicuimus in prima Columnae primae.

Adjumentum literae apud Sinas; sed proprie non est litera.

Duae istae literae apud Sinas invicem suppositae, significant vocum differentiam in Musica, & pronunciantur Lira.

CII. Vi-

Digitized by Google

Cll. Virorum Praesulis Maygrot, & P. Noel judicium.

口 *Keu'*, os, oris.

曰 *yue*, dicere.

日 *ge*, Sol, Dies.

旨 *chi*, intentio, bomis, fapor.

太 *tay*, primus omnium, maximus.

泰 *tay'*, primus omnium, maximus.

斤 *Kin*, libra.

珏 *Kio*, par gemmae.

琴 *Kin*, cithara.

正 *Chim*, rectus, fancitus.

呂 *lin*, muficae regulae fex.

Kan,

Digitized by Google

Kan, os operire.

yao; deprimere.

so, attollere.

Aegyptias esse figuras, quae in hoc amuleto exhibentur nemo inficiabitur, qui viderit virum sedentem, qualis ferme observatur in suprema parte obeliscorum, Solis orbem, & Lunae menisscum manu praeferre: eique proximum cynocephalum, Mercurio scilicet tributum animal, cum aliis figuris Aegyptio more ornatis adstare. Aethiopica vero hieroglyphica, seu Sacra Aegyptiorum symbola, in orbem columnae dispositа, manifeste sunt illa, ubi caput humanum, apis, & cynocephalus, qualia etiam in Obeliscis persaepe occurrunt, & a Diodoro paulo ante descripta recitamus. Duae vero columnae characterum eidem proximae, cum ductibus suis

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſuis imitentur Sinica monogrammata; conſuluit Patruus meus ejus linguae peritos Viros Illuſtriſs. Praeſulem Maygrot, & admodum Rev. Patrem Franciſcum Noel, qui ad hanc Urbem inde advenerunt, num aliquid aetate noſtra apud eoſdem Sinas ſimilibus linearum plexibus ſcriberetur. Reſpondent Viri doctiſſimi, nonnullos ex iis characteribus quam proxime accedere ad notas hodie uſurpatas, alios vero videri ſibi antiquiores, ac tantummodo in vetuſtis Sinenſium monimentis, idque perraro occurrentes. Utinam Patruus meus appoſuiſſet ſingulis numerales notas, ut poſſet facilius intelligi quinam characteres exponantur, & quinam interpretatione donari hactenus non potuerint.

Ex iis quae perſpicue ſunt reddita, ſatis colligitur, epigraphen Amuleti continere Sinenſium idiomate expreſſas origines loquendi per duplex characterum genus, nempe ſymbolicum

ſive

LIBER ANTIQUARIUS.

sive Aethiopicum aut Aegyptium hieroglyphicum & Sacerdotale, quod erat primum; & per lineares plexus, dictiones integras olim vulgo reddentes apud Aegyptios, nunc vero adhuc vigentes in Sinarum Imperio, quod est secundum. Figurae autem Aegyptiae, nempe Cynocephalus Hermetis Icon, & vir ille sedens, qui Solem ac Lunam manu gestat, nempe Horum & Isidem Aegyptiorum, aetatem indicant, & Auctores aut interpretes hujus inventi, Chanaanum scilicet filium Ammonis seu Chami, ejusque posteros Chananeos, in tres priores a Tullio recensitos Mercurios sive Hermetes a Veteribus transformatos.

Aethyopicas vero notas cum diceremus ex origine habendas esse Obeliscorum symbola seu figuras, utpote ab Aetyopibus ad Aegyptios perlatas; intelligendum est de veteris Athyopiae parte, quam posteri Arabiam Felicem dixere, Sabiis conterminam, & inter duos

Digitized by Google

duos Sinus, Persicum scilicet, atque Arabicum, constitutam. Ostendit Franciscus Blanchinus Praesul Patruus meus Historiae Universalis cap. 30. num. x. ex Homeri auctoritate, Herodoti, Strabonis, aliorumque veterum Scriptorum, a Sinu Arabico bifariam dividi antiquos Aethyopas, nempe in Orientales,& Asianos, qui juxta Herodotum (*a*) Indis connumerantur trans Erythraeum;& in Occidentales sive Africanos Lybiae & Aegypto conterminos, cis eundem Sinum incolentes. In Aetyopia Orientali ita definita ostendit eodem cap. 30. num. 13. & cap. 20. num. 4. & 5. Chusi filios Chami Nepotes eum tractum incoluisse: qui numerantur *Geneseos* cap. x. vers. 7. nempe Saba, & Herila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha, necnon alter Saba, & Dadan a Regma nati quorum de partitionibus consulendus est *Bochartus Geogr. Sacrae parte prima lib.*

(a) *Lib. 7. num. 70.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

4. *cap.* 3. *& ſeqq.* Oſtendit inſuper hos eoſdem Orientales Aethyopas Chami filios inſtitutores fuiſſe Regnorum meridionalium; quemadmodum Nembrotus eorundem frater, Bacchus a poſteris appellatus, quaſi בר כוש Bar-Chus *filius Chus*, qui primus coepit eſſe potens in Terra (ut narrant Sacrae Literae) Babylonicum & Aſſyrium Imperium inſtituit: quem Oſirim & Dionyſum a natali ſolo Nyſei montis in Arabia fabulatores Graeci dixerunt, & ad Indos uſque dominationem ſuam protuliſſe. Conſtat ſimiliter ex auctoritatibus eodem loco per ipſum allatis, in illa regione dicta primum Aetheria, mox Atlantia, atque Aethyopia Babyloniis, & Chaldaeis, perinde ac Sabiis ſeu Zabiis ad incolendum data, originem trahere Idololatriam Aegyptiam, Phoeniciam, Graecam, Romanam, tum quae Mundi elementis ac partibus, Soli praeſertim ac Lunae, Deorum cultum inſtituit, tum quae parentibus vita functis,

ctis, & inter numina relatis, aſtrorum ſimilitudinem ac Divinos honores decrevit. Utriuſque vero apotheoſeos teſtimonia eſſe voluerunt Obeliſcos, Bethylia, columnas, ſive, ut Plinius expreſſius habet (*a*), praelongas trabes ex lapide Thebano Solis Numini ſacratas, & proſtitutas juxta Hermatelem a Tertulliano indicatum: quorum uſum Romani propterea tranſtulerunt tum ad ſuos Circos, elementarium Deorum concilia, tum ad ſepulchra Principum, quos Deorum in numerum referebant. *Obeliſcorum prolixitas ad Circi altitudinem ſublevatur* (inquit *Caſſiodorius* Ep. lib. 3. ad Fauſtum); *ſed prior Soli, inferior Lunae dicatus eſt, ubi Sacra priſcorum Chaldaicis ſignis, quaſi literis, indicantur*. Et in baſi columnae *Antonini Pii* in Campo Martio detecta duplex indicium & auctoritas ipſius apotheoſeos exprimitur, nempe Genius alatus, inter ſydera eundem transferens cum

(a) *Plin. lib. 36. cap. 8.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

uxore *Fauſtina*, ad exemplum veteris ſuperſtitionis Globum ſtelliferum oſtenſans, Solis, ac Lunae, primorumque Deorum aſteriſmis inſignitum; necnon obeliſci dedicatio, alterum ſcilicet indicium conſecrationis & cooptationis in DEOS, cum in ea pariter intelligatur auctoramentum ritus, ab Aethyopibus illis Orientalibus, ſeu Babyloniis primis & Chaldeis, Chami ſive Ammonis filiis, ad Aegyptios primum, & Phoenicios, deinde ad Graecos, & Romanos tranſmiſſi. Veterum enim ſacra ibidem expreſſa noverant Chaldaicis ſignis quaſi literis indicari, ut ait Caſſiodorius.

Hujuſmodi vero Sacrorum Interpretem vel etiam auctorem Hermetem, ſeu Mercurium, hoc eſt Chanaan Chami filium cum veteres tradant, eidem propterea ſignum attribuunt inverſi obeliſci, ſive Hermae: in quo, ut ejuſdem inventa Chaldaicis ſive Aethyopicis ſignis, nempe hieroglyficis ſymbolis

bolis infculpunt (in primis autem caducaeo, per quod omnium literarum, poteſtatem exprimi infra colligemus); ita etiam Deorum cultum exhibent a Chami poſteris excogitatum, atque eiſdem characteribus impreſſum, quibus artes reliquas, Chanaano ſive Mercurio attributas Ethnicorum myſtae configurarunt.

CAPUT QUINTUM.

Cultus Idololatricus a Chami filiis excogitatus, & Mundi partibus, ac parentibus vita functis impie tributus, hieroglyphicis ſignis ab eiſdem exprimitur: unde Hermetes, & Sacrorum Interpretes habiti ſunt tres Mercurii ſuperiores.

AD Hiſtoriam hieroglyphicae Scripturae, per Chanaani aetatem uſurpatae, pertinere videtur, ut ejuſdem uſum oſtendamus antiquis exMonimentis in utraque Deorum claſſe, & cultu aſſignando per initia Idololatriae, inter Chami liberos in Orientali Aethyo-

LIBER ANTIQUARIUS.

thyopia natae, tam ſcilicet in claſſe Deorum elementarium, quam in claſſe mortalium illorum, unde erant ipſi progeniti.

Inter DEOS elementares a Chamo & poſteris impie adoratos, Sol, Luna, & Sydera primas obtinuerunt: quibus propterea dicati ſunt obeliſci, ut obſervavimus cum Tertulliano (*a*). Ejuſdem Solaris naturae participem cenſebant ignem, cui Perſae ſacra fecerunt: non recedentes a ſuperſtitione Aethyopica ad Aegyptios tranſmiſſa, & in obeliſcorum ac pyramidum figura illius elementi naturam colere aſſueta, & idcirco etiam Diis Olympicis tributa: quod tradidit Porphyrius apud Euſebium *Praep. Euang. lib. 3. cap. 7.* Πυραμίδας δὲ καὶ ὀβελίσκους, τῷ πυρὸς ἰδέᾳ, ἀπεῖκασαν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοῖς ὀλυμπίοις θεοῖς: ὥσπερ αὖ κῶνον μὲν Ἡλίῳ ζῇ δὲ κυλίνδρον. Aquarum naturae, quam omnium maxime validam & beneficam praedicarunt Ae-

(a) *Tertull. de Spectac.*

Digitized by Google

Aegyptii, vas Canobicum tribuerunt, ſignis hieroglyphicis perinde ornatum, ac ſunt obeliſci: cujus typum vidimus in duplici monumento Romano, hoc eſt in inſigni Muſeo a Cl. Viro de la Chauſe jam edito atque explicato, necnon in Nummo *Hadriani* penes Emin. Card. Othoboni. Hunc Nummum duximus indicandum, utpote documentum Aegyptiae ſuperſtitionis & doctrinae; quod Romano Imperatori diſciplinas & artes fere omnes profeſſo dicatum fuit altero Christi Saeculo: cui accedit alius Imperatoris *Hadriani* Nummus duplici vaſe Canopico inſculptus in Muſeo Vaticano.

Alterius autem claſſis, Deorum in quam, Majores ſuos vita functos referebant Aethyopes Orientales, & Aegyptii, dedicatis eorundem honori cippis, cylindris, obeliſcis, ac pyramidibus, una cum hieroglyphicis notis eorundem geſta complexis. Paſſim occurrunt teſtimonia tum in translatis anti-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

antiquitus in Urbem, editis autem a Kirkero, Fabretto, aliisque Clarissimis Viris, tum in descriptis ab eruditis itinerantibus, per Aegyptum praesertim, ubi loquuntur de subterraneis Sepulchris veterum, quae in ea Regione monstrantur, tum ex antiquis Ethnicorum Historicis, praesertim autem ab Erhemero, aliisque, Deorum suorum gesta exscribentibus ex ejusmodi stelis, ad illorum sepulcra & templa constitutis.

Hermeti autem id negotii datum, ut animas Orco evocaret, ac Deorum esset Interpres (Majae scilicet filio, juxta Horatium, qui secundus est Ciceroni), confirmat ipsum esse Chanaan, institutorem idololatrici cultus, Chamo parenti aliisque hominibus praestiti, non secus ac Mundo, Soli, Lunae, Syderibus, & Elementis, eundemque Auctorem aut Interpretem primarium hierogrammaticae scripturae, illius aetatis & cultus propriae, necnon ejus

ejus Philoſophiae, unde Pythagoras ſuae metempſychoſeos errorem antiquitus hauſit, mordicus adhuc haerentem in animis Brachmanorum. Pendet enim ab hoc falſo ab Ethnicis aſſumpto principio communis animae, Mundo & partibus ejuſdem infuſae, tota ratio Divinitatis impie tributae, per Gentilium Ethnicorum commenta ſyderibus, elementis, hominibus, necnon brutis quibuſque animantibus, oleribuſque ipſis, ac ſtirpibus eorum, *quorum naſcuntur in hortis Numina*, ut ex toto libro ſecundo Ciceronis *de natura Deorum* conſtare cuique poteſt. Cui propterea malo ut occurreret DIVINO SPIRITU afflatus Moſes, ab unius DEI Conditoris notitia exorſus eſt verae Theologiae Summam Orbi univerſo proponere, eamque non involutam occultis Aegyptiorum technis, quas ſoli hierophantae pro lubitu interpretarentur, ſed novo & admirabili invento humanas voces reddendi per literas,

 omnium

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

omnium ore peraeque proferendas : quibus propterea non ſubeſſet fraudis periculum in pronunciandis ſemel conſcriptis verbis, ſententiis, ac traditionibus Patrum, tum inter praeſentes, tum inter poſteros, conſtantem doctrinae modum eiſdem ex commentariis perpetuo percepturos.

Verum de utilitate comparationis rudis inventi obſcurae loquutionis per ſymbola hieroglyphica Aethyopum atque Aegyptiorum cum praeſtantiſſima arte nitide exprimendi verborum elementa per literas, jam ſatis conſtat ex Chriſtiano uſu prophanae eruditionis, quem ſingulis ex Auctoribus literarum laude florentibus apud Ethnicos colligi poſſe docuerunt Patres ſecundi Saeculi, ad arguendam in omni patientia & doctrina eorundem inſcitiam, & falſitates. Itaque heic proſequamur argumentum ſemel aſſumptum enumerandi reliquos Hermas ſive Mercurios a Cicerone indicatos, ipſorumque inven-

inventa ac disciplinas comprobandi ex veteribus monimentis, praesertim Vaticanis, atque Capitolinis.

CAPUT SEXTUM.

De quarto, & quinto Ethnicorum Mercurio omnium praestantissimo, Aegyptiis Thoth, Phoenicibus Taauto appellato, literarum inventore: in quem Ethnicorum licentia Moysen transformavit primum Auctorem vocum scribendarum per literas.

TRes Mercurii antiquiores, a Tullio numerati, & in Chanaano, ejusque liberis hactenus ostensi, una cum vestigiis artis hieroglyphicae eorundem aevo transmissae ad ultimum Orientem, haberi potius debent vitiatores, quam institutores illius inventi, cujus de interpretatione tantopere gloriabantur. Auctores enim tantummodo fuerunt traducendorum ejusmodi characterum ad impium usum utriusque Idololatriae, Superum, ac Inferorum, sive Mundialium, ac Manium,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

a se repertae; cum rationem exprimendi cogitationum objecta per figuras corporum, fortassis etiam voces integras per linearum plexus, seu cifras, perinde callerent Semus, ejusque posteri, idolomaniae hostes acerrimi: a quibus eandem receperunt tam Sinae, Chanaani aetate πολυθεώσεως erroribus nondum infecti (licet hieroglyphicis literis uterentur, ut eorundem ex Historiis passim ostenditur); quam Sabiorum genus illud, avitae & caltae religionis tenax a Patre Saba Jectanis filio perceptae, imo & a Semo Atavo quingentis annis post Diluvium superstite (diversi hi sunt a Zabiis & Sabiis a duplici alio Saba e Chami stirpe progenitis Ethnicae superstitionis propagatoribus, uti ostendit Franciscus Blanchinus Praesul Patruus meus *Hist. Univ.* f. 30.); necnon ab Obal translatae etiam in Africam, unde memorantur in Aegyptum descendisse principes superstitiosi cultus eversores: quae Nationes vetu-

stio-

ſtioribus ſignis, aut certe aequalis Antiquitatis, ac Aegyptia hieroglyphica ſint, videntur uſae ad animi ſenſus poſteris explicandos, praeſertim ſi vera ſunt ea, quae Joſephus tradit de Columnis a Sethi poſteris olim inſcriptis ante Diluvium Noeticum. Quin etiam recolentibus nobis ex Diodoro ſuperius allato, a Sacerdotibus Aegyptiorum retentum uſum hieroglyphicorum, etiam poſt aliud ſcribendi genus longe commodius repertum, a Sinenſibus vero abjectum & antiquatum, ſtatim ac plexus literarum apud ipſos inducti ſunt, dictionibus integris efferendis apti: ſtatim occurrit, Hermetes illos Idololatriae Aethiopicae atque Aegyptiae parentes non tam dicendos Interpretes ſermonum, quam affectatores occultandae ac vitiandae veritatis, per notas nullius vocis veſtigia retinentes, ſed paratas ad aenigmatica quaeque commenta jerophantarum recipienda, unde fabularis Ethnicorum Theologia Sacer-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Sacerdotibus reſervata eſt, ut ignaro & admiranti populo pro ipſorum lubitu venderetur.

Procedere jam debemus ad quartum, & quintum Ciceronis Mercurium, agnoſcendum. Quartum ferebant Nilo patre genitum, & nefas ducebant Aegyptii nominare. Quintum appellarunt Thoyt ſeu Thoth, Phoenices vero Taautum. Huic aſſignantur literae ad voces articulatim ſcripto conſignandas repertae, & omnium ferme diſciplinarum inſtitutio, aut certe amplificatio, quae naſcitur ex certa & completa cogitationum & verborum expreſſione, per hujuſmodi artem perennitate donata, & vindicata ab omni fraude & ambiguitate ſignorum, in hieroglyphicis occurſura: ubi nulla affirmationum, aut negationum, fortaſſis etiam vocum veſtigia cum ſint, ſed nudae objectorum imagines; ampliſſima fallendi licentia permittitur impoſtoribus: praeſertim poſt hominum

vitam

vitam breviori termino circumſcriptam : quae decuplo longior cum eſſet Patriarchis ante diviſas Nationes, adimebat opportunitatem falſae interpretationis, obtrudendae in ſymbolis olim poſitis a parentibus unica lingua uſis, & per complura ſaecula comprobantibus antiquam & veram ideam primaevae inſtitutionis ejuſmodi characterum.

Eundem eſſe Taautum Phoenicum, Thoyt Aegyptiorum, & Graecorum Hermetem praecipuum, ſive Latinorum Mercurium omnium praeſtantiſſimum, non ſemel affirmant Philo Byblius, & Porphyrius apud Euſebium *Praep. Euang. lib.* 1. Ab Huetio (*a*) uberius demonſtratur, Taautus idem habendus ac Moſes, ex natali Aegypti ſolo, officiiſque Sapientis, Regis, & Legislatoris ipſi tributis, ſed praecipue ex literarum invento, ipſiuſque libro Sanchoniatoni tradito ab Hier-

om-

(*a*) *Dem. Euang. prop. 4. cap. 3. num. 2.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ombulo (quem Josuem probat), & rebus in eo contentis,hoc est creati Mundi historia, ejusque serie, & principiis , maxima denique parte Geneseos , ex commentariis Taauti a memorato Sanchoniatone Phoenicum Scriptorum antiquissimo olim excepta . Theuth vero seu Thoyth Aegyptiorum ipsum esse Mosen,tot argumentis evincit saepe commendatus Huetius (*a*) , ut ne ullum quidem illius Mercurii nomen a Moyse , ejusque gestis non derivatum ostendat : qui & Monymi seu Monii vocabulum, ab aquis, unde infans eductus , nomen sortitus est, & Nomii a ferendis legibus , & Casmili seu Canmili , aut Camilli a Sacro Ministerio , & Argiphontis a serpentum caede , & Semitarum praesidis a ducatu Israelitis praestito , & Caliri navigantibus praefecti a transmisso Mari, & praestigiatoris,ab his,quae contra Magos Aegyptios Divina virtute edidit (nam quae ad cadu-

(a) *Cap.4.pag.62.*

caducaei symbolum, prodigia pertinebant, ex Mosis virga ad hunc Mercurium traducta antea retulimus); & inventoris literarum, quae heic a nobis potissimum considerantur, tam Phenicio Taauto, quam Aegyptio Mercurio Thoth, hoc est Mosi, primam deberi laudem ex Antiquorum probatissimis demonstrat (a): *Observavimus*, inquit, *suprascriptum reliquisse Philonem Byblium, Taauto deberi inventionem literarum, primamque commentariorum lucubrationem. Idem de Mercurio Aegyptio, praeter Ciceronem, Plutarchum, & alios, memoriae prodidit Plato in Phoedro & Philebo. Ait ille, scribendi ac legendi artem excogitavisse Theuth Aegyptium, et variarum rerum fingendis nominibus operam dedisse, quia opinor Mosaicos libros omnium antiquissimos esse acceperat.* Et paucis interpositis, addit, rerum omnium inventionem Mercurio suo tribuisse Aegyptios, ut

(a) *Pag.* 63.

Liber Antiquarius.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

teſtificantur Jamblicus in libro de Myſteriis,& Joannes Tzetzes, propterea-que libros ei ſuos inſcripſiſſe; & ſapientiae totius Praeſidem exiſtimaſſe. Quid ita vero? quia ſcilicet rerum omnium primordia libro ſuo Moyſes complexus eſt; nec Mundi ſolum, & naturae,ſed Religionis etiam,& Theologiae, hiſtoriae quoque humani generis,& animalium, Geographiae, Politicae ſcientiae, Caſtrenſis diſciplinae, aequi bonique ac legum ferendarum doctrinae, Staticae artis, Architectonicae, fabrilis, fuſoriae, ſutoriae, baphicae, coriariae, phrygionicae, aliarumque complurium. Sanxit idem ſacrificia, ac perpetuos ritus ſacrorum; annum Sacrum & Civilem Feſtis diſtinxit quibuſdam, ſpatia temporum in certas diſcrevit periodos, & Iſraelitis leges tulit. Merito ergo ſcripſit (*a*) Pſeudo-Euſtathius in Hexaemeron, & ante Euſtathium Artapanus in

(a) *Apud Euſeb. Praep. Euang. lib. 9. cap. 27.*

in libro de Judaeis, armorum, navigiorum, antliarum, tollenonum, sacrarum Literarum, & civilis disciplinae inventionem Mosi Aegyptios debere. Merito quoque dixit Clemens Alexandrinus: Ἔστιν οὖν ὁ Μωϋσῆς ἡμῖν προφητικὸς ταχτικὸς, στρατηγικὸς, πολιτικὸς, φιλόσοφος. Est ergo nobis Moses praescius futurorum, legum lator, aciei instruendae, exercitus ducendi, Reipublicae administrandae peritus ac philosophus.

Quintum itaque Mercurium Ciceronis, Thoth appellatum ac Taautum ex nominibus ac rebus gestis, Mosen fuisse plane demonstravit Huetius. Quartum vero non alium a Moyse haberi oportere, ipsum Aegyptiorum odium ostendit, quo nefas duxerant eundem nominare; a quo scilicet tot poenis plexi, & funeribus oppleti fuerant: cum ceteroqui e Nilo eductum ad ipsorum perniciem recordarentur. Quare idem Huetius inter alia Mosis

Digitized by Google

LIBE ANTIQUARIUS.

indicia Mercurio ab Aegyptiis accommodata, hoc ipsum recensens, ait (*a*): *Mercurium Thebaeum fuisse, narrat Clemens Alexandrinus, Cicero vero Nilo patre natum. Moses Aegyptius fuit; & infans, Nili aquis impositus, atque inde extractus a Thermutide Pharaonis filia, ejusque famulabus. Id etiam causae fuit, cur in Tricrenis lotus a Nymphis Mercurius creditus sit, quemadmodum Pausanias in Arcadicis scriptum reliquit.*

Haec indicia universa quarti & quinti Mercurii cum Moysen prodant, sola supereſt ratio temporum conferenda, ut inde pariter comprobetur, non alius is Mercurius esse, quam Moses.

Porphyrius apud Eusebium de *Praep. Euang. lib.* 1. & 10. affirmat Sanchoniatonem Berytium, qui antiquissimus habetur scriptor rerum Phoeniciarum, ex Regum Phoeniciae successoribus, uno alterove saeculo recentiorem esse Mose, Trojanis vero temporibus vetustiorem.

(a) *Pag.* 62.

rem. *Hujus Opus*, inquit (*a*), *e lingua Phoenicum Graece reddidit Philo Byblius*. Obſervat inſuper ex eodem Porphirio (*b*), *commentaria accepiſſe Sanchoniatonem ab Jerombalo Sacerdote* Dei *Jero, & de Judaeis veriſſima prodidiſſe; Jerombalum autem, eum eſſe* Gedeonem, *ex libro Judicum* (*c*), *ubi non ſemel Jerobaal cognominatur, ſciunt eruditi, & docuit Suidas &c.* Quae autem a Gedeone commentaria Sanchoniaton accepit, quid aliud eſſe dicamus, quam Moſis libros, quorum doctrina tinctae ſunt & adſperſae, ut dixi, ſuperſtites Sanchoniatonis reliquiae. Omnem vero dubitationem tollit quod notatum eſt a Philone Byblio (*d*), Sanchoniatonem, cum de rerum principiis, & mundi origine commentaturus eſſet, ſumma diligentia Taauti libros evolviſſe, utpote quem ſciret eſſe literarum repertorem, ab eoque ſumpſiſſe ſcribendi argumentum.

(a) *Pag.* 42. *initio cap.* 2. *prop.* 4. (b) *Pag.* 43. (c) *Jud.* 6. 32. & 7. 1. & 8. 35. *Boch. lib.* 2. *cap.* 17. (d) *Philo Bybl. apud Euſeb. Praep. Euang. lib. primo.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tum &c. atque hunc Taautum, ab Aegyptiis Thoyth, a Graecis Mercurium appellari. Verba (*a*) Sanchoniatonis ſunt: *Taautus invenit primorum elementorum ſcripturam. Ejus interpres Graecus Philo Biblyus ita reddebat.* „ *Taautus primus literas excogitavit, & ad memoriae ſubſidium ſcribendi Auctor fuit, quem Aegyptii vocant Thoth*„. Et Plato in Phileto: „ Theuth in Aegypto primus literas vocales a conſonantibus, & mutas a liquidis diſtinxit, artemque Grammaticam protulit. Ex hoc poſtremo teſtimonio conciliat Thomaſinus apparentem contradictionem inter eos, qui primas literas tribuunt Aegyptiis, atque alios, qui eaſdem repetunt a Phoeniciis, ut his aſſignent inventum exprimendi voces per elementa, Aegyptiis vero artem Grammaticam: nam fama eſt, Phoenices uſos fuiſſe literis, dum Aegyptii Solis ſymbolis uterentur. Lucanus lib. 3. verſ. 224.

Phoe-

(g) *Euſeb. Praep. Euang. lib. primo pag.* 36. 31.

Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris,
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxis tantum volucresque feraeque,
Sculptaque servabant Magicas animalia linguas &c.

Concludit ergo, Cadmum e Phoenicia, non ex Aegypto suas literas in Graeciam detulisse. Siquidem Aegyptii aetate Cadmi non utebantur literis, sed hieroglyphicis; propterea Cadmus, si inventa Aegyptiaca nobis communicasset, hieroglyphica potius, quam literas nos pingere docuisset. Confirmat ex Diodoro lib. 3. pag. 200. et quod Cadmus literas a Phoenicia allatas primus ad Graecorum enunciationem transtulerit, suum cuique nomen attribuens, & characterem effingens. Hinc literas vocabulo communi Phoenicias denominatas.

His testimoniis cognoscitur eadem aetas,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS

actas, Moſis & Mercurii, Aegyptii Thoth, ſive Phoenicii Taauti. Moſes eduxit Iſraelitas ex Aegypto juxta computationem Petavii, a qua parum admodum diſſident caſtigatiores quiquam Chronologi, anno ante Aeram CHRISTI Vulgarem 1534. eodemque anno legem a DEO, & literarum inventum accepit. Cadmi adventus in Europam, & Arcis Thebanae fundatio in Boeotia, ex Epochis marmorum Arundellianorum inciſis anno ante CHRISTI Aeram 263. & ex Paro Inſula in Angliam translatis (quae vetuſtiſſima ſunt ex genuinis Graecorum monimentis), refertur ad annum MCCLV. ante inciſas eaſdem tabulas, qui eſt ante CHRISTI Aeram 1517. Cadmi autem filia Semele Dionyſium edidiſſe dicitur, grandaevo jam Mercurio Aegyptio. Huic enim a Jove concreditum infantem in Nyſa editum, ut Nymphis alendus traderetur, Graecorum fabulae ferunt, hiſtoriam quidem transfor-

LIBER ANTIQUARIUS

sformantes, Chronologiae vero non admodum oblitae. Perspicuum igitur est, aetatem Cadmi, & Mercurii Aegyptii cadere juxta Graecam Chronologiam in annos ita proximos Exodo, & legi, ac literis per Moysem a DEO acceptis, & Israelitico populo traditis, ut ne ipsa quidem Epocha Urbis Conditae ab antiquis Historicis Romanorum certius definiatur. Porro Dionysii natalem e Semele Cadmi filia habemus in antiquissimo lapide Musei Vaticani, cujus in uno latere genealogia describitur nepotum Cadmi, in alio vero Iliadis pars exhibetur, tum anaglyphis expressa, tum literis: ut in eodem monumento liceat intueri primam originem Graecarum literarum, a Cadmo repetendam, et primam illis additam gloriam, ab Homeri Poemate derivatam.

Cum itaque Mosis nomen, patria, aetas, res gestae ita conveniant Aegyptio Thoth, ac Phoenicio Taauto, qui habitus est quartus, et quintus Mer-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

curius Ethnicorum, et literarum repertor; tres autem Mercurii praecedentes, ad Canaan, ejusque liberos referendi, probati jam fuerint Interpretes hieroglyphicarum notarum, quae ante literas inventas a Semi quidem posteris adhibebantur ad rectum usum exprimendorum animi sensuum, a Chami autem stirpe translatae sunt ad impia commenta superstitionum, unde omnes Ethnicorum fabulae de Diis Mundanis, Superis, Inferis, Medioxumis emanarunt; satis exposuisse videmur, quae ad Hermetis historiam pertinebant, & ad originem Hermarum, qui literatis viris a veteribus ponebantur. Cetera, quae de Mosis historia, literis primigeniis, earumque forma dicenda sunt, reservaverat, vita comite, Franciscus Blanchinus Patruus meus alteri libro, in quo Sacrorum Auctorum nostrae Religionis memoriam, nullis Ethnicorum fabulis impeditam, sed puris e fontibus haustam, allaturus erat in-

me-

medium; ſingulorum aetatem, nomina, geſta, libros, imagines, & monumenta, ſi quae ſunt, percenſendo: quod ſcilicet praeſtiterunt Chriſtiani Patres, praeſertim ſaeculi Aerae Chriſtianae ſecundi, eorumque proximi Succeſſores, ut veritatis ſeriem non interruptam, & in domeſticis noſtrorum ſcriniis perpetuo cuſtoditam, demonſtrarent: quemadmodum hoc in libro, extraneorum Scriptorum hiſtoriae ac documentis producendis addicto, cum iiſdem Patribus oſtendit, puerilem, novitiam, inconſtantem, mendacem, impiam eruditionem aliarum Gentium, (ſive de Poetis, ſive de Hiſtoricis, ſive de Philoſophis, Sophiſtis, Sapientibus, ac Theologis gloriarentur), ubi a noſtris literis recedebant,

Liber Antiquarius.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

CAPUT SEPTIMUM.

De omnium Mercuriorum inventis, unico ſymbolo caducaei a Veteribus indicatis : ac de Canina ſpecie Mercurii Simulacro attributa.

LIcentia fabularum modo uni Mercurio attribuit plurium Auctorum geſta, modo unius viri nomina, & hiſtoriam divifit in plures Hermetes ſive Mercurios : quorum tamen praeſtantiſſimus ille habebatur (uti conſtat ex indicato Nummo *M. Aurelii*) qui caducaei ſymbolum praeferebat . Nam illi digniorem locum inter quatuor Hermas tributum obſervavimus, & aram poſitam atque inciſam eodem ſymbolo caducei, quod in Simulacri manibus iterum, ac in Aedis tympano tertium exprimebatur .

Innumera ferme ſunt, quae de ſymbolica Mercurii virga veterum ac recentiorum eruditio congeſſit . E pluribus feligam, quae hujus loci ſunt propria . Sunt autem illa, quae comprobant,

bant , in caducaei ſigno collecta exhiberi omnium Hermetum inventa. Nos ea bifariam partiemur . Oſtendemus enim primo, in caducaeo, Aegyptio ſcilicet hieroglyphico , reddi praecipua inventa, tribus prioribus Mercuriis Chanaanitidis attributa, nempe Idololatriam , & artes ac ſcientias, quae ſymbolicum ſcripturae genus hodieque retinent (licet etiam literis exprimantur) hoc eſt Muſicen , Arithmeticen , Geometriam, Aſtronomiam, necnon fallacias Aſtrologiae Apoteleſmaticae, aliaſque divinatorias ſuperſtitiones eidem affines . Oſtendemus ſecundo loco, per idem ſymbolum caducaei repraeſentari inventa clariora quarti, & quinti Mercurii Taauti , elementa ſcilicet literarum, Coſmogoniam a divina Moſis hiſtoria tranſcriptam , leges Sacrorum , & reliquas , quae inde ortae ſunt , diſciplinas .

In Mercurii caducaeo origines Deorum ſuorum ab Ethnicis indicatas diſſer-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſerte probavit ſecundo CHRISTI Saeculo inter noſtrates Auctores eloquentiſſimus Athenagoras. Nodum enim Herculeum duorum Draconum in virga Mercurii ſeſe amplexantium ita exponi, affirmat ex Orphicis Deorum originibus, quas etiam Homerus ſequutus eſt: apparent autem perſpicue deſumptae ex Taauti libris, ſive ex Divina Geneſeos hiſtoria Phoenicum, atque Aegyptiorum, & Graecorum fabulis vitiata. Narrat itaque ex Orphicis & Homericis aſſumptionibus, Oceanum ac Thethyn eſſe Deorum progenitores (en originem mundanae Idololatriae, divinam naturam impie tribuentis phyſicis rerum principiis: quae a DEO creata Moyſes diſerte ſcripſit, impietatis vero Auctores ſtudioſe reticuerunt): cum ex aqua ſubſidente producta eſt Illys ſive lutum, iiſque parentibus ſubortus Draco, cui Herculis Chroni cognomentum addunt. Ab eo natum ovum: quod in duas partes diſſiliens,

filiens, Caelum ac Terram produxit. Inde autem Phaneta primogenitum ſerpentis ſpecie prodiiſſe, quem etiam Saturnum vocant. Quin & ipſe Caelus matrem Rheam, quae concubitum ejus reſpuebat, perſequutus eſt: & cum illa ſe in Dracaenam, hoc eſt ſerpentem foeminam, convertiſſet; mox ipſe Draco factus, mixtus eſt cum illa, Herculeo quem vocant nodo ſuis ſpiris adſtricta: & hujus concubitus ſpecies in caducaeo Mercurii ſpectatur. Poſtea etiam Proſerpinam filiam ſuam ſimiliter ſub Draconis ſpecie violavit, & Dionyſium ex ea genuit filium. Ita nempe ex theogonia Deorum mundialium inferunt idolomaniam ſuorum parentum.

Haec igitur omnia Athenagoras cum aſſeveret ab Ethnicorum fabulis indicari, in ſerpentibus, nodo, & ſymbolo caducaei Mercurio tributi; plane conſtat, eorundem theogoniam, Mundialium videlicet, ſimulque Mortalium,

Digitized by Google

LIBE ANTIQUARIUS.

lium, & Infernorum Deorum, quam tres Mercurii priores Chami & Chanaani ſoboles invenere, in eo hieroglyphico ſigno compendioſe colligi & memorari.

Paulo diſſimiles caducaei figuras obſervare licet in hieroglyphicis Obeliſcorum: praecipue vero inter ſuperiora inſignis Obeliſci Lateranenſis: ubi videmus rudimentum caducaei, nempe figuram elementorum in manubrio decuſſatim ſecto, & ovi ſectiones duas, inferam Terrae, ſupernam Caelo tributam, & natum inde ſerpentis formâ Phanetem primogenitum. Alibi vero compendioſius exprimitur caducaeum, ovi ſeu circuli figura, & elementorum cruce ſubjecta paſſim appoſitis cynocephalo ſedenti (quem Hermetis eſſe imaginem demonſtrabimus), ut in Obeliſco Flaminio, in Mahuteo, atque in Iſidis ſimulacris ferme omnibus exhibetur: cui Mercurium tribui jam diximus conſiliarium. Manubrium caducaei qua-

LIBER ANTIQUARIUS.

quatuor lineis conſtans, ad rectos angulos invicem incidentibus, ſive duabus rectis ſe interſecantibus in modum crucis, quae figura etiam eſt numeri denarii non apud noſtrates modo, ſed apud Sinas, idque a prima gentis origine, exhibet Arithmeticen: in quaternario enim, ac in denario, numerorum univerſitatem repraeſentari ſolemne fuit apud Pythagoricos. Teſtis eſt Plato in Timaeo, & in eundem Chalcidius, qui ait: „ Decumanum numerum Pythagorici appellant primam quadraturam, propterea quod ex primis quatuor numeris conſit, uno, duobus, tribus, quatuor. „ Conſulendus eſt liber eruditus Meurſii de Pythagorico denario, cap. ultimo. Nicomachus apud Photium cod. 187. aſſeverat, a Pythagorae ſectatoribus denarium numerum appellari aliquando Mundum, Caelum, Fatum, Saeculum, Poteſtatem, Fidem, Neceſſitatem, Atlantem, indefeſſum Deum, Phaneta,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Solem, Uranum, Memoriam, Mnemosynem: quaternarium vero ab eisdem Pythagoricis dici θαῦμα μέγιστον, ἄλλη θεός, πολύθεος, μᾶλλον δὲ πάνθεον, miraculum maximum, alias Deum multiplicem, seu potius pantheum. Haec autem Nicomachi explicatio confirmat, tum in caducaeo serpentibus instructo, tum in Aegyptio illo rudiori, omnibus ferme simulacris Isidis & Anubidis seu Mercurii appicto, quod sola cruce & circulo sive ovali figura, & quaternarii ac denarii symdolis constat, expressam fuisse Arithmeticen simul, ac Polytheismum, a Chami & Chanaani stirpe adinventum: Musica vero, cum sit numerorum proportio atque harmonia, in ipso Arithmeticae symbolo continetur.

Eadem ratione, qua decussatio linearum in manubrio crucigero Aegyptii caducaci exhibet omnes numeros, & circulus impositus unitatem, ipsamet symbola repraesentant etiam Geometriam

Digitized by Google

triam linearem ſuperficierum, ac ſolidorum, tam rectilineam, quam curvilineam, necnon angulorum dimenſionem, in rectis quatuor, & in circulo ſatis expreſſam, ut norunt Geometrae. Quae autem inventa pertinent ad primam illam adhuc infantem Aſtronomiam, Hermetum aetate vix audentem alia in Caelo metiri, quam annos, ac menſes, & quatuor anni cardines ſeu tempeſtates, ac totidem Lunares hebdomadas, in quas orthogonales ad Solem anguli, & oppoſitio, atque conjunctio menſtruum orbem partiuntur, ea continentur omnia in rectis quatuor angulis, & orbe impoſito, quibus Aegyptium compingitur caducaeum.

Apoteleſmaticae vero Aſtrologiae, &univerſae ſuperſtitiones divinatoriae, ac Magicae, quas Aegyptii profitebantur, tum in virga Mercurii anguifera, nodoque Herculeo, tum in Neceſſitatis & Fati vi, juxta Numenium Pythagori-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

cum, per denarium myſtice figurata, etiam in cruciato manubrio Aegyptii caducaei, intelligi ſatis poſſunt ex his, quae ſupra ſunt explicata, dum Arithmeticen in illo expreſſam obſervaremus.

Inventa igitur trium Chanaanitidum Mercuriorum, in utraque figura caducaei, cruciata, & anguifera, nodo & circulo inſtructa, repraeſentantur.

Rurſus quarti & quinti Mercurii Tauti ſapientia & artes in eodem caducaei ſymbolo inveniuntur expreſſae, quarum praecipua, & reliquarum inſtrumentum, eſt ars literaria, ſive methodus pingendi dictiones ſingulas per ſua elementa. Jo. Petrus Ericus in ſuo Principio Philologico, ubi literarum originem inquiſivit *p.* 7. oſtendit, caducaeum Mercurii, ſymbolum eſſe omnium literarum: quemadmodum etiam affirmat, ſymbolum eſſe quatuor elementorum in ea manubrii parte, quam cruci vidimus aſſimilari, Pars enim ſuperne recta

Digitized by Google

ſta aſcendens, naturam & motum ignis figurat: adverſa vero recte deſcendens, terram: quae ad horizontem utrinque librata eſt, aquam & aerem: ſiquidem aer, attenuata videtur aqua in vapores. His autem ex lineis, quae rerum elementa quodammodo pingunt, vocum ſingularum principia conſtituiſſe literarum architectos affirmat. Et ſane literarum vetuſtiſſimarum figuram rectis lineis conſtaſſe, tum apud Graecos, tum apud Romanos (unde quadratarii dicti ſunt earundem ſcalptores) conſtat ex antiquiſſimis characteribus, qui Graecum *Omicron* per ▭ quadratum exprimunt, & *Pi* & *Sigma* per Γ et ⊏, licet celeritatis gratia ex pluribus rectis unicus ductus curvatus deinde fuerit: quemadmodum et in numeris contigit, obſervante Voſſio: ubi Millenarii figura prima, per duplicem parallelogramum [I] ita conformata, abiit in CIↃ. mox in ∞, ejuſque dimidium in D. Vide Voſſium de Mathema-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

maticis cap. 8. §. 4. pag. 33. Sinensibus etiam placuit litararum suarum plexus componere ex rectis potius, quam curvis lineamentis. Phoeniciorum denique elementorum vetustissima in siclis figura, vix ullos flexus admittit: quemadmodum & Punici characteres in Nummis Africanis expressi; quorum typum dedit Blanchinus Patruus meus *Historiae Universalis* c. XI. atque ego pariter in Tabulis Barbatianis, ubi literarum antiquiorum exempla ex autographis descripta produxi. Interim absolvamus ea, quae pertinent ad Hermetes, auctores primos aut propagatores hieroglyphicorum, & inventores articulatae scriptionis per literas, aliosque Aegyptios, & Phoenicas, qui utramque artem hieroglyphicam, & Grammaticam; ab Hermetibus acceptam, Europae communicarunt.

Supersunt in caducaeo detegenda signa Divinae cosmogoniae, & sacrae Historiae, ex Mosis sive Taauti Commenta-

tariis abEthnicis acceptae.Quae,ne cogamur ſingillatim enumerare,& ſecernere a fabulis, hierophantarum fraude ipſi adjectis in Orphicorum carminum inſtitutione, id unum caducaeo adjectum ſymbolum indicabo, in quo ſacra omnia Judaeorum videntur occultata.

Alae geminae adduntur Mercurii caducaeo. Interrogati autem Ethnicorum Myſtae,cur alas tam virgae,quam galero Mercurii adhibeant, reſpondent cum Macrobio, & Apulejo, alas ejuſmodi Sacrum Scriptorem denotare. Conſueviſſe enim docent ſacrorum Interpretes, quos Graeci Γραμματεῦς etiam in Nummis vocant, alarum ornamento capiti adhibito ejuſmodi officium apud Aegyptios exercere.Quemadmodum igitur ſacri Scriptoris munus, a Judaeorum doctore Moſe primo exercitum,mox etiam a Joſue,& a Prophetis,denique ab iis,qui etiam in novo Foedere nominantur Γραμματεοῖ τῦ νεῦ & Seri-

LIBE ANTIQUARIUS.

& Scribae in Lege doctiſſimi, perverſa imitatione Ethnici tranſtulerunt ad impia arcana ſua conſcribenda & interpretanda; ita etiam non omiſerunt alarum integumentum petere ac ſuffurari ab Arca Moſis, ubi virga Aaron; & Legis tabulae, ac volumen cuſtodiebatur, & ab operculo Propitiatorii eidem Arcae impoſito, quod a duobus Cherubim (hoc vocabulum ſonat Magiſter) alas expandentibus, & oraculum contegentibus ſuſtinebatur: cujus diſpoſitionis architectus DEUS ipſe fuerat. Loco autem duorum Cherubim ſeſe invicem reſpicientium, ac rationabilem & veram DEI ſcientiam humano vultu recte indicantium, placuit Ethnicorum anteſignanis ſerpentem duplicem adhibere, in caducaei myſterio conſarcinando. Nec certe poterant aptiori ſymbolo repraeſentare ſpiritum mendacii, ab ipſis adoptatum in ſuis fabulis, loco Moſaici Magiſterii, & Divinae veritatis, quam deturpabant; cum in

in eadem ſerpentis ſpecie, primis parentibus olim deceptis, idem mendacii ſpiritus, errorum omnium & malorum ſobolem in univerſum genus humanum late diſſeminaverit. Quare, cum Judaeorum Sacra, virga, & alis ejuſmodi magiſterii indicibus protecta, dicerentur *in Arca foederis* contineri, Ethnici Sacrorum noſtrorum mimi & corruptores, virgam alatam Mercurii, ad Pacis foedera traduxerunt: ita ut Caduceatores dicerentur etiam Delegati Romanorum ad pacem cum exteris componendam.

Jure itaque ex his inferebat circa finem ſecundi Saeculi Clemens Alexandrinus Stromatum lib. primo, *Sic ergo barbara & Graeca Philoſophia, aeternae veritatis avulſam quandam particulam, non e Bacchi Mythologia, ſed ex Verbi, quod ſemper eſt, Theologia decerpſit.*

Idem ſymbolum caducaei, ſimulacro Anubis cum adderetur, Mercurium indicaſſe merito dicitur ab Hue-

LIBER ANTIQUARIUS.

tio ; qui propterea etiam appellatus est Hermanubis . *Anubin* , ait , *eundem esse ac Mercurium, suadet Apulejus* : *Ille*, inquit , *superum commentor, ac inferum, nunc atra , nunc aurea facie sublimis , attollens canis cervices arduas , laeva caducaeum gerens , dextera palmam virentem quatiens. Suadent & hieroglyphica Georgii Heurarti, in quibus eundem habitum gestat Anubis, si dexterae ornatum excipias, qui non palmae termes, sed sphera est. Suadet & Plutarchus, qui eundem Anubim & Hermanubim vocari scribit. Suadet & Servius in octavum Aeneidos. Typhone , quem esse Mosen sumus mox probaturi , natum eum prisca aetas docuit . Sane , quod idem fertur , ac Mercurius, quod superos & inferos adire , quod facie ambigua esse , quod virgam, eamque circumplexos angues , gerere , haec Mosen aperte indicant , ut ex superioribus manifestum est .*

Tempero a pluribus afferendis; cum possint hucusque dicta sufficere, ad Hermetum

metum historiam inter Ethnicorum fabulas assequendam, eorumque simulacra quadrata, & caducaei symbola intelligenda, tum etiam inventa, & artes ab iis excultas ac propagatas; praecipue vero hieroglyphicam, & grammaticam, hoc est utrumque genus consignandi praesentibus ac posteris animi sensus, unum per symbola, idque admodum rude, mancum, obscurum, & facile, admittens mendaces interpretationes; alterum vero distinctius multo, ac veracius, per vocum & dictionum signa exprimens non tantum objecta cogitationum, sed etiam assensus, ac negationes, dubitationes, & motus animi: quod rursus in duo subdividitur, nempe in methodum monogrammaticam, quae singulis vocibus aptat singulos characteres; & in methodum literariam, quae vocabula universa resolvit in sua elementa; dum spiritus emissiones ac moderamina, labiis, palato, dentibus in pronunciando efformata singillatim consignat

LIBER ANTIQUARIUS

exiguo numero literarum, unde componitur alphabetum universale, sufficiens & idoneum omnium Nationum sermonibus, articulatim, & citra fallaciae periculum exprimendis.

Cum itaque cogniti sint in Hermetibus Auctores primi triplicis methodi Graphiariae, nempe Hieroglyphicae, Notariae, & Elementaris, cognoscendi jam sunt vetustissimi Ethnicorum Sapientes, qui singulas hasce methodos suis Operibus illustrarunt, quorumque icones & monumenta producta sunt in nostri Musei tabulis Barbatianis.

Complemus interea caput hoc VII. Hermetibus sive Mercuriis assignatum, indicando nonnullas Mercurii Toth imagines antiquas, sub Anubidis figura.

Prima asservatur in Museo Vaticano. Constat autem ex nigro lapide: cujus una facies complectitur Aegyptias notas hieroglyphicas; adversa vero pars ipsum exhibet Mercurium, sive Anubim sedentem canina facie, & utra-

utraque manu tenentem imaginem literae, quae Phoenicium Alpha videtur referre, alphabeti principem apud Nationes universas. Ptolemaeus Chennus,& Helladius Besantinous, observante Huetio *p.*61, memorant, Mosi fuisse nomen *Alpha* attributum. Licet autem mendacem hujus appellationis causam recenseant, quod scilicet vitiligine laboraret, quae ἀλφὸς Graece appellatur; attamen vera nominis origo emanare potest ab inventis literis, sive a doctrinae praestantia: cujus rei ergo etiam Eratosthenes in Aegypto sub Ptolemaeis Philopatore,& Epiphane appellatus est *Beta* literatorum: *quod si non primas, antiquioribus illis merito reliquendas, certe secundas, in omni doctrina tulerit,* ut ex Marciano, & Hesychio, contra Suidam, censet Fabritius *Biblioth. Graecae* Tom. 2. lib. 3. cap. 18. num. 12: adeoque & in hac imagine Anubidis sive Mercurii Taauti potuit indicium cognomenti *Alpha*, quod

LIBER ANTIQUARIUS.

quod Mosi tributum est, significari, ut verus Auctor literarum, Symbolicae, scripturae surrogatarum, in ficto Anubide agnosceretur. Forma lapidis est persimilis tabellis sepulchralibus, quas Sinae statuunt singulis vita functis, praecipue autem literatis viris, eorundem nomine inscriptas.

Alterum anaglyphum Mercurii Thoth, sub Anubidis forma, asservabatur in suburbana Villa Julii III, & a Boissardo editum fuit parte prima *Antiquit. Urbis* fol. 78. a Kirkero lib. 4. *de Obelisco Pamphilio*, & ab Herrartio *in Theatro Jeroglyphico*. In *Historia* quoque *Univers.* Blanchini Patrui mei cap. 3. Anubis, sive Mercurius, canino capite & pallio Philosophico ornatus, dextera globum caelestem tenet circulis pluribus instructum, sinistra autem gerit caducaeum, anguibus & alis ornatum. Adduntur circa Mercurii caput stellae duae (Venerem interpretor, & Mercurium, ex epigraphe eisdem proxima

ΘΕΟΙ

Digitized by G

ΘΕΟΙ ΑΔΕΛΦΟΙ); tum palma, Taauto & Anubidi tributa etiam ab Apulejo. Caput appositum Jovis Hammonis, cornibus & modio Serapidis insignitum, ad Chamum primi Mercurii seu Chanani Patrem refertur in Aegypto regnantem: cujus Regionis figura in triangulo, Jovis capiti suppositio ita est intelligenda, uti etiam inter caelestes imagines Triangulum, Arietis signo imminens, Aegyptum referre dicitur ab Hygino, aliisque Mythologis. Hoc uno in Anaglypho Mercurii sive Hermanubis nomen, Patria, cognatio, inventa, & symbola colliguntur.

Liber Antiquarius.

CAPUT OCTAVUM.

Antiqui Ethnicorum Auctores, qui monumentis hierogliphicis inclaruerunt.

Atlantem Astronomum referendum esse duximus post Mercurium, licet

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

cet ejuſdem Avus per Majam filiam a Mythologis habeatur. Nam is Mercurius, qui Maja natus dicebatur Atlantis filia, tertius eſt apud Ciceronem ſupra relatum. Duo igitur Mercurii praecedentes, eorumque prior Chanaan, non ſunt Atlantis poſteri, ſed vel aequales, vel ſuperiores. Appollodorus lib. primo pag. 6. Atlantem Promethei fratrem Japeti filium praedicat lib. primo pag. 6. *Japeto autem ex Aſia Oceani filia naſcitur Atlas, qui ſuis humeris Caelum ſuſtinet: Prometheus item, & Epimetheus, ac Monoetius, quem in Titanico bello fulminatum, in Tartarum Jupiter detruſit.* Japetum fabuloſum, Aſiae ex Oceano filium deſumptum eſſe ex vero Japhet Sacrarum literarum, filio Noemi, cum quo in Arca praeſervatus a Cataclyſmo ex Aſiae Montibus deſcendit, et in terrarum partitione obtinuit Inſulas, et litorales ac Mediterraneas Europae partes habitatoribus frequentandas, unde liberos etiam dimiſit ad Africae partem

tem Occidentalem, invictis rationibus demonstratum est a Bocharto *Geogr. Sac.* lib. primo cap. 1. facem illi praeferentibus Arnobio lib. 4. *contra Gentiles*, et Lactantio *Divinarum Instit.* lib. primo, cap. XI. Idcirco etiam Mythologi, teste Apollodoro in loco supra indicato, inter Japeti liberos recensent Hesperum, et Atlantem; cum Occidentales Europae tractus, et adversam Africae oram, ubi Atlantii sunt Montes; Japheti soboles susceperit incolendam: quemadmodum ex Dionysio Periegete, ejusque interprete vetusto Rhemnio Grammatico jam observavit Blanchinus Praesul *Hist. Universi.* cap. 18. num. 2, ubi Aethiopes Macrobii, juxta Atlantem montem degentes, iidemque justi ac longaevi, dicuntur originem ducere ex Hyperboreis montibus, unde in Africam commearunt.

Huic vero Atlanti Japeti filio in Africam perlato, ibique longaevae sobolis auctori, et Astronomiae cultori,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

nomen Atlantis Maximi, cum Virgilio (Aeneidum libro VIII) tribuit antiquitas. Tres enim insigniores Atlantes in Commentariis ad eundem Poetae locum Servius recenset. Primus est *Maurus* iste, qui et *Maximus Atlas* dicitur; alter *Italicus* pater Electrae; tertius *Arcas* pater Majae, unde natus est Mercurius. Diodorus lib. 4. *Atlantem, qui loca Lybiae tenuit*, inter Caeli filios numerat, fratremque esse dicit Saturni: eundem asserit Hesperidum patrem, Mercurii avum, et consultissimum fuisse rationis astrorum: cumque frequenter montem sibi cognominem, ut cursus siderum intueretur, conscenderet, occasionem dedit fabulae, quae creditus est humeris Caelum sustinere. Plin. lib. 7. *Atlantem Libyae filium, hunc haud dubie, qui in Africa imperavit* (ibi fortassis genitum a Maximo Atlante), *repertorem Astrologiae fuisse*, ait: & lib. 2. asserit, *Sphaeram Astrologicam ab ipso inventam fuisse*.

Ima-

Imaginem Atlantis Maximi, Caelum a se descriptum in Sphaera sustinentis, celebris Statua Farnesiorum Ducum in Aedibus Romae asservata, & in Antonini Pii raro numismate expressa, (quod pariter visitur Romae in Thesauro Ducis Odescalchi, olim Christinae Suecorum Reginae), talem exhibet, qualem Philostratus expressit (imaginum lib. 2. pag. 813) ab Hercule spectatum Atlantem, cum oneri ferendo successit. *Eum namque*, ait, *incurvatum atque oppressum, genuque alteri innixum, ac vix consistentem cernebat*. Eodem corporis habitu Atlas exhibetur, tum in Farnesiano simulacro, Antoninorum aetate efformato, (ut ostendit idem Franciscus Blanchinus Praesul ex loco fixarum, ibidem in asterismis apparente *Histor. Universal.* cap. 28. num. primo), tum in laudato Nummo aeneo maximi moduli, quem in Catalogo Reginae Christinae pridem recensuerat Franciscus Cameli, nuper

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

autem graphice expreſſit & Commentario illuſtravit Cl. Vir Paulus Maphei Eques Hieroſolymitanus Raphaelis Volaterrani ſtirpe & imitatione conſpicuus.

Paulo diſſimilem Atlantis figuram exhibet Nummus a Patino pridem vulgatus, & in pluribus Cimeliarchiis, tum etiam in Vaticano aſſervatus, quem edidit Patruus meus *Hiſt. Univ.* cap. 24. Atlas ibi ſedens exprimitur, contemplando Zodiaco intentus, quem, in Orbe a ſe conformato, ac Tripodi impoſito, duodecim caeleſtibus ſignis diſtinxit. Recolendam heic eſſe cenſui hujuſmodi imaginem; cum, ex Elephantis propoſcide Atlantis capiti impoſita (Africae ſcilicet ſymbolo in aliis Nummis Adriani & Antonini [eodem ſaeculo percuſſis, quo Atlantis ſimulacrum marmoreum, & Nummus, de quo ſupra, cudebatur], Africae caput ita adornantibus), ad illius Regionis indicium referatur, quam Atlas Maximus incoluit.

Haec

LIBER ANTIQUARIUS.

Haec ipsa monimenta declarant, imaginum caelestium inventum deberi Maximo Atlanti: quando scilicet indicaturus posteris observationes a se peractas tam circa fixas, quam circa Planetas, excogitavit, distinctionis gratia, Asterismorum figura complecti certum stellarum numerum, praecipue autem Zodiaci, ubi inerrantium situm a se conspectum posset facilius designare. Usus propterea fuit hieroglyphica methodo, quae tum vigebat. Nam loco peculiarium vocum, quas unicuique stellae si tribuisset, earundem sonum absentibus & posteris aperire nondum sciebat, ut pote literis nondum repertis, supplevit indicationem figuris duodecim animalium in Zodiaci fascia utcumque delineatis: eaque ratione potuit unamquamque stellam ab alia proxima discretam significare, in ipsa figura ostendendo, num caderet in cornu, vel collum, vel pedes, aut caudam Arietis, in primo Zodiaci segmento

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

to (exempli cauſa) ſuopte ingenio collocati .

Rem aliter exequuti ſunt Sinae. Zodiacum enim dividere illis placuit in ſigna octo & viginti, pro totidem Lunae ſtationibus, quas hebdomadis quatuor obſervarunt ad eaſdem ſtellas redire . Animalium vero figuras Caelo non intulere ; ſed lineares plexus duodetriginta extendentes, totidem Aſteriſmos diſtinxerunt in faſcia Zodiaci , pro ſua methodo ſcribendi ; Notaria potius , quam Hieroglyphica .

Ea diſcriminis ratio, quae utrimque viget, ex quo Gentes diviſae ſunt a Noemi poſteris , oſtendit aetatem inventi Aſteriſmorum Atlantis , ac Sinenſium, adeoque probat uſum hieroglyphicae exprimendi methodi, tum inter Chami liberos in Aethiopia , Aegypto , Syria, Chaldaea , & India , tum inter Japeti poſteros in Scythia , Europa, Mediterraneo Mari , & Mauritania , unum ex primis Aſtronomiae monimentis (nam glo-

globum caeleſtem ita poſſumus appellare) ad nos tranſmiſſum reliquiſſe.

Quod ſphaeram primus compoſuerit Atlas, ex Diodoro lib. 3. pag. 193. noverunt eruditi. Verum, quod Zodiaci ſigna primus Cleoſtratus addiderit, ut ex Harduino ad Plin. hiſt. II. 8, & Menagio ad Laertium pag. 70. aliiſque indicavit eruditiſſimus vir Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Graecae Tom. 3. pag. 457, admittere vix poſſum, ſalva tantorum Scriptorum auctoritate; ſi nomine Signorum, indicent Aſteriſmos. Longe aliter ſenſerunt ſecundo Christi Saeculo Sanctus Juſtinus Martyr, & auctor Homiliae quintae Clementinae ab eodem Fabricio producti: quibus eſt eo ſecurius fidendum, quod ſcriberent illa aetate, quam illuſtrabat Ptolemaeus in Aegypto Aſtronomiae coryphaeus, & Menelaus Romae, aliique celebres ſideralis ſcientiae cultores. Verum citra neceſſitatem confutandi Mathemathicos veteres, ſatis fuerat

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

rat Poetas noviſſe, ut conſtaret, tribus circiter ante Cleoſtratum ſaeculis Homerum atque Heſiodum carminibus ſuis celebraſſe complures Aſteriſmos; utpote jam tum inſignitos nominibus & figuris illorum, qui a Phaenicibus, Cretenſibus, Aſſyriis, Aegyptiis, Aethiopibus fuerant Diis accenſiti, aut, Artium inventarum gratia, caeleſti imagine commendati. *Jam ergo Jupiter* (inquit *Auctor V. Homil. Clem.*) *Calliſtonem ſtellam fecit, quae vocatur Urſa minor, quam ve Cynoſuram appellant nonnulli. Neptunus in Caelo collocavit Delphinum Amphitrites gratia; & Orionem, ex Euryale Minoris filia natum, propter matrem Euryalem aſtris donavit. Bacchus, Coronam Ariadnae: Jupiter Aquilam, qua in rapiendo Ganymede uſus fuerat; ipſumque Ganymedem in Aquarii honore conſtituit; ac Taurum honoravit ob Europam. Quin & Caſtorem, & Pollucem, ac Helenam, Laedae gratificans, ſtellas fecit, & Perſeum, propter Calliſtonem vin-*

virginem, & Dice, ob Themin, Herculem, propter Alcmenam &c.

Liber Antiquarius.

Repetendum heic est, quod paulo ante addiscebamus ex Commentario Servii in Virgilium, tres Atlantes a Veteribus memoratos: & insuper observandum, quod Servius addit in primum Aeneidum ad illud carmen,

. . . . . docuit quae Maximus Atlas.

Dicitur, inquit, *Hercules ab Atlante Caelum sustinuisse susceptum, propter Caeli scientiam traditam. Constat enim Herculem fuisse Philosophum; & est ratio, cur omnia illa monstra viciisse dicatur &c. Sane Atlas Graecum est, sicuti & Nilus: nam Ennius dicit, Nilum Melonem vocari; Atlantem vero Telamonem. Rursus a Plutarcho memoratur, colloquutum fuisse Herculem cum Chirone, & cum Atlante Sophistis: quemadmodum & idem Chiron instituisse dicitur Achillem Telamonis Nepotem, ejus inquam Telamonis, qui in Trojana expeditione Herculis comes describitur.* Plures igitur

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Atlantes, aut Telamones, Aſtronomi & Sophiſtae memorantur totis decem ſaeculis, quae excurrunt ab Atlante Maximo Japeti filio, ad Atlantem juniorem ſeu Telamonem Sophiſtam, aequalem temporibus Trojanis. Hoc autem ſpatio temporis completa videtur deſcriptio Aſteriſmorum; cum & ipſe Hercules, & Chiron, inter ſidera ſuas Imagines obtinuerint. Quare inferendum eſt, nonnullos quidem Aſteriſmos eſſe Trojano bello recentiores; alios tamen, qui ab Homero, atque Heſiodo nominantur, eſſe opus Curetum, Phoenicum, atque Aegyptiorum, & Atlantis Maximi; cum tribuantur Jovi, Neptuno, & ejuſmodi Viris Atlanti Maximo aequalibus, qui ſideralem Scientiam excoluerunt, Nauticae rei gratia, aut cauſa Philoſophiae, ſive etiam Apoteleſmaticae vanitatis ſtudio, quam Babylonii, Chaldaei, Aegyptii, atque Aethiopes ab initio Idololatriae exercuerunt.

Lu-

LIBER ANTIQUARIUS.

Luculentum ejus rei teſtimonium reſervavit nobis Manethonis Sebennytae carmen Apoteleſmaticum ad PtolemaeumPhiladelphum,qui ex Hermetis Libris, & columnis ſuam doctrinam excepiſſe affirmat ſub initium libri v. ita vertente Fabricio:

E Libris, Ptolemaee ſacris, ſacriſque columnis
Arcanis, ſapiens, quas his in repperit Hermes,
Signavit vires proprias caeleſtibus aſtris.

Et hujuſmodi quidem Opus, antiquiſſimum eſſe habendum prae ceteris Aſtrologiae judiciariae monimentis, docet Abrahamus Hinckelmannus hiſce verbis,aFabricio productis *Biblioth. Graecae* Tom. 2. lib. 3. cap. 20. *De Aſtrologia Apoteleſmatica nullum forte in Orbe terrarum ſupereſt monumentum antiquius ſex Libris Manethonis Sacerdotis Aegyptii, qui verſibus elegantibus Graecis concinnati in hac Urbe exſtant*

LIBER ANTIQUARIUS.

&c. Inscriptum est hoc Opus, Regi Aegypti Ptolemaeo, *Philadelpho haud dubie, qui artem illam magni faciebat, ut patet ex ipso statim limine Poematis* Χαιροῖς ὁ Πτολεμαῖε *&c. Testatur quoque Manetho, Hermetis se doctrinam afferre lib. V.* Ἐξ' ἀδύτων ἱερῶν Βιβλίον *&c. Addit Fabricius (quod pertinet ad historiam ejus codicis confirmandam): Illud vero de Philadelpho apertissime etiam confirmatur libro V. versu* 208. *ubi* Ἄ'ρουόης ὑμεναῖοι *diserte memorantur, quod & erudito Editori observatum. Ceterum tulere aetatem Apotelesmatica Manethonis in unico, quantum sciam, codice Mediceo sexcentorum circiter annorum, e quo varia Virorum doctorum Lucae Holstenii, & Lucae Langermanni apographa, atque Jacobi quoque Gronovii editio profluxit.*

Qualis autem scribendi ratio fuerit in Hermetis libris, Manetho declarat proxime post versus recitatos, ubi ceris impressam loquacem picturam, hoc est Asterismos ab Hermete impressos cera-

ceratis tabellis declarat, consilii adjutore Asclepio medicinae inventoris nepote, ad quem Hermetis nomine scriptus Dialogus circumfertur. Ibi laudat tum patrem, tum avum suum Hermetem, tum avum Asclepii cognominem: *Avus* (a) *enim tuus, o Asclepi, Medicinae primus inventor, cui Templum consecratum est in Monte Libyae, circa litus Crocodilorum:*

Consilii adjutor fuit illi Asclepius:
inde
Ceris mandavit formas, divinaque
imago
Florigerae impressa est donopulcherrima Musae:
Ast ego, si illuni caelestia sidera
nocte
Saepe revisendo, picturam fisto lo-
quentem,
Nec quisquam potis est partem hujus cernere laudis,
Quam solus, quem plurimum amo, ma-

(a) *Vide Fabric. lib. primo cap. 8. Bibl. Graecae.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

magnus Petosiris,
Non levis iste labor, Ptolemaee;
videbitur ulli.

Porro Aesculapius sive Asclepius; Medicinae inventor habitus, & Hermetis adiutor in Asterismorum doctrina, & iconibus in Commentarium redigendis, dicitur Chironis Centauri Astrologi acMedici discipulus a(*a*)*Pindaro*, Pyth.Od.3. *Apollodor*. lib.3. pag. 172. *Xenoph*. de Venat.pag.972.*Ovid*. Metam. lib. 2. cap. 9. *Diod. Sic*. lib.4. cap. 9, & lib. 5. cap. 15. *Pausan*. lib.2. pag. 69, & *Lactantio* lib. primo cap. x. Qui & Achillis institutor fuisse traditur; adeoque pertinet proxime ad Trojana tempora. Utrumque Astrologum Chironem, atque Aesculapium, inter Asterismos retulisse videntur Asclepius hic Nepos, & Hermes disciplinae Astrologicae amplificator, exemplo Majorum ducti, qui Imagines suae stirpis,

(b) *Vide Indicem Historico-Chronologum Mergellini in Aesculapio.*

Digitized by

pis, ac doctrinae Auctorum, inter sidera collocaverant.

LIBER ANTIQUARIUS.

Ceterum quales fuerint Atlantis Asterismi, aut quae Zodiaco intulerint Animalia & Signa, ante hunc postremum Hermetem, Aegyptii, Chaldaei, aliarumque Nationum Astrologi, certo definire non licet. Comprobare tamen ea possumus ex fragmento Planisspherii Graeco-Aegyptii reperto in Monte Aventino, & in Vaticanum Cimeliarchium translato, repraesentante Hermeticam scribendi formam per Hieroglyphicas imagines, Zodiaci signis subjectas, in quo tres Decani cuique signo attributi, figuris totidem ostendunt vires, Apotelesmaticae artis decreto singulis attributas. Illius monimenti iconem damus in nostra Tabula I. Secundi Saeculi, ab egregio Chalcographo Antonio Josepho Barbazzia ex autographo incisam.

Conferenti autem numeros graduum xxx. unicuique Signo attributos, & Grae-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Graecis literis expreſſos, cum terminis Aegyptiorum, ut vocant, a Gemiro recenſitis, plane conſtat eoſdem adamuſſim reſpondere.

CAPUT NONUM.

Tria genera Artis Graphicae ſeu Scriptoriae ab Aegyptiis retenta poſt inventas literas viſuntur in eodem Monimento Planiſpherii Vaticano, & illuſtrantur ex teſtimonio Clementis Alexandrini, aliiſque ſimulacris, & Nummis.

EX Planiſpherio Graeco-Aegyptio, quod capite praecedenti indicavimus, mirifice comprobantur ea, quae Clemens Alexandrinus Stromatum libro v. memorabat de triplici genere Scriptoriae ſimul, et Graphicae Artis, ab Aegyptiis uſurpato ad propriae doctrinae inſtituta ſignificanda. Praeſtat illa cognoſcere ejuſdem verbis expoſita: *Jam vero*, inquit p. 555, *qui docentur ab Aegyptiis, primum quidem docent, Aegyptiarum literarum vim ac rationem, quae vo-*

vocatur Ἐπιστολόγραφικὴ, *hoc eſt, apta ad ſcribendas epiſtolas: ſecundo autem Sacerdotalem, qua utuntur* ἱερογραμματεῖς, *ideſt, qui de rebus Sacris ſcribunt, ultimam autem* ἱερογλυφίκην, *ideſt ſacram, quae inſculpitur, ſcripturam: cujus una quidem eſt per prima elementa* κυριολογικὴ, *ideſt proprie loquens, altera vero ſymbolica, ideſt per ſigna ſignificans. Symbolicae autem, una quidem proprie loquitur per imitationem, alia vero ſcribitur veluti tropice, alia vero contra ſumitur allegorice &c. Qui Solem itaque volunt ſcribere, faciunt circulum: Lunam autem, figuram Lunae cornuum formam praeſeferentem, convenienter ei formae, quae proprie dicitur. Tropice autem, per convenientiam traducentes, & transferentes, & alia quidem immutantes, alia vero multis modis transfigurantes, imprimunt. Regum itaque laudes fabulis Theologicis mandantes, anaglyphicis deſcribunt. Tertii autem generis, quod ſit per aenigmata, hoc ſit indicium. Alia quidem aſtra propter*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

obliquam converſionem, aſſimilabant corporibus ſerpentum: Solem vero, ſcarabei: quoniam cum rotundam ex bubulo ſtercore effinxit figuràm, eam vultu adverſo convolvit. Ajunt autem hoc quoque animal, ſex quidem menſibus ſub terra, alteram veropartem anni vitam degere ſuper terram, & ſemen in globum emittere, & gignere, & non naſci feminam ſcarabeum.

Trium generum igitur artis graphicae ſive ſcriptoriae ſpecimen genuinum continetur in fragmento Planiſpherii Graeco-Aegyptii, quod allegavimus capite praecedenti. Viſuntur ibi Graeci characteres ΑΒΓΔΕ &c. unde conſtat uſus eorundem obtinuiſſe, cum illud monimentum inſculperetur. Epiſtolographicae igitur ſcripturae genus conſpicimus in figura elementorum Alphabeti Graeci communi ſermoni & vocibus uniuſcujuſque exprimendis idonei. Licet autemGraecae literae ad numeros ſignificandos aſſumptae in hac tabula rerum potius ſigna ſint, quam ſer-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſermonum; cum Alpha, exempli cauſa, ibi expreſſa litera, nullius vocis articulatam prolatianem oſtendat, ſed indicet unum Zodiaci gradum, eodem pacto, quo B duos, Γ tres, Δ quatuor; attamen aſſumptae litterae ſervant indicium artis literariae, jam a Graecis admiſſae, ad vocum differentias articulatim pronunciandas: quae per prima dictionum elementa χειρολογικῶς, ideſt proprie ſignificare, & loqui perhibetur. Secundum vero genus ſcripturae hierogrammaticae, Sacerdotibus & Scribis ſacrorum reſervatum, elucet in notis Aſtronomicis unicuique Planetae affixis, quod proprie quidem loquitur, ſed per imitationem. Exempla duo, quae Clemens producit, circuli ſcilicet inventi ad Solem figurandum, & cornuum, lunarem formam praeſeferentium, & illuſtrationem ejuſdem corporis, quod imitatione fideliter exponunt. Illa autem ipſa continet hoc Planiſpherium in VII. Planetarum figuris externo circulo adjectis,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

jectis: ubi & Saturni falx, & Jovis nomen initiali charactere ita expressum ♃, & Martis scutum ac sagitta, & Mercurii caducaeum. Tertium denique genus theologicum simul & aenigmaticum apparet in figuris Decani, cujusque vires, & influxus exprimentibus, juxta symbolicum allusionis modum, quem obtruserunt Apotelesmaticae Astrologiae professores.

Praeter haec vestigia trium Scripturae generum, apud Aegiptios vigentium post repertas literas, complectitur ejusmodi Planisspherium aliquot Asterismos Phoenicum, & Graecorum ad nos transmissos, nempe utramque Ursam, & Draconem, aliquot vero nobis incompertos. Sunt vero duodecim, respondentes totidem signis Zodiaci ibidem repetitis: quae num sint antiqua signa Atlantica in Zodiaci fascia descripta ante Arateos Asterismos, an potius aliae hemisspherii Borealis imagines, inter Ursas, & Zodiacum prius figura-

ratae, quam Graeci, & Phaenices ſuas intruderent, definiri facile nequit. Repetitionem XII Signorum aliqui interpretantur, ad indicandum duplicem Zodiacum, rationalem,& ſtellatum,ex deprehenſo lentiſſimo fixarum motu inductum ab Aſtronomis. Alii autem putant utriuſque Luminaris gratia fuiſſe adjectum,ut in uno,Solaris Orbita Ecliptica adamuſſim reſpondens,in alio autem latiori, Lunaris ſemitae, ac Planetarum hinc inde excurrentium latitudo demonſtraretur. Eodem plane modo duplicantur Zodiaci ſigna in Aegyptio Nummo majoris moduli aetate Antonini Pii percuſſo, & in numiſmate Coloniae Sidoniorum paullo minori, adornante Muſaeum Vaticanum,& Helagabali caput ac nomen praeferente. Utriuſque monimenti imaginem indicaſſe placuit,ut Zodiaci duplicandi mos tam apud Aegyptios,quam apud Phaenicas viguiſſe oſtendatur: quae ſcilicet duplicatio habenda eſt unum ex ſymbolis

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

bolis hieroglyphicis ex tertio genere ſcriptoriae artis ab utraque Gente frequentatum, praecipue in numiſmatibus, etiam poſt literas adinventas.

Symbolicam ſcribendi Methodum, ab Aegyptiis, ac Phoeniciis retentam etiam inventis literis, demonſtrabant Nummi ſuperiores, ubi utrumque genus Scripturae expreſſum obſervabatur. Nam ſemel admiſſa ratio ſignificandi, cum ita figuratis veterum cogitationibus adderet nativam ſpeciem antiquitatis, de medio tolli non poterat, quin ſimul deperiret nonnihil auctoritatis, quam aetas diuturna, & uſus eiſdem ſignis conciliabat. Alterum quoque argumentum retinendi generis hieroglyphici, poſitum erat in compendioſa methodo complectendi plures cogitationes unico ſymbolo (quemadmodum in caducaeo Mercurii oſtenſum paullo ante fuit), quod erat idcirco aptiſſimum ad exhibendum vel in anguſto ſpatio; & omnium oculis ita pro-

propositum, excitare poterat etiam illorum cogitationes, qui literas non didicissent. Qua igitur de causa viguit symbolicae scripturae methodus apud Aegyptios,& Phoenicas, etiam post literas adinventas, eadem suadente perlatum est symbolicum scribendi genus ab iisdem Aegyptiis, ac Phoenicibus, una cum literis jam repertis,in tractus Europae,& Africae, quos suis navigationibus frequentarunt. Cadmus nempe, ac Danaus, qui proxime post egressum Israeilitarum ex Aegypto, adeoque non multo post literas a Moise eodem anno repertas, in Graeciam navigasse memorantur, tria illa scripturae genera Hellenibus communicarunt, non secus ac Cecrops in Atticam, Janus sive Jones in Italiam, Telchinii & Lydi in Hetruriam seu Tyrrheniam, Tyrii ac Sidonii in Africam, Phoenicii Hercules in utramque Hesperiam, Curetes, Trojani, Graeci, littorales denique Nationes oram Mediteranei incolen-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

colentes,in proximas primum , deinde in remotas plagas Hieroglyphicam , Notariam , atque Literalem ſcribendi artem circumtulerunt .

Manent ſingularum veſtigia in duplici potiſſimum genere monimentorum, nempe in Simulacris & cultu ſuorum Numinum , & in prima philoſophandi methodo,quam antiquiſſimi earumdem Nationum Sapientes obſervaverunt .

Quod attinet ad cultum Ethnicorum Deorum , ſymbolica exprimendi ratio adhibita demonſtratur a Graecis,& Romanis vel ante humana ſimulacra ſuis Numinibus attributa.Plutarchus in Romulo affirmat , Martem appellari conſueviſſe quirim , ſive haſtam in Regia erectam , unde Quirini nomen Marti & Romulo datum , & Quiritidis Junonis ſignum haſtae praefixum. Tertullianus adverſus Gentes cap. 16. eiſdem exprobrat Palladis & Cereris Atticae idola vetuſtiſſima,ſine effigie, rudi

LIBER ANTIQUARIUS.

di palo & informi ligno proſtaſſe. Poſtquam vero Caeli effigiem, ac vultus Deorum Saturni, ac Dagonis effinxit Aegyptius ille Mercurius (quem cum Taauto confundunt Ethnici, apud Euſebium Praepar. Evang. lib. primo), & ſacra ſimul characterum elementa adinvenit; tum vero Hermis quadratis ſive cippis impoſita primum ſunt Deorum capita (non ſecus ac obeliſcis Soli ſacris, globus, ejuſdem ſymbolum, imponebatur), & addita hieroglyphica primum, deinde literae, quae ſingulorum Deorum nomina, & res geſtas complecterentur. Hinc Cecrops, primus Atticae Rex Moſi coaevus, teſte Euſebio in Chronico, qui Jovis nomen appellare coepit, nequaquam iſtijuſmodi rebus in Graecia uſquam viſis diphyes figuratur: quemadmodum & Janus geminus apud Romanos, bifronte facie, cippo quadrilatero ſive Hermae impoſita, exprimitur. Addebatur autem & haſtae ſymbolum, Divinitati jam attri-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

butum,& clavis,quod annum diceretur aperire, & numerus CCCLXV. articulis digitorum efformatus, ubi ex Herma bifronte, aut quadrifonte, humanum ejus DEI ſimulacrum effingi caepit: licet ad claſſem Deorum Mundanorum, hoc eſt ad Solem, hujus idoli cultus referretur, ut prolixe demonſtrat Macrobius in Saturnalibus. Cippo quadrilatero ex nigro lapide praefecto, ſine alia figura in aurea baſi ſito, alto quatuor pedes, duos lato, Martis ſimulacrum apud Arabas efformatum, teſtatur Suidas (*a*). Arcadum quoque DEOS vetuſtiſſimos, quos inter Mercurius recenſetur, in Hermae modum conformatos, Pauſanias aſſeverat. Poſtquam vero humana capita, ſive etiam corpora, Deorum imaginibus ſunt adjecta, ſymbolorum quoque uſus ad eoſdem ſignificandos retentus fuit. Hinc Saturni caput, cum falce appoſita, in Nummis Romanis, & in Baſi Soli ſacra, (nam & Sa-

(a) *Suidas in vocibus*, Ἑρμῆς.

& Saturnum ad Solem retulerunt) Calbienſium literis inſcripta, viſitur. Jovi fulmen, Apollini Lyra, Herculi clava, Minervae clypeus & galea(quibus antea ſolis Palladium rude conſtabat), Veneri ſpecillum, Neptuno tridens adjiciebantur. Quin etiam animalia hiſce Numinibus attributa tantam ſignificandi vim retinuerunt, etiam poſt uſus literarum, ut in quampluribus Nummis tria Capitolii celleberrima Idola Jovis, Junonis, Minervae, ſolis volucrum imaginibus Aquila, Pavone, Noctua repraeſententur: quemadmodum & Dionis imaginem, ex qua Venerem natam ferunt, columbae figura expreſſam apud Phaenicas ſculpſere in Nummis Aſcalonitae: ubi licet animadvertere, ſymbola hujuſmodi ſuppleviſſe vicem notarum, cum excitarent memoriam communis vocis, Jonae, qua Dionem feminam, & columbam, obſarvante Voſſio (*a*), Syri ſignifi-

(a) *Voſs. de Orig. Idol. lib. primo, cap. 23.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

cabant. Reservata sunt igitur vestigia methodi scripturae symbolicae sive hjeroglyphicae, etiam post receptum literarum usum, in cultu Deorum.

Alterum vestigium ejusdem Methodi observatum fuit in antiquissimis Graeciae Sapientibus, qui apud Phaenicas, & Aegyptios ut plurimum peregrinati, symbolicae doctrinae genus ibidem acceptum in Patriam retulerunt, Aenygmaticis plerumque sententiis complexi regulas Philosophiae. Pleni sunt libri Pythagoraeorum hujusmodi symbolis, atque aenigmatibus, quae Jamblichus, Hierocles, Plutarchus, Suidas inter antiquos, e recentioribus vero Beroaldus Rhodiginus, Ficinus, Gyraldus, Dacerius Kusterus, aliique infra recensendi, ubi de Pythagora sermo erit, justis Operibus illustrarunt.(a) Pherecydes Syrus Pythagorae institutor, Thales Milesius, unde Jonica derivatur

(a) *Vide Fabricium, de Pythagora, & Pythagoraeis Tom. primo Bibl. Graecae pag. 457. Et Acta Erudit. Mensis Januarii* 1708.

vatur Philosophia, Chilo Lacedaemonius, Solon Legislator, aliique inter septem Graeciae Sapientes recensiti, brevibus apophtegmatis imitati sunt concisum & aenigmaticum docendi genus, quod ab Orientalibus, & ab Aegyptiis didicerant. Aequalis Solo-ni Aesopus Fabulas edidit, a Socrate versibus expressas, Philosophiam symbolicam vulgari quodam integumento, ne dicam puerili, convestiens. Ephesias quoque literas, ad occultanda naturae mysteria adinventas, ad exemplum hieroglyphicae artis Aegyptiorum, observat Clemens Alexandrinus (*a*) ex Andocyde Pythagoraeo; necnon translata, more symbolorum, posita obscure apud Orpheum, (*b*) ex Epigene in libro de Poesi Orphei: quo loco subdit: *Hujusmodi etiam aenigmatibus utebantur Pythagoraei: Proserpinae quidem canes, stellas errantes: Saturni autem lacrymam, mare dicentes allegorice &c.* Mox Heracliti libros

(a) *Clem. Alex. Strom. lib. V. pag. 568.*
(b) *Ibi pag. 571.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

libros hiſce gryphis refertos memorat, unde Obſcuri cognomentum illi tributum fuit: necnon Pherecydis Syri Theologica, & Euphononis, Callimachi, atque Lycophronis aliquot Opera ſimili ſtylo deſcripta aſſeverat. Sed & in Platonis Timaeo, aliiſque Scriptis Philoſophorum complura ſuperſunt.

Claudemus tamen Caput hoc IX. iis Auctoribus attributum, qui Symbolicam & Hieroglyphicam docendi methodum adhibuerunt, auctoritate Clementis Alexandrini, docentis, ejuſmodi genus vetuſtiſſimum ſignificandi placuiſſe etiam Barbaris, Philoſophiae ſtudio correptis. Ita vero contulit Dioſpolitarum Sacerdotum hieroglyphicas expoſitiones, cum Scytharum ſymbolicis locutionibus Strom. lib. v. pag. 566.

Porro autem Dioſpoli quoque, quae eſt Urbs Aegypti, in Aede ſacra, quae vocatur Pylon, expreſſus eſt puellus, ſignum generationis; ſenex vero, interitus: & rurſus Dei ſymbolum, accipiter; ut piſcis, ſym-

ſymbolum odii. Et in alio rurſus ſignificato crocodilus, eſt ſignum impudentiae. Videtur ergo univerſum hoc ſymbolum ſimul poſitum ſignificare,, O qui naſcimini, & interitis, Deus odio habet impudentiam &c. Mox ad Scytharum ſymbola proponenda accedens, ait: *ſed enim, non ſolum qui ex Aegyptiis vi ratiocinandi plurimum valuere, ſed ex aliis quoque Barbaris qui erant dediti ſtudio Philoſophiae, ſymbolicum genus ſunt conſectati. Ajunt quidam, certe Idanthram quoque Scytharum Regem, ut refert Pherecides Syrius, Dario, qui Iſtrum trajecerat, bellum minantem miſiſſe pro literis murem, ranam, avem, jaculum, aratrum. Cum autem de his, ut erat conſentaneum, exorta eſſet dubitatio, Orontipagas quidem Tribunus Militum, dicebat, eos tradituros imperium; conjectans ex mure quidem, habitationes: ex rana autem, aquas: ex ave vero, aerem: ex jaculo autem, arma: ex aratro vero, regionem. Xiphotes autem contra eſt interpretatus. Dicebat enim: niſi tanquam aves evo-*

LIBER ANTIQUARIUS.

evolaverimus, seu tanquam mures terram, vel tanquam ranae aquam subierimus, illorum tela non effugiemus. Non sumus enim Domini regionis.

EXPLICIT LIBER DE MULTIPLICI HERMETE. SEQUITUR ARGUMENTUM CAPITIS ULTIMI EJUSDEM LIBRI, DE GLOBO FARNESIANO, EX ALIO OPUSCULO PATRUI MEI FRANCISCI BLANCHINI PRAESULIS, ANTEHAC INEDITO.

PRAE-

PRAEFATIO

IN OPUSCULUM, QUOD INSCRIBITUR,

GLOBUS FARNESIANUS

ET IN EO

Rudimenta Aſtronomiae, Chronologiae, & Hiſtoriae Aetatis Heroicae, a Graecis ad nos tranſmiſſa.

(Ex ſchedis Franciſci Blanchini Praeſulis Patrui mei.)

LIBER ANTIQUARIUS.

QUartus jam, ſupra quinquageſimum, annus elabitur, ex quo Praeſul Franciſcus Blanchinus Patruus meus amantiſſimus in *Hiſtoria Univerſali* Antiquorum de monimentis collecta, & comprobata, ſymboliſque figurata, promiſerat a ſe aliquando productum iri diligentiorem imaginem Caeleſtis Globi, ſuis Aſteriſmis opere anaglypho inciſi, necnon diſtincti circulis Sphaerae armillaris, & ſuf-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

fulti ab Atlante vetere illo Aſtronomo Herculis Magiſtro, quem Palatii Farneſiani Gaza Antiquaria inter vetuſta Signa Eruditis contemplandum praefervat, tamquam Opus plurium diſciplinarum nomine praeſtantiſſimum. Illius monimenti auctoritate, probatorum Scriptorum teſtimoniis reſpondente, demonſtravit per ſingula ferme capita Decadis ſecundae, Hiſtoriam Heroici, quod dicunt, temporis, necnon Aſtronomiam, & Chronologiam ejuſdem aetatis mirifice illuſtrari. Nam Chronologi, & Aſtronomi obſervare ibidem poſſunt fixarum poſitus, ex incidentia Aſteriſmorum in Coluro utriuſque Solſtitii, & Aequinoctii, qualis ſpectabatur aetate Hipparchi bis mille ante nos annis; quae collata cum cardinibus quatuor anni tempeſtatum hodie apparentibus, demonſtrat quantitatem praeceſſionis Aequinoctiorum ab aetate Aſtronomi Ptolemaei, imo et a ſuperioribus Saeculis tum Hipparchi, tum Eudoxi, & Me-

&Metonis;ita ut colligi ex ea differentia poſſit ſumma temporis,nos inter,& illos intercepti:ex quo gradatim aſcenditur ad figendum clavum expeditionis Argonautarum , ac Trojanae obſidionis, ubi Heroici temporis metas Hiſtoria reperit . Gaudet vero Hiſtoria , in Aſteriſmis Caeleſti globo per ea tempora conſignatis,veſtigia deprehendere Argonautarum ; qui neceſſitate compulſi ad obſervanda ſydera , ut navigationis ſecuritati conſulerent, Sphaerae armillaris prima rudimenta vel compegerunt, vel renovarunt; & imagines ſuas, ſuarumque navium Caelo intulerunt ; ut certis nominibus ſtellas ſingulas indicarent , quarum conſpectus adhibendus erat , & poſteris commonſtrandus,niſi vellent crebris naufragiis propria itinera funeſtare . Obſervaverat etiamPatruus meus,pleroſque Aſteriſmos referre aliquem ex Argonautis, eorumve inſtitutoribus,vel Inſigne alicujus ex navigiis apud eos celebratis ,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

aut artium inventa eiſdem attributa; Nam Caſtor,& Pollux, necnon Herculeſ inter Argonautas cenſentur,quemadmodum & Theſeus, quem Ingeniculi Aſteriſmum, ſive engonaſis, communem cum Hercule habere putant, non ſecus ac Draconem, Sagittam, & Lyram, ut Hegeſianax, & Anacreon apud Hyginum, licet alii ad Orpheum hanc referant & ipſum Argonautis adnumeratum. Nam de ipſa Navi ab Argo conſtructa, & aſtris inlata, non eſt qui ambigat, quin pertineat ad Argonautas, quemadmodum & Arietis ſignum. Naves quoque fuiſſe eadem aetate celebres, quae Tauri, Cancri, Hydrae, Leonis, Ceti, Scorpionis, Pegaſi inſigne in prora ferebant,plerique narrant: alii ad Herculis geſta referunt. Argonautarum vero magiſtros; Chironem ſcilicet Centaurum, Aſtronomiae aliarumque diſciplinarum peritia celebrem,Herculis, & Aeſculapii inſtitutorem, cum ipſis inter Aſtra relatum.

latum . Sunt etiam, qui ad antiquiores Aſtronomos nonnullarum imaginum memoriam aſſerunt pertinere: quorum inventa renovavit, & auxit aetas, ac labor Herculis, & Argonautarum. Engonaſin ſcilicet nonnulli referunt ad Prometheum Aſtronomum Japeti filium, quem fabulae affigunt Caucaſo, & apud Strabonem poſt annos milſe liberatum ab Hercule confingunt ; propterea quod Hercules is Heros expeditionis Colchicae , ac Trojanae ſocius, Aſtronomicas obſervationes Promethei , Seculis decem ante ipſum florentis , necnon Atlantis Maximi ſphaericam doctrinam, in Aſia, & Africa perceptam , ad Graecos pertulerit , quemadmodum ex Diodori hiſtoria percipimus . Vidit Patruus meus, haec obſervata ſua (quae recognoſcunt documenta illuſtria geſtorum aetatis Heroicae in Aſteriſmis Globo caeleſti inſcriptis aetate Argonautarum) non diſplicuiſſe Viris diſciplinarum illarum peritiſſi-

LIBER ANTIQUARIUS.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tissimis,utpote quarum subsidio firmantur Historia,et Chronologia. Editio posthuma Operis Chronologici,quod Vir Mathematicarum disciplinarum studio celeberrimus Isaacus Newton in suprema senecta adornavit,satis superque ostendit, quantum adjumenti percipere possint Historia, & Chronologia (apud plerosque desperata) temporis Heroici, ex contemplatione Asterismorum, una cum Sphaerae circulis Globo Caelesti inscriptorum . Neque Patruum meum turbavit, aut retraxit a vulgando diligentiori Iconismo eorundem Asterismorum,& Circulorum,qui in veteri illo Monumento Globi Farnesiani spectantur, difficultas aperitissimo pariter Auctore contra aliquot rationes temporum Newtonianas promota , ex Asterismorum positu,& typis vulgata. Quin haec ipsa peritorum dissidia urserunt ad proponendum , tum antiqui illius Monimenti exemplum , tum Orientalium Nationum eastudia colentium,ineditas adhuc

adhuc fixarum ordinationes, ex quibus inter se collatis utriusque sententiae momenta expendi maturius valerent, & librari felicius posset, veluti apto sacomate superaddito genuinae hujus antiquitatis, fluctuans adhuc inter utrasque assertiones judicium Eruditorum.

Liberabo igitur Patrui mei fidem, jamdiu obstrictam tum studiosis Historiae, & Antiquitatis, tum sectatoribus Astronomiae, & Chronologiae, per Editionem hanc veteris Globi Caelestis Farnesiani, adornatam imaginibus tantae amplitudinis, quanta satis est ad situm Asterismorum recognoscendum, ut in Historia Universali promiserat. Neque omisit observationes, quas duxit opportunas, ad suggerendum Lectoris animo quidquid solus Iconismi conspectus non potest oculis exhibere.

Ut autem clarius procedant, quae ab ipso dicenda erunt de Globi illius Caelestis conformatione, & usu; bifariam partitus est Tractatum hunc, quem

LIBER ANTIQUARIUS.

quem ego edere aggredior. Pars ejus prima proponit hujus veteris monimenti prospectum, cum circulis, Imaginibusque Asterismorum, anaglyptice in illius superficie sculptis. Describit quoque Atlantis eundem Globum sustinentis figuram, & quaerit indicationes. Deinde exponit quaecumque colligi posse videntur, ad ibidem recognoscendas Astronomiae origines, & progressus apud Graecos, & Latinos illius studii cultores. Pars autem Secunda alium usum considerat earumdem Imaginum, & circulorum in Globo extantium, directum scilicet ad Chronologiae veteris firmamentum apud noltrates Mediterranei Maris accolas Graecos, ac Latinos. Huic demum parti coniungere volebat, vita comite, Patruus meus insigne additamentum, ex Astronomia Sinensium perceptum, quod sperabat Eruditis omnibus perinde placiturum, non modo rei hactenus non vulgatae documento, sed

sed etiam momentis rationum solidarum, quae inde trahi ajebat ad illius antiquissimae Gentis Orientalis perinde ac nostrarum Occidentalium Astronomiam, et Chronologiam, ferme dixerim, ex aequo demonstrandam, et consensum utriusque cum Sacra Historia.

PARS PRIMA
DE GLOBI FARNESIANI

STRUCTURA, FIGURA, ET INDICATIONIBUS,
Usuque primo, ad rei Astronomicae originem, ac progressus demonstrandos apud Graecos, et Latinos.

CAPUT PRIMUM.

Proponitur Figura hujus antiqui Monimenti, in Palatio Farnesiano Romae asservati, & primum Atlantis, a quo Globus sustinetur.

INter praeclara monimenta Eruditae Antiquitatis Romae spectanda in Palatio Farnesiano ad Campum Florae, pau-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

pauci admodum hoſpites contemplantur Signum ceteris omnibus ferme dixerim anteferendum, nempe marmoreum illud Atlantis, Caeleſtem Globum fulcientis, in quo rite inſculpti conſpiciuntur Sphaerae circuli, & Imagines Aſteriſmorum, utriuſque linguae Scriptoribus, Graecis, ac Latinis, poſt Eudoxi ſpeculum, & Arataea phaenomena celebratae. Quin etiam incolis pleriſque, & quidem eruditis, Urbiſque domicilio diuturno utentibus ignotus eſt ferme Globus, & Atlas ille, utpote non aſſervatus in ea parte Aedium, quam indicant Antiquarii hoſpitibus perluſtrandam, nempe in ſuperiori & nobiliori triſtego, veterum Imperatorum, & Philoſophorum, Rhetorum, Ducumque illuſtrium clypeatis imaginibus, aliiſque ſignis artis elegantia praeſtantibus referto, necnon picturis ornato Caracciorum, aliorumque Artificum, maximo in pretio habitis. Servatur Atlas & Globus, de quo eſt ſermo,

Digitized by Google

mo, in conclavi ſito in eodem plano, in quo Herculis uterque Coloſſus, nempe in plano impluvii & periſtylii, ad angulum proximiorem Herculis Coloſſo, non quidem illi praeſtantiori a Glycone Athenienſi ſculpto, ſed alteri, Sculptoris nomen non exprimenti. Nobilibus plerumque Viris Ditionis ſuae conſueverant Seren. Parmae Duces (dum ſtarent) haec inferiora conclavia ad tempus incolenda concedere ; qui (uti etiam nunc) lubentiſſime adventantes excibant, & conſpectum Simulacri non denegabant accedentibus , praeſertim eruditis. Hoc igitur in Conclavi, in quo pretioſa ſuppellex veterum Signorum viſitur , ac prae ceteris Caput Julii Caeſaris coloſſeae ſtaturae , conſpicitur etiam haec ſtatua Atlantis, ad juſtam humani corporis menſuram ſculpti , qui, collo, ac dorſo impoſitum Caeleſtem Globum utraque manu admota valide ſuſtinet, innixus genu dextero : quemadmodum oſtendit Figura

LIBER ANTIQUARIUS.

dupplex heic inſerta ad duos ejuſdem Simulacri conſpectus repraeſentandos; quorum in priore, Tabula II. exhibet ſpectatori obverſos Hemiſphaerii caeleſtis quadrantes duos, Vernum ſcilicet, ac Aeſtivum, a ſigno Arietis, ad Virginem; in altero vero, Tabula III. ſpectandum offert Aeſtivum, cum Autumnali. Eadem ſtatua, ni fallor, appareret expreſſa in Nummo Latino maximi moduli, percuſſo in Tribunicia Poteſtate XX. Imp. Antonini Pii Cos. IV. quae reſpondet anno Aerae Chriſtianae 157. ex die V. Kal. Martii, ad V. Kal. Martii 158. Nummum oſtendit Tabula I. a Vaillantio recenſitum, & ſpectatum in Cimeliarchiis Eminentiſſimorum Cardinalium Otthoboni, & Albani: ubi Jovis Juvenis Coloſſus mediam Nummi aream tenet; ante quem Ara conſpicitur, Aquila ſuperſtante: pone autem Jovem, Atlantis noſtri ſimulacrum Caeleſtem Globum ſuſtinentis. Oſtendi jam ex Diodoro lib. 2. num. 9. producto

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

sto in nostrae Historiae Universalis capite 21. pag. 257 Jovis Beli, hoc est Nini, cultum, a Semiramide uxore inductum apud Assyrios in editissimo templo; unde Chaldaei syderâ contemplabantur, & a se habitas Astronomicas observationes, ab Aristotele, & a Ptolemaeo memoratas, posteris prodiderunt: eumque cultum, una cum Astronomiae rudimentis, tractu temporis ex Asia Mediterranea, ad littoralem Phoeniciorum, inde vero per Insulas, & oras Mediterranei propagatum, occasione navigationis & commercii cum Occidente instituti, & primum in Cretam a Curetibus perlatum, ubi Jovis Cretagenis, & Crescentis nomen suscepit. Memoravi etiam ejusdem Historiae nostrae cap. 22. pag. 281, ex Apollonio collegisse Tristanum in expositione Nummi, Jovem Cretagenem & Crescentem globo Caelesti impositum exhibentis, proditum ab antiquis Scriptoribus, Globum illum Caelestem fuisse

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

se a Vulcano elaboratum, & Adrasteam Curetum Sororem dono obtulisse Jovi Juveni, cui nomen Asterii propterea aptatum legimus apud Lycophronem. Alibi quoque ostendi, quod infra expendam solertius, Atlantem Maurum Principem & Astronomum, Globi Caelestis usum ad ultimos Mediterranei terminos derivasse, ab ipso perceptum in Asia, aut in Aegypto, sive a Phoeniciis, & Syris adnavigantibus Mauritaniam; & suis fortasse additionibus locupletasse doctrinam Sphaericam. Quare in Nummo Antonini utrumque signum Jovis Beli, et Atlantis insculptum, memorare videtur utriusque narrationis vestigia, repetentis Astronomiae originem, et Globi Caelestis, Sphaeraeque artificialis structuram apud Occidentales, tum ab Atlante, tum ab Assyriis, Phoeniciis, et Cretensibus. Verum de Numismate illo haec indicasse sit satis: quae leviter attingenda heic etiam duxi; ut Atlantis no-

Digitized

noſtri, ejuſque Globi notitiam uberiorem praemitterem, necnon praecipuarum Nationum, quae Sphaerae Caeleſtis doctrinam, et Aſtronomiae prima elementa per illum accepta ceteris tradidiſſe gloriantur. Statua igitur Muſei Farneſiani ita configurata repraeſentat Atlantem Sphaericae doctrinae inventorem, ſive propagatorem, non vero Herculem illius diſcipulum, de quo aliquando dubitaveram. Licet enim antiquitas Herculi quoque detulerit Globi caeleſtis fulcimen, cum Atlanti ſuccederet ab illius onere fatigato; attamen artifex certos nos reddit, a ſe nihil de Hercule cogitatum, quando ſimulacrum expreſſit; cum neque clavam, neque leonis ſpolia, neque ſymbolum ullum Herculis proprium addiderit; ſed nudo huic ſeni tantummodo injecerit pallium, Heroico more ac Philoſophico negligenter ex humero pendens, ac ferme decidens circa ſiniſtrum latus. Quiſnam vero, ex tribus At-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Atlantibus a Servio memoratis, habendus sit Caeli suffultor, hoc in marmore figuratus, expensum a nobis fuit Historiae Universalis capite vigesimo quarto, numero IX. Observaveram ibi cum Servio in Notis ad I. & VIII. librum Aeneidos, tres Atlantes celebrari apud Veteres, *unum Maurum, qui est Maximus: alterum Italum, patrem Electrae; unde natus est Dardanus: tertium Arcadicum, patrem Majae; unde natus est Mercurius.* Hos vero a Poetis confundi, atque a Virgilio ipso, Servius tradit. Neque tamen admodum dissitos inter se aetatis serie fuisse, comprobavi; sed ad Cecropis aetatem quamproxime referri, cui Tabulae Arundellianae, (antiquissima illa monumenta Graecae Chronologiae, insculpta annis CCLXIII. ante Aeram CHRISTI communem) tribuunt superioris aetatis annos MCCCXVIII. adeoque referunt Cecropem ad Saeculum sextum decimum ante communem Aeram Christianam. A Cecropis aeta-

Digitized by Google

aetate non longe abeſſe Atlantem illum Maximum, docet Macrobius lib. I. cap. 23. Saturnalium, in fine, quem juxta aliquos Cecropi convixiſſe, juxta alios hunc praeceſſiſſe tradit annis LX. aut XC. De Italo etiam Atlante, cum natam Electram ferant Dardani matrem (primi ſcilicet Regis Trojanorum, pertinentis ad Saeculum XV. ante Aeram Chriſtianam), fateantur neceſſe eſt, a Cecropis aetate non elongari. Tertius quoque Atlas, utpote Majae pater, avuſque illius Mercurii, qui apud Tullium dicitur Tertius, atque ex Tertio Jove progenitus, neque anterior memoratis habendus eſt, cum tertius ordine memoretur, neque admodum recentior, cum Joves omnes, ac Mercurii praecedant Trojana tempora. De primo autem Atlante, qui Maurus, & Maximus, ſcribit Clemens Alexandrinus Stromatum libro primo pag. 307. quod primus *Navem fabricatus ſit Libys, & mare navigarit*. Fuiſſe autem

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Japeti filium, & Promethei fratrem cum asserunt antiqui Genealogi, & Poetae(apud Apollodorum scribentem libro primo pag. 6: *Japeto autem ex Asia Oceani filia nascitur Atlas, qui suis humeris Caelum sustinet; Prometheus item, & Epimetheus, ac Menetius, quem in Titanico bello fulminatum, in Tartarum detrusit &c.*)antiquiorem Cecrope statuunt, si ad Universalis Diluvii proxime consecutum tempus haec referunt; aequalem vero, si haec de Diluvio intelligant Deucalioneo & peculiari, cui Tabulae Arundellianae assignant Epocha IV. ann. XLV. post Cecropem. Est autem juxta Mythologos Promethei filius etiam Deucalion: de quo Prometheo Japeti filio & Atlantis Maximi fratre haec rursus tradit Servius in Eclogam Virgilii sextam: *Prometheus vir prudentissimus fuit: unde etiam Prometheus dictus est* ἀπὸ τῆς προμηθείας, *idest a providentia. Hic primus Astrologiam Assyriis indicavit: quam residens in monte*

Digitized by Google

te altissimo Caucaso, nimia cura & sollicitudine deprehenderat. Hic autem mons positus circa Assyrios, vicinus est pene syderibus. Unde etiam majora astra demonstrat, & diligenter eorum ortus, occasusque significat.

Colligitur itaque in universum, de tot Atlantibus a Servio indicatis ex veterum testimonio, floruisse identidem complures viros Sphaerica doctrina illustres, qui primam illius theoriam excogitarunt, & tractu temporis perfecerunt, & accomodarunt praxi cultus agrorum, & navigationis, a prima aetate post Universalem Cataclysmum (in qua ex Japeto Noemi filio (patre Insulanorum maris Mediterranei) suum Japetum ex Asia profectum & Maris Dominum, nempe Neptunum suum Graeci procuderunt, ut probatum fuit in Historia Universali cap. 18. num. 11.), ad aetates consequentes, in quibus navigandi ars sensim adolevit, donec per Argonautas maximum reciperet incre-

LIBER ANTIQUARIUS.

mentum. Hos igitur variarum aetatum viros induſtrios, Sphaericae theoriae, & praxeos cultores, & propagatores(qui idcirco finguntur Caelum fulſiſſe), intelligimus fuiſſe donatos non tam nomine,quam cognomento *Atlantis*: id ſiquidem profectum eſt a Graeco verbo ταλάω, contracte τλάω,quod indicat ſuſtinere.Nam & apud Aegyptios Atlantem vocari *Telamonem*,Ennius dicit, teſtante Servio, quos ſequitur Voſſius. Hercules vero Alcmenae filius, & ſocius Argonautarum, dicitur a Plutarcho verſatus cum Chirone, & Atlante;a quo Caelum fulciendum ſuſcepiſſe narratur juxta Plutarchum, Servium,ac Diodorum,propter Caeli ſcientiam ab eo perceptam. Idem quoque Hercules (Telamonis, & Pelei collega in Trojana expeditione, & Achillis,ab Aſtronomo Chirone Caucaſo ſecum eruditi),fingitur,Prometheum Atlantis Maximi fratrem, & antiquiſſimum, ut vidimus,Syderalis ſcientiae cultorem, olim

Digitized by Go

olim Caucaſo alligatum, poſt annos mille ſolviſſe non alia de cauſa, quam quod Aſtronomiae ac Sphaerae Caeleſtis doctrinam, (a Japeti liberis Prometheo & Atlante Maximo olim inchoatam, & a conſequutis aliis Atlantibus occaſione navigationum per plura Saecula perlatam ad varias oras maritimas & Inſulas Mediterranei, & Aegei, ab Argonautis vero perductam uſque ad Euxinum, & plurimum auctam ac nobilitatam figuratione Aſteriſmorum, inducta ad Stellas ſingulas internoſcendas, earumque ortus, et occaſus in artificialibus globis ac ſphaeris indicandos) amplificaverit ſuis cogitatis, atque pertulerit ad Gaditanas columnas. Videndus ea de ſolutione Strabo lib. xi. pag. 505: de ſphaerica vero doctrina per Atlantem Herculi tradita, conſulendus prae ceteris eſt Hiſtoricus Diodorus Sic. l. 4. ἀνθ' ὧν τὸν, Ἄτλαντα κἀρῳν quod ita reddit in Latina ſua verſione Laurentius Rhrodomanus nume-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

mero XXVII. ejuſdem libri: *Pro quo ille (Atlas) merito gratiam rependens &c. Aſtrologiae quoque ſcientiam non gravatim ipſum (Herculem) docuit. Singularem vir ille (Atlas) Aſtrologorum diſciplinae curam & operam impenderat: & quia Sphaeram Syderum artificioſe elaboratam habebat, totum humeris ſuis Mundum geſtare putabatur. Eodem modo Hercules etiam, cum doctrinam Sphaericam ad Graecos tranſtuliſſet, praeclaram obtinuit exiſtimationem, ut qui Mundi onus ab Atlante excepiſſet, cum obſcure, quid tum accidiſſet, ſignificaretur.*

Temperabo a pluribus congerendis de Atlante Caeli geſtatore, ex diverſis Aſtronomis efformato et in unum compacto, quem Statua Farneſiana repraeſentat. Unicum inferam auctoramentum, quod addit huic Statuae Atlantis Farneſiani Philoſtratus in imaginibus lib. 2. Videtur enim eandem figurare, dum Atlantem ſuum deſcribit

bit *incurvatum, atque oppressum, genuque alteri innixum, ac vix consistentem.* Qua de causa confictum a fabulis refert, ut Hercules sese obtulerit ad relevandum a nimio pondere oppressum senem, quasi ipse esset facilius gestaturus. Ostendunt igitur universa in hoc Simulacro expressa, non alium, quam Atlantem per illud repraesentari.

Hactenus instituta disquisitio, de Atlante per statuam repraesentato, referenda est ad indaginem nostri instituti primariam circa Globum Caelestem humeris ejusdem impositum: in quo Atlantis, sive Atlantum, hoc est Astronomorum Herculem Alcmenae praecedentium, reperta circa Sphaerae circulos et Asterismos a consequutis deinde professoribus Caelestis disciplinae retentos, oportet recognoscere. Et quidem duo sunt in Globo isto observabilia, nempe lineamenta Circulorum Sphaerae Armillaris partes mobiles constituentium, et figurationes Asterism-

LIBER ANTIQUARIUS.

rismorum a Graecis adhibitorum ad Stellas singulas suis in Globis Caelestibus appingendas, et aptandas propriis locis; unde ortus earundem, et occasus, aliaque phoenomena explicarentur: quae omnia deinde Eudoxus, Aratus, Cicero, Germanicus, aliique suis carminibus illustrarunt, Hipparchus vero, ac Ptolemaeus suis observationibus et Catalogis ad nos transmissis.

Mobiles Sphaerae circuli, nempe Aequator, Ecliptica cum lata Zodiaci fascia, uterque Colurus, et Tropicus uterque heic visuntur expressi. Polarium vero duorum in locum, sculpsit artifex duos eisdem parallelos, unum maximum semper apparentium, alterum semper latentium stellarum maximum, ad elevationem Polarem graduum circiter 40. aut 41.

Ex comparatione deinde circulorum Sphaerae, cum Asterismorum partibus in eosdem circulos incidentibus, quae notiones consequantur praecessionis

Digitized by Google

sionis Aequinoctiorum, aliaeque imprimis utiles ad perficiendam Astronomiam, necnon ad Chronologiam, & Historiam inde firmandam, apertum fiet, postquam singillatim explicuerimus sectiones Globi universas, & Asterismos eidem inscriptos a vetusto illo Artifice, qui diligenter a se curatum hoc veteris Astronomiae monumentum ad nos transmisit.

CAPUT SECUNDUM.

De Globi Sectionibus, Circulis, & Imaginibus: unde infertur, in illo expressa Asterismorum dispositio, juxta Arati Phoenomena, & Fixarum situs, qualis erat aetate Ptolemaei, hoc est imperante Antonino Pio.

PIgeret me de serio argumento agentem, scientiae scilicet Astronomicae, & Chronologicae veterum Mathematicorum, diutius immoratum fuisseCapite praecedenti in Atlan-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tis, & Herculis memoria, & geſtis, quorum hiſtoriam tot fabulis interſperſit Poetarum licentia, ut propemodum obruta illius veritas ab ingeſtis commentis videatur; pigeret me, inquam, illi diutius immoratum fuiſſe, niſi confiderem ex his, quae ſequuntur, noſtro in Globo conſiderandis, apertum iri tot ſemitas ad veros Aſtronomiae, & Chronologiae progreſſus intelligendos, ac demonſtrandos; ut inde pateat regreſſus ad vindicandum a fabulis quidquid certi ſtatuerant Heroicae Aetatis Aſtronomi, licet per injuriam poſterorum, male feriatis litteratoribus ſubinde, mancipatum. Age igitur, cum de ſimulacro Atlantis Globum Caeleſtem ſulcientis ſatis loquuti ſimus, jam de Globo ipſo, in quem praecipue tendit ratio inſtituti noſtri, ſit ſermo.

Monuimus ſupra, inſculptos eſſe Globo, tum Sphaerae circulos, tum Aſteriſmos. Ex circulis, qui in Sphaera dicuntur mobiles, indicavimus deeſſe

Digitized by Google

esse heic Polares duos, eorumque loco fuisse ab Artifice expressos totidem parallelos, quorum unus est semper apparentium maximus, alter maximus semper latentium, ad elevationem Poli graduum quadraginta quamproxime, seu 41. Patet id evidenter ex commensu arcus graduum circiter 27. in utroque Coluro secti, progrediendo a Tropicis, ad hosce Circulos Tropicis parallelos. Si enim addideris gradibus 23. & semis (quanta est declinatio Tropici ab Aequinoctiali) gr. 27. indicatos a Tropico, ad circulos supradictos, summa erit graduum quinquaginta cum semisse. Supersunt itaque inde ad Polum gradus quadraginta, indices elevationis Poli supra Orizontem regionis, cui Circulus ille definit stellas in eo clima-te semper conspicuas, & idcirco dicitur Maximus semper apparentium.

Ex hujus Circuli indicatione perspicuum fit, ad Macedonicum Clima fuisse ab Artifice elaboratam Sphaerae θέ-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

σιν, atque adeo juxta Arati phaenomena: quem in eo Climate verſantem (utpote accitum ab Antigono Gonata Macedoniae Rege Demetrii Poliorcetis filio ad Eudoxi Speculum ſuis carminibus illuſtrandum) exegiſſe conſtat ad ejuſdem Climatis poſitum ſua phaenomena, monentibus Petavio, & Voſſio ex Achille Tatio.

Nec ſponte (inquit Voſſius de Arato loquens in libro de Illuſtribus Mathematicis ſ. 19.) *hoc Poema condidit, ſed juſſu Regis Macedoniae, qui ajebat, ſic Eudoxum ab eo redditum iri* εὐδοξότερον. *Is Rex Antigonus Gonatas, Demetrii Poliorcetae filius, Seleuci Nicatoris gener; quo tempore Ptolemaeus Philadelphus in Aegypto regnabat. Cum vero pangeret hoc Poema, Sphaerae θέσιν conſtituit ſecundum clima Helleſponti, ac Macedoniae, ut ad* Φαινομένων *cap. XXV. Achilles Tatius adnotavit. Atque inde Theo in Scholiis emendandus, apud quem legitur vulgo:* πρὸς τὸ κλίμα τοῦ Ἑλλησπόντου καὶ Λα-

κε-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

κεδαίμονος δοκεῖ τὴν τῶν φαινομένων πραγματείαν συνθεῖναι καὶ ἐςι πιθανὸν ἐκεῖσε διατρίβειν, ἔνθα καὶ τοὺς λόγους ἐποίησεν. Ad Helleſponti, & Lacedaemonis clima videtur phaenomena ſua accomodaſſe: ac veriſimile eſt, ibi illum viſſe, ubi & libros ſuos conſcripſit. *Nam quis ignorat, Lacedaemona non eſſe ejuſdem climatis ac Helleſpontum! ſed Macedoniam; ut quoque proditum ab Achille Tatio, & apud Theonem legi oportere, monuit Dionyſius Petavius in Auctario Operis* de Doctrina temporum *lib. 4. cap. VI.*

Geminus in Elementis Aſtronomiae cap. IV. quinque circulos in Sphaera parallelos ſtatuit, Aequinoctialem ſcilicet, duos Tropicos, & Maximum ſemper apparentium, quem vocat *Arcticum circulum*, & Maximum nunquam apparentium, quem dicit *Antarcticum*: Polares vero duos, quos Sphaerae noſtrae loco duorum modo recenſitorum continent, ductos per Polum Zodiaci ex Polo-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Polo Mundi non recenſet. Maximum ſemper apparentium, in ſuo climate deſcribi affirmat ab anteriori pede Urſae Majoris, ex quo Petavius colligit aptari elevationi Poli gr. 37. vel 38. Idem praeſtat Achilles Tatius in *Iſagoge*, ſectione 25. ſed Arateae deſcriptionis clima docet eſſe Helleſponti, Macaedoniae & Graeciae.

Sufficere poteſt haec una indicatio, ad recognoſcendum, in Globo Farneſiano imagines Aſteriſmorum juxta Arataeam delineationem diſpoſitas fuiſſe. Verum, quia, retentis Arati Imaginibus ſive Aſteriſmis, ejuſque Methodo deſcriptionis, obſervatus eſt per Hipparchum, & per Aſtronomos hunc conſecutos, ſitus Aequinoctiorum ſubinde recedere a prima Stella Arietis Aſteriſmi contra ſignorum ordinem, ſive, quod idem eſt, fixas eaſdem, ac reliquas progredi ultra ſectionem Aequinoctii verni juxta Signorum ordinem, ita ut pro aetatum ſucceſſione variare neceſſe

Digitized by Google

ſe ſit diſtantiam imaginum ſtellatarum a punctis cardinalibus Aequinoctiorum, & Solſtitiorum; idcirco praeſtat diſquirere, ad cujus aetatis Epocham referenda ſit poſitio Stellarum ſive Aſteriſmorum hoc in Globo ſervata.

Breviter dicam, ſtellarum poſitus, ex collocatione Imaginum, ſive Aſteriſmorum heic expreſſos, evidenter oſtendere, a Globi hujus Artifice repraeſentatam fuiſſe conſtitutionem earundem, qualis fuit a Claudio Ptolemaeo obſervata, & in Catalogum redacta ſub initium Imperii Antonini Pii, ad Epocham ſcilicet ab eodem Aſtronomo praefixam ſuis Tab. lib. VII. cap. V. *Almageſti*.

Id ut evidenter oſtendam, ſatis eſt exhibere fideliter proſpectum Globi, ut, ex commenſu diſtantiae praecipuarum fixarum (quae certis Aſteriſmorum in partibus collocantur) a ſectionibus Aequatoris cum Ecliptica, & a Signorum XII. inde ductis initiis, patere cuique poſſit, eandem Epocham heic reddi, quam

Digitized by Google

expendere arcus interceptos inter stellarum loca,& sectiones Eclipticae cum Aequinoctiali, unde consensus explorandus est figuratarum hocce in Globo Imaginum, & loci fixarum cum assignatis a Ptolemaeo.

(a) Contemplemur itaque in primo Iconismo Globi prospectum ex Coluro Aequinoctiorum, qua parte Vernam sectionem inspectantibus offert. Adnotavi in calce Iconismi,hoc in prospectu repraesentari per lineam A G B Circulum Ascensionis rectae, ductum per Polos Mundi, & per Cornu Arietis, primam scilicet Stellam in eo Asterismo coeteras praecedentem,Bayero notatam γ. Hunc tamen Circulum, non dixi Colurum Aequinoctiorum; nam Colurus ille ex Mundi Polis ducendus est per Vernam intersectionem Aequinoctialis cum Ecliptica. Circulus per primam Arietis ductus ex Mundi Polis, fuisset Colurus Aequinoctiorum aetate

(a) *Tab. III.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Hipparchi, ante CHRISTI Aeram anno circiter 160; cum tunc temporis Circulus Aſcenſionis rectae per indicatam interſectionem ductus pervaderet Stellam eandem, quam nominant *primam in Cornu Arietis*. Nam ſcite adnotavit Petavius in Auctario *Doctrinae Temporum* lib. 2. cap. IV. ſtellam eandem tunc pertigiſſe ad gradum 3. cum minutis 9. circiter Arietis Signi in Ecliptica in latitudine Borea, quam ſervat gr. 7. 9'. cui propterea deberi aſſerit Aſcenſionis rectae gr. 359. 58', ſive ex Tabulis Vitalianis gr. 360. 2, nempe eandem fere, quam cardini Vernae ſectionis Colurus Aequinoctiorum aſſignat. In Globo autem Farneſiano Circulus Aſcenſionis rectae A G B per cornu Arietis tranſiens, ſecat Aequinoctialem in O, quem Ecliptica ſecat in puncto X ita ut Arcus OX graduum circiter trium intercipiatur inter Circulum Aſcenſionis rectae per Cornu Arietis, & Circulum per cardinem Ver-

Liber Antiquarius.

Vernae ſectionis, ſive Colurum Aequinoctiorum. Haec itaque poſitio Aſteriſmorum in Globo noſtro expreſſa, attribuit primae Arietis Stellae gradus 3. rectae Aſcenſionis, quanta ſcilicet ei debebatur ſub initium Imperii Antonini, quo tempore ex obſervatis ſuis Ptolemaeus eandem collocat in longitudine grad. 6. 40. cum latitudine Borea gr. 7. 20. Huic longitudini, ac latitudini relatae ad Eclipticam, ex Doctrina Sphaerica reſpondent Aſcenſionis rectae in Aequinoctiali gr. 3. 15'. Rurſus ſi intelligatur ad planum Ecliptica R X Z ſupra Vernam interſectionem ſeu cardinem X ductus circulus longitudinis ad rectos angulos verſus Polum Zodiaci paulo ſupra L, & alius Circulus longitudinis ex eodem Zodiaci Polo per Cornu Arietis producendus ad Eclipticam; arcus Ecliptica ab utroque interceptus oſtendet, inter ſextum, & ſeptimum longitudinis gradum verſari eam Stellam, in quo

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

eandem reperit Ptolemaeus.

Graduum, quos in Globo numeramus, menſura capitur ex intervallo Tropici ab Aequinoctiali: quod ſcimus conſtare gr. 23. & ſemis. Quare ille arcus, ſcalae, ut vocant, loco adhiberi poteſt in ſuperficie Globi, & ſervata Perſpectivae lege, ſatis quoque poteſt noſtro in Iconiſmo recognoſci.

Comparatio altera huic Stellae adhibenda eſt, ut conſtet undequaque, Stellarum poſitus ab Artifice hujuſce Globi exactos eſſe ad initium Imperii Antonini juxta Epocham Ptolemaei. Vidimus illius longitudinem in Globo conſignatam, qualis fuerat aetate ſua reperta a Ptolemaeo ſub initium Antonini Pii, hoc eſt anno ejus Imperii ſecundo, qui fuit Aerae CHRISTI 140. Erat vero longitudo in Ecliptica in gr. 6. 40. Arietis Signi, in Dodecatemorio non ſtellato. Eadem aetate noſtra reperta eſt a Flamſtedio, aliiſque Aſtronomis, diligenter obſervantibus, anno

Ae-

Liber Antiquarius.

Aerae Christianae 1690. desinente, progressam ad gradum ejusdem Signi Arietis 28. 51. Progressa itaque fuerat ex anno 140. ad 1690. (spatio scilicet annorum 1550.) per longitudinis gradus 22. 11. Constat ex universorum Astronomorum observatis diligentissime collatis, fixarum motus in longitudinem spatio annorum 71. absolvere gradum unum; quinque vero gradibus progredi spatio annorum 355. & decem gradus absolvere annis 710. Quare progressus annorum 1550. fuerit graduum 22. circiter, qualis recognoscitur ex comparatione loci hoc in Globo occupati a prima Stella in Cornu Arietis, Romae imperante Antonino Pio, ad locum ejusdem diligentissime observatum a nostratibus Astronomis anno 1690, Urbem, & Ecclesiam moderante Alexandro VIII.

Possem exempla paris progressus ex hoc primo Iconismo adnotare aliis in Asterismis ibidem expressis. Verum pro-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

properandum est ad Iconismum secundum, ut in eo pariter, ex plano Coluri Solstitiorum, cognoscantur Stellae in Globo Farnesiano occupare loca ad eandem Antonini Epocham a Ptolemaeo observata, earumque progressus ab illa aetate ad nostram paria facere cum adnotatis in primo Iconismo, & par intervallum temporis indicare.

In Asterismo Geminorum Lucida in Capite seu Collo subsequentis Geminorum, sive Pollucis, ita dicta a Bayero, & signata B. ex dispositione Iconis in Globo expressae, videtur quatuor circiter gradibus distare a Coluro Solstitiorum. Exprimitur itaque ab Artifice hujus Globi circa gradum 26. Dodecatemorii Geminorum. Ibidem collocat Ptolemaeus, affigens gr. 26. 40. ejusdem signi. Recte id pariatur cum progressu annorum 1550. a Ptolemaeo ad nos evolutorum; cum nostrates Astronomi in Tabulis anni 1690. eandem referant ad gr. 18. 56' Cancri. Ex gradu

du enim 26. 40. Geminorum, ad gr. 18. 56'. Cancri, numerantur gradus 22. 51'. quot ferme reperti fuerant in superiori Iconismo, dum progressum primae Stellae Arietis contemplaremur ab aetate Ptolemaei ad nostram. LIBER ANTIQUARIUS.

Rursus in Asterismo Canis Majoris, fulgentissima Stella in ore extremo ejusdem Imaginis figurata & *Sirius* dicta, collocatur a Ptolemaeo in gr. 17. 40. Signi Geminorum. Distat propterea a Coluro Solstitiorum gradibus 12. 20. Totidem colliguntur ex mensura circini Globo applicata. Progressus vero aetatis nostrae, qua delata fuit anno 1690. ad gr. 9. 49'. Cancri, prodit pariter gradus 22. cum aliquot minutis juxta longitudinem emensos spatio annorum 1550, quot in superioribus comparationibus reperiebantur.

In eadem Costellatione Canis, cauda ejus, paulo ultra Colurum Aestivi Tropici in Globo prominens, respondet positioni ejusdem Stellae in Cauda, quam

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

quam Ptolemaeus aſſeruit a ſe repertam in gradu 2. 1d. Caneri. In Tabulis Flamſtedianis anno 1690. conſtituta aſſeritur in gradu 25. 12'. ejuſdem Signi. Quare progreſſus indicatur gr. 23. 2'. exigua cum differentia a ſuperioribus.

Conſulamus & Iconiſmum Tertium, in quo Circulus Aſcenſionis rectae A B C non ducitur per cardinem Aequinoctii Autumnalis D, ſed per gradum ab illo circiter tertium B: nam idem circulus eſt, qui in primo Iconiſmo per tertium Arietis non ſtellati gradum ſimiliter permeabat. Satis ex hoc indicio manifeſtatur aetas Ptolemaei in Aſteriſmis Globi expreſſa per Aſcenſionis rectae circulos, Stellas ſingulas permeantes. Sed obſervemus Alam Virginis Auſtralem, cujus partem ſummam ſecat initium ſigni Virginis in Dodecatemorio non ſtellato per arcum S T heic expreſſum. Ptolemaei Tabulae collocant ſtellam in ſumma Ala Virginis Auſtrina figuratam, quam

quam Stellam Bayerus indicat littera B. & appellat *in Ancone*.

Liber Antiquarius.

Ala *Auſtrina* in gr. 29. Leonis: (ubi etiam ab Artifice Globi ſtatuitur), Anno Aerae Chriſtianae 1690. pervenit ad gr. Virginis 22. 46'. conſueto ferme progreſſu, ſi Tabulas Flamſtedianas attendimus. Pes vero Auſtrinus ejuſdem Aſteriſmi Virginis in Globo Farneſiano occupat gr. 10. circiter Librae, numeratum a Cardine Aequinoctii, ſeu ab interſectione Ecliptica cum Aequinoctiali. In decimo gradu Librae recenſetur etiam a Ptolemaeo. Poſt annos autem 1550. nempe Aerae Chriſtianae 1690. ex Tabulis Flamſtedianis cognoſcitur perlatus ad 2. 38' Scorpionis: progreſſu ſcilicet toties deprehenſo graduum 22. & ſemis circiter.

Succedit Iconiſmus Quartus, ſpectatorem Globi conſtituens in producto plano Coluri Solſtitiorum per Cardinem Hibernum Capricorni. Reſpondet commenſus iſtius Quadran-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tis cum reliquis ſupra conſideratis. Nam in Aſteriſmo Capricorni duae Stellae in radice ſubſequentis cornu junctae, gradibus circiter ſeptem elongantur a Coluro Solſtitii Hyberni. Sunt igitur in ſeptimo ejuſdem Signi gradu a ſculptore Globi indicatae, quemadmodum a Ptolemaeo enunciantur, una ſcilicet in 7. 2d. alia in 7. 4d. Capricorni. Anno 1690. unam Flamſtedius reperit in gr. 29. 27, aliam in 29. 32. ejuſdem Signi: conſueto progreſſu in longitudinem gr. 22. cum quadrante circiter toties deprehenſo.

Quae in ore Cygni, Bayero B. litera notata, a Ptolemaeo ſtatuitur in gr. 4. 3d Capricorni, ubi conſtituta etiam in Globo apparet.

Hanc Flamſtedius reperit ann. 1690. in gr. 26. 55'. perinde promotam gr. 22. & ſemis circiter, ut ſuperiores.

Non ſecus viſitur in Lucida Aquilae, quae in ejus Aſteriſmi occipite indicata a Ptolemaeo aetate ſua refertur ad gra-

gradum 3. 50 Capricorni. Si in Globo noſtro diſtantia ſumitur occipitis Aquilae a Coluro, deprehenditur graduum ferme 4. qualis a Ptolemaeo ſtatuta eſt. Eadem ſtella progreſſu facto ad gradum 27.23'. ejuſdem Signi, juxta laudatas Tabulas Flamſtedianas paria ferme feciſſe cum praecedentibus recognoſcitur ad annum 1690.

Ad aetatem igitur ab Aſtronomo Ptolemaeo ſuis Tabulis praefixam, nempe ad annum Imperantis Antonini ſecundum, Aerae Chriſtianae 140, refertur ſitus fixarum, in Aſteriſmis expreſſus ab Artifice Globi Farneſiani.

Stylum quoque ejuſdem aetatis praefert ſculptura ſimulacri Atlantis, & imaginum in Globo ſignatarum: ita ut conjicere inde poſſimus, ſculptum fuiſſe hoc marmor, & Antonino Pio oblatum ad ornamentum Bibliothecae, una cum fixarum Catalogo per Ptolemaeum exacto ad ejus Imperii Epocham, curantibus iiſdem Profeſſoribus

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

eruditis ; quos, ad inſtitutionem Filiorum, ac praecipue M. Aurelii Antonini, qui Philoſophus dictus eſt, adhibuit frequentes, teſte in ejus Vita Capitolino. Videtur quoque apte repraeſentatus idem Atlas & Globus, una cum Jove Belo, in Nummo ejuſdem Principis Antonini Pii, praeferente notam completorum Vicennalium Imperii in Tribunicia Poteſtate xx: ut univerſos nempe complecteretur progreſſus Aſtronomiae, & Doctrinae Temporum, collectos ex obſervatis Aſſyriorum, per Jovem Belum ſignificatis, nec non Aegyptiorum, ac Graecorum, indicatis per Atlantem, & Globum Caeleſtem, Aſteriſmis ita inſcriptum a Graecis, & ad eam methodum perductum, quam obtinuit ſub Antonino. Ratum eſt enim, hujuſmodi Nummos, praeſertim ex aere maximo, adhibitos fuiſſe ad ſeriem Temporum, Epochaſque conſignandas in Feſtis annuis, Ludiſque ſolemnibus Populorum, & Urbium; ut eiſdem

Digitized by Google

eiſdem ornarentur coronae Victorum, Praeſidentium, & Aſſiſtentium, tam in Olympicis certaminibus, Iſthmicis, Pythicis, aliiſque innumeris apud Graecos, quam apud Romanos in Capitolinis, Magnis Circenſibus, Saecularibus, ceteriſque tum in Urbe, tum extra Urbem, & in Provinciis celebratis. Quare conſpicimus, perſaepe cuſas in eiſdem Nummis, una cum indiciis annorum Urbium, Regum, Caeſarum, etiam notas Solis, & Lunae, Planetarum, & Signorum Caeleſtium, unde temporum ordinatio deſumebatur, ad Ludos eoſdem repetendos ex legum Patriarum praeſcripto: quemadmodum alibi comprobatum a me fuiſſe reor in libro de Cyclo Caeſaris, ubi haec exempla retuli Signorum Caeleſtium in ejuſmodi numiſmatibus expreſſorum, quae duplex Tabella inſerta complectitur.

Quidquid attamen ſit de conjectura hujus ſimulacri in Nummo repraeſentati,

Digitized by Google

Liber Antiquarius.

tati, certum est, Astrorum loca in Globo consignata referri ad Epocham Antonini Pii, a Claudio Ptolemaeo (tunc in Aegypto observante) suis Tabulis praefixam.

CAPUT TERTIUM

Ostenditur qua ratione in hujus Atlantis Simulacro, & Globo Caelesti Sphaerae circulis compluribus insculpto, necnon Asterismis Arataeis, ac Ptolemaicis, indicentur pregressus Doctrinae Sphaericae, & Astronomicae, per aetatem, quam vocant Haeroicam, & consequentes, usque ad Saeculum Antonini: & primo de re Astronomica ante Trojana tempora.

QUamvis Caelestis Globus ita signatus a Sculptore repraesentet Astrorum loca per Ptolemaeum Astronomum observata sub initium Imperii Antonini; attamen fulciendus imponitur collo ac dorso Atlantis Astronomi scilicet Ptolemaeo longe vetustioris. Sive enim ex Atlantibus fit ille antiquissimus, quem dicunt Jape-

Liber Antiquarius.

Japeti filium, & Promethei fratrem, aetatis scilicet a Diluvio proximae; sive sit ex Atlantibus ille recentissimus, qui Herculis Alcmenae habitus est Magister; utrovis modo suscipias, semper necesse fuerit, fulcrum hoc intelligere, supra annos mille vetustius fulcito per ipsum Globo. Neque id tamen vitio vertendum est, aut dicenda imprudenter facta complexio Atlantis cum Globo Ptolemaei. Indicat enim ista connexio successiones progressuum, quos Astronomica disciplina sensim percepit, ex quo, primis ac simplicioribus Sphaericae Doctrinae praeceptis ab Atlante Maximo & antiquissimo traditis per aetatem a Diluvio proximam, veluti jactis illius Scientiae fundamentis, superstructa sunt theoremata, & praxes succedentium per plura Saecula Astronomorum; tum aetatis, quam vocant, Heroicae, tum Historicae, quae consequitur; donec ad Antonini, & Ptolemaei Astronomi

annos

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

annos devoluta tot ingeniorum monimenta, novis obſervationibus perducta ſint ad illum perfectioris diſciplinae gradum, quem Globus oſtendit. Et ſcite quidem Virgilius Atlanti Maximo attribuit prima & faciliora doctrinae Sphericae documenta, dum aetate Aeneae crinitum Jopam induxit Aeneid. I. cythara canentem ea, *docuit quae Maximus Atlas.*

Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores &c.

Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.

Verſatur itaque, juxta Virgilium, Atlantis Aſtronomia in Sphaerae circulis conſiderandis, noſtro pariter in Globo expreſſis, nempe Ecliptica, & Zodiaco, (per quos explicat

Errantem Lunam, Soliſque labores:),

& in utroque Tropico Sphaerae apponendo, ut oſtendat,

Quid

Digitized by Goo

Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hyberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.

Recenſet quidem

Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones

inter Atlantis reperta, per Jopam celebrata. Nullum tamen, prèter hos quatuor, Aſteriſmum Atlanti attribuit: propterea quod reliqui fere omnes a recentiori aetate, poſt Atlantis Maximi aevum, nomina, quae praeferunt, obtinuerunt. Hyadas Atlanti memoratas refert, quae etiam dicuntur Atlantides, &, Servio teſte (in primum Georg. pag. 82.), aliquibus etiam Heſperides; licet haec nomina alii Plejadibus proximis accomodent, alii utriſque: nempe ſortiuntur nomen ab *Atlante*, vel ab *Heſpero* Atlantis Fratre, utroque Japeti filio; propterea quod matutinus iſtarum exortus Heliacus, qui aetate a Diluvio proxima, ad quam

LIBER ANTIQUARIUS.

Japetus cum filiis refertur, incidebat circa Aequinoctium Vernum, primis illis obſervatoribus indicaret Veris initium: quemadmodum & occaſus earundem matutinus, per eadem tempora Japeti & Atlantis, ferme pariabatur cum Aequinoctio Autumnali. Obſervabiles vero prae ceteris redduntur etiam noſtratibus Agricolis praecipue Plejades. Virgilii aetate ſationis tempus ferebant in occaſu ſuo matutino, unde ait:

Ante tibi Eoae Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat Stella Coronae,
Debita quam ſulcis committas ſemina, quamque
Invitae properes anni ſpem crederterrae.
Multi ante occaſum Majae coepere;
ſed illos
Expectata ſeges vanis eluſit avenis.

Haec aſtra Virgilius recte conſtituit aeta-

aetate ſua ſationis tempus oſtendere, in occaſu Coſmico matutino, propterea quod progreſſus eorundem juxta Signorum ordinem ita ferebat, ut occaſus iſti in climate noſtro contingerent menſe integro evoluto poſt Aequinoctium Autumni. Annis vero bis mille circiter ante Virgilium (quae aetas Japeti, Atlantis Maximi & Heſperi fratris, fuit,) circa ipſum Aequinoctium Autumnale Sole oriente occidebant, & circa Aequinoctium Vernum occaſus Heliacus Plejadum celebrabatur. Quare navigationis auctores primi, (quos inter habetur Atlas ille Maximus, ut ſupra oſtendi ex Clemente Alexandrino Stromatum lib. 1. p. 307. *quod primus Navem fabricatus ſit Libys, & mare navigarit*), hoc tempus opportunum experti ad navigandum, quod tunc parabat Heliacum occaſum Plejadum, ſubeuntium radios Solis, Vernae Sectionis cardinem attingentis, eaſdem Stellas a verbo πλεῖν, ideſt *navigare*,

Liber Antiquarius.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

πλειάδες appellarunt, uti in ſuo Caelo Aſtronomico Caeſius obſervat pag. 35. ubi etiam addit, fingi idcirco a Poetis, eaſdem Stellas Atlantis filias, prognatas ex Plejone Nympha, vel ex Heſperida, nata ex Heſpero Atlantis fratre: unde promiſcue vocantur *Heſperides*, & *Atlantides*.

Arcturi quoque Sydus, geminoſque Triones

apte nominavit Poeta, potius quam *Booetem*, & *Urſas*, cum de Atlantis Aſtronomia, & Sphaera loqueretur. Nam *Triones* gemini, ſeu *Septentriones*, a primis illis Caeli obſervatoribus *Plauſtra* nuncupati ſunt. *Urſarum* nomen ſerius intuliſſe Thaletem apud Phoenicas ſuos, refert Callimachus apud laudatum Caeſium pag. 106. Plauſtrum majus, & minus, ex ſimilitudine curruum, quatuor rotis ac temone inſtructorum, appellavit aetas antiquior (neque dimiſſa eſt unquam vetus haec appellatio), quae ad agrorum cultu-

ram

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ram vitae neceſſariam referebat obſervationes tempeſtatum anni ex ſitu earundem Stellarum. Vetuſtis quoque Sinenſibus anni principium olim fuiſſe deſignatum ex inſpectione Plauſtri majoris, Nicolaus Trigautius auctor eſt, uti obſervat idem Caeſius pag. 109. ita ſcribens, cum agit de Helice, ſive Urſa majori: *Hoc Signum, teſte Nicolao Trigautio in Literis Sinicis, olim Sinenſibus annorum principium deſignabat. Obſervabant enim, cujus menſis initio Urſae majoris Stellae, quae in cauda haerent, poſt Solis occaſum, in media noctis hora circa axem Boreum volverentur: & ab eo mense annum inchoabant.*

Hujus delectus cauſam indagabimus (a) Parte ſecunda, quando agendum erit de origine Aſtronomici ſtudii apud Sinas: ubi confido oſtenſum iri ſatis evidenter, tum hac ipſa ex obſervatione, tum ex aliis cum illa cohaerentibus, conſtare poſſe, annis tantummodo bis mil-

(a) *Morte praeventus Patruus meus amantiſſimus vota ſuſcepta non ſolvit.*

Digitized by Google

mille circiter ante Aeram Chriſtianam, apud illos perinde, ac apud nos, prima rudimenta coepiſſe ſimplicioris illius Doctrinae Sphaericae, & Aſtronomicae, quae ad exercendum cultum agrorum, ordinanda tempora civilia, & capeſſendas navigationes, erat neceſſaria. Porro Poeta noſter, cum utroque Plauſtro, minori, ac Majori, ſive Septentrionibus, memoratum fuiſſe canit ex Atlantis diſciplina etiam *Arcturum*, majori Plauſtro proximam Stellam, & *Plauſtri Cuſtodem* appellatam; quia ſcilicet, ante Aeram CHRISTI, mille ſexcentis circiter annis, cum fixae omnes tenerent 45. gradus longitudinis, minus quam hodie habeant, Arcturus i qui hodie pertigit ad gr. 20 Librae, cum latitudine Borea gr. 31, tunc verſabatur in quinto gradu Virginis cum eadem latitudine: propterea obtinebat Aſcenſionis rectae a ſectione Verna gr. 171; Urſae vero Majoris poſtrema, in Cauda, quae nunc pervenit ad gr. 23 Vir-

LIBER ANTIQUARIUS.

23 Virginis cum latitudine Borea gr. 54. 24', tunc verſabatur in gr. 8. Leonis cum eadem latitudine: unde Aſcenſio ejus recta erat graduum fere 165. Sicut igitur per ſemihoram fere appulſus Arcturi ad Meridianum, aut alium Circulum horarum, ſubſequebatur appulſum ultimae in Cauda Helicis, ſive in extremo temone Plauſtri Majoris; ita per aliam ſemihoram a tranſitu Arcturi per meridianum, appellebat ad eundem Circulum ſectio Aequinoctii Autumnalis. Poterant igitur primi illi obſervatores, Georgicae, & Nauticae rudes Magiſtri, utpote primi, ex tranſcurſu utriuſque ſtellae, Plauſtri, & Arcturi, per Meridiani planum, aut per alium Circulum horarum aequalium Aſtronomicarum, facile explorare ingreſſum Solis ad puncta cardinalia utriuſque Aequinoctii, ac Solſtitii, atque ita ordinare tempeſtates anni ad terrae culturam, & maris curſus feliciter peragendos: quod Atlantis

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tis Maximi ex inſtitutis profectum Virgilius merito innuit, ſilens ulteriores progreſſus, poſt ipſum additos Aſtronomiae.

Sunt igitur (ut in Hiſtoria Aſtronomica ſiſtamus quantum licet per Heroica tempora) inventa Atlantis primi, ſeu Maximi, nempe aetatis a Diluvio proximae, & per annos pluſquam quingentos inde conſecutae, haec, quae recenſeo: ſcilicet I. Siſtema quoddam Sphaericum, per circulos artificialis Sphaerae oſtendens Caeli converſionem circa Axem Mundi, & Planetarum circa Axem Eclipticae. II. Polorum utriuſque converſionis deſignatio, ex Plauſtri utriuſque Stellis, aliiſque utrique Polo proximis. III. Tropicorum indicatio, & Aequinoctiorum, ex Circulis Aſcenſionis rectae per puncta Signorum, quae hodie dicimus cardinalia; unde anni vertentis partitio in menſes, ac dies, rite deſumeretur; & proponerentur Kalendaria Ru-

Digitized by Google

Liber Antiquarius.

Ruſtica, ad opera Georgica & Nautica tutius exercenda. Atlanti Maximo haec referuntur accepta: quae ſcilicet partim intulit Libyae, ex Aſia, Aſſyriiſque obſervatoribus, juxta eos, qui eum Aſiae filium, & Promethei fratrem vocant; partim ab Aegyptiis Aſtronomis ipſi commonſtrata, ex eorum ſententia, qui edoctum referunt Atlantem etiam in Aegypto, ubi a Chami poſteris haec Studia excolebantur.

Certe apud Aegyptios Mercurius ille Taautus, qui dicitur apud Euſebium, (*a*) Caeli imaginem edidiſſe, deinde etiam Icones Planetarum, refertur ad Saeculum alterum poſt Diluvium, ut in Hiſtoria Univerſali adnotavi cap. xix. Quare etiam in antiquo Anaglypho in Villa Julii III. per Boiſardum expreſſo, et producto etiam a Kirchero in Obeliſco Pamphil. lib. 4. & ab Hervaſto in Theatro Hieroglyphico, Mercurius ille Taautus Aegyptius,

(a) *Praeparat. Evang. lib. I.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Canino capite insignitus ad indicandam sagacem viri industriam, dextera manu tenet Sphaeram Armillarem, instructam pluribus circulis in Polum coeuntibus, aliisque tribus Aequinoctialem ac Tropicos referentibus; manu vero sinistra tenet Caducaeum, in quo duplicem nodum, ex draconum implexu factum, suo loco ostendemus esse Polos duos, unum Mundi, alterum Eclipticae, ab eo, & a suis aequalibus observatos, quos in nodis Asterismi Draconis collocarunt primi illius imaginis Auctores, & ab eadem virga pervasos repraesentarunt, eo quod ipsorum aetate, planum ductum per flexus indicatos Asterismi Draconis, continebat utrumque Polum Mundi, & Eclipticae: quod etiam ex vetustissimis Sinensium Asterismis, eorumque appellationibus ea tempestate usurpatis deduci demonstrabo in Parte Secunda. Cum igitur apud Aegyptios aetate Taauti (quem statuimus ha-

haberi posse eundem ac Chanaam, Chami sive Jovis Hammonis filium) videamus compactam Sphaerae Caelestis imaginem quamdam, cum memoratis indicationibus circulorum, & Polis utriusque Conversionis Mundanae, ac Planetariae; jure possumus opinari, Atlantis ejus Maximi Sphaericam disciplinam, perlatam ad Lybiam, & ad Graecos, ab eo haustam fuisse non modo ab Assyriis, sed etiam ab Aegyptiis, & Phoeniciis, quibuscum consueverat, ex occasione suarum navigationum. Neque aliter sentiendum est, etiamsi Atlas alter, Cecropi aequalis, habeatur promotor illius disciplinae apud Graecos. Est enim apud Aegyptios Taautus secundus, ad Mosis aetatem referendus, uti ex Manethone ac Syncello Marshamus adnotavit, & nos cum illis Historiae Univ. cap. xxx. num. 4; idemque habitus inter antiquissimos Auctores Astronomiae, a quo Atlas alter, perinde ac vetustior, a Taauto primo acceperit rudi-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

menta Sphaerae Caeleſtis, quae deinde pertulit per Oras & Inſulas Maris Mediterranei.

De primordiis itaque Sphaericae Inſtitutionis, & Aſtronomicae per Atlantem, & Sphaerae Circulos in hoc monumento ſignificatis, haec attuliſſe ſufficiat. Procedimus jam ad inſpectandos ulteriores progreſſus ejuſdem Diſciplinae per confecuta Saecula aetatis, quam vocant Heroicae, hoc in Globo pariter indicatos. Sunt vero progreſſuum illorum indices, Aſteriſmi, ſive Imagines a Graecis delineatae ſuis in Globis Caeleſtibus circa aetatem Herculis Alcmenae filii, qui ſocius fuit Argonautarum non multo ante expeditionem Trojanam, cui Hercules ipſe pariter interfuiſſe memoratur. Priuſquam vero exponam additamenta Herculis illius aetate apud Graecos conlata ad ſtudium Aſtronomicum perficiendum, liceat mihi ex alio Farneſiani Palatii praeclaro monu-

monumento ejusdem Herculis Gesta produceret: quae non gravate ferent Lectores copulari hujusmodi Scientiarum exordiis; cum insimul exhibeant prima documenta Literarum, & Inscriptionum, quae memorantur ab Historicis antiquissimae, & in Templis dedicatae ab Herculis patre Amphitryone.

Liber Antiquarius.

CAPUT QUARTUM.

Tabella vetus marmorea Figuris Anaglyphis sculpta, & literis inscripta, quibus Herculis Gesta continentur, ex Museo Farnesiano producitur, ac declaratur, ad confirmandam Temporis Heroici Chronologiam.

CUM ea, quae dicturi sumus de documentis Chronologiae & Historiae temporis Heroici, provenientibus ex Globo Farnesiano, ejusque Asterismis, conferenda sint cum auctoritate monumentorum, quae apud Graecos antiquissima & sacra sunt habita; idcirco duxerat Patruus meus operae pretium fore, si Tabellam hanc, Grecae vetustatis testem primariam, non indicaret modo,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

modo, sed diligenter inspectandam, & per partes singulas explorandam Lectori proponeret, ac integrum Capitulum insumeret in ejus explicatione.

Tabella haec marmorea ejusdem magnitudinis, ac figurae, quam Iconismus apud Gorium (*a*) fideliter exprimit, similis est formae ac scripturae, quae observatur in celebri Tabella Iliaca, per V.C. Raphaelem Fabrettum explicata. Inter Palatii Farnesiani reconditas Antiquitates adhuc delituisset, nisi, oblata occasione requirendi selectas alias Antiquitates, bono Reipublicae Literariae a Farnesiis Principibus ab interitu vindicatas, ac in sui Palatii editiore, tristego, prope Atrium providenter depositas, de his quoque columnis anno 1702. quaesiviſſem, quae dicebantur Herculis Gesta complecti.

Sereniſſimi Ducis Parmensis Administer in Urbe Comes Fellini, quaerat humanitate, & ad opitulandum rei

(a) *Gorius Inscriptionum Donianarum Classe I. Tab. VI. pag. 37.*

rei Literariae ſtudio affectus, columnas omnes, non modo Farneſiani Palatii, verum etiam Hortorum omnium perluſtrari permiſit. Et certe, in columnis quaerendas eſſe Inſcriptiones Geſtorum Herculis, monuerat Sponius, hunc titulum Inſcriptioni praemittens: *Duae parvae columnae Romae in Palatio Farneſiano*. Sed ex columnis nullas inſcriptas reperimus, praeter duas illas ingentes Herodis Attici, repertas tertio ab Urbe lapide Via Appia, & a Grutero productas in ſuo Theſauro fol. xxvii. 1. Conſulenti mihi Gaſſendum in Vita Peireſcii, tandem innotuit, non in columnis, ſed in Tabula marmorea quaerendas eſſe Inſcriptiones. Ita enim indicatae fuerunt a primo earundem inſpectore Jacobo Ferrerio Medico Aginnenſi, e Cardinalis Lugdunenſis Comitatu, dum Romae ageret an. 1637. quemadmodum obſervat Reineſius, dum eaſdem, impreſſas a Tollio, recudi curavit, & Notis illuſtravit Claſſe Quar-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Quarta,num. XII. Nemo tamen ex tot Editoribus archetypum vidit unquam; ſed univerſi ex Medici apographo ad Peireſcium miſſo exempla deſumpſerunt. Quare nihil indicant de anaglyphis ibi expreſſis ad Herculis Geſta pertinentibus, & plures ex inſcriptionibus mutilas retulerunt, quaſdam vero penitus omiſerunt. Conſultum itaque volebat Patruus meus Eruditorum deſiderio, ut integer Tabellae proſpectus,cum anaglyphis,& epigrammatibus exhiberetur: ſed quoniam eandem Tabulam aeri inciſam Cl.Gorius nunc poſſidet,ediditque in Corpore *Donianarum Inſcript.* pag.32.parcam ego novae inciſionis impenſae;cumDonium habeant prae manibus Eruditi.

Retulit jure hoc idem marmor Reineſius ad Claſſem IV.Annalium,Actorum,&Hiſtoriarum;cum in ſe contineat non modo Herculis Geſta,& lumen aliquod Graecae Chronologiae,ſed etiam vetuſtiſſima literarum monimenta, quae

quae apud Graecos posita ab Historicis memorentur.

Liber Antiquarius.

Herodotus, Graecorum Historicorum, qui extent, antiquissimus, lib. 5. sect. 58. & 59. narrat, Gephyreos fuisse ex Phoenicibus, qui cum Cadmo in Boeotiam venerant: eosque ab Argivis expulsos, Athenas concessisse docet: utrobique vero, nempe in Boeotia, & Attica, tum hi, tum ceteri, qui cum Cadmo venerant, literas intulerunt: quibus literis Phoeniciarum nomen inhaesit, propterea quod essent a Phoenicibus in Graeciam illatae. Addit Herodotus, ad haec comprobanda, visas a se fuisse Inscriptiones tres, quae habebantur omnium antiquissimae, Literis Ionicis scriptas, quae appellantur etiam Cadmeae, ac Phoeniciae, in Tripodibus Apollini Ismenio dicatis apud Boeotos: quarum primam esse Amphitryonis declarat, Tripodem Apollini dedicantis. In hac Tabella, sub Tripode legitur in rotun-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

da basi Amphitryonis nomen, ac dedicatio, ut mox ostendam. Sed prius dispositio anaglyphi eadem in Tabella sculpti consideranda est.

Dividitur Tabellae repraesentatio in partes duas, supernam unam, alteram inferiorem. In parte editiori, Hercules medium tenet, amplo corpore decumbens supra occisi Leonis spolium ipsi substratum, & satis expansum ad recipiendas ad Herculis accubitum alias Figuras, quae Heroico more in sublime ferri cum ipso videntur. Uni ex iis figuris nomen Europae appositum, quae sit, declarat

ΕΥΡΩΠΗ, *Europa*.

Gestat vero hastam praelongam (sive antenna sit) humero sinistro impositam, ex qua velum insertum pendet, & explicatum hisce literis inscriptum, ad exprimendum requiem post navigationem.

ΗΡΑΚΛΗΣ *Hercules*
ΑΝΑΠΑΟΜΕ *requiescens*

...ΝΟΣ

.....NOΣ .....

ΕΞΑΛΟΣ (a) *extra mare positus.*

Postremi versus priora elementa, licet ferme detrita sint, nobis tamen assequi sinunt integram fere hujus Epigraphis sententiam, quae sonat, HERCVLES REQVIESCENS ..... EXTRA MARE POSITVS. Europam hinc inde stipant duo Fauni: quorum unus cum ea colloquitur, alter vero immersa facie in amplum Vas ab Hercule sustentatum, liquorem in eo contentum videtur avide haurire. Tres hi siniſtrum latus Herculis tenent. A dextra vero totidem Figurae spectantur, ejusdem sexus, & formae cum anterioribus, nempe Feminae una, Faunorum reliquae, cum Epigraphe, (quae Patrui mei amantissimi, & Cl. Gorii oculos fugit BAI....TOΠ....) duorum Faunorum capitibus superscripta, atque eorundem semesa nomina denotante. At nul-

(a) *Epigraphes hujus Iconismi, a Patruo meo, & a Cl. Gorio* (Inscript. Donianarum *pag.* 32.), *ob elementa fere detrita minus exacte descriptae, a nobis iterum collatae sunt, una cum Viro Doctissimo Vincentio a Regibus Bibliothecae Vaticanae Scriptore.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

nullum nomen, aut ſymbolum feminae a Fauni complexibus appetitae cum ſit appoſitum, ſed ſolummodo capite comptior, & ornatior appareat, ac licentius in pectore denudata, opinari poſſumus, Aſiam, Lybiam, aut Africam per illam indigitari; ut Regiones praecipuae Herculis, (tandem requieſcentis, atque extra mare poſiti) navigationibus illuſtratae, hac in parte anaglyphi proponantur. Nam ad peractam navigationem referri vas illud amplum, ſeu carcheſium ab Hercule geſtatum, colligimus ex Apollodoro, Macrobio, & Athenaeo, aſſerentibus, veras navigationes Hereulis, per Graecos de more deformatas fabulis, ſignificari per ſymbolum vaſis, ſeu charcheſii, quo ab aliquo Deorum donatus dicitur Herecules. Scribit Apollodorus lib. 2. pag. 124. Herculem, Solis radiis in Lybia calefactum, non erubuiſſe arcum intendere in DEUM ipſum. *Hic vero*, inquit, *hominis vires admiratus*, *Herculem aureo*

LIBER ANTIQUARIUS.

reo poculo donavit κρύσεον ἔδωκε Ἥφαις, quo Oceanum trajecit &c. Addit quoque eidem poculo impositas fuisse ab Hercule boves Geryonis, & Tartessum secum advexisse, ubi poculum reddidit. Macrobius autem Saturnalium lib. 5. cap. 21. ait, carchesium esse poculi genus Graecis tantummodo notum, de quo narrari a Pherecide in libris Historiarum, donatam eo fuisse a Jove Alcmenam Herculis matrem, cum eundem concepisset. Vas describit procerum, circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis a summo ad infimum pertingentibus, &, juxta Asclepiadem virum e Graecis apprime doctum, nomen obtinere a re navali. Quippe navalis veli pars inferior, *patera* dicitur, quod est *patens ac planum* (unde Plautus in Amphitryone vocat *pateram* vas illud Alcmenae donatum, cum Latinis charchesium non innotesceret); & inde diffundi in utrumque veli latus, quae cornua

LIBER ANTIQUARIUS.

nua appellantur; ſummam vero partem veli, carcheſium nominari. Memoratis deinde variis poculorum ſpeciebus, a re navali deducentibus nomen, nempe *cymbiis*, & *cantharis*, demum concludit, idcirco Herculem cum hujſmodi vaſe ab antiquis Artificibus figurari, ut ejuſdem Navigationes ſignificent. *Herculem vero*, ait, *fictores veteres non ſine cauſa cum poculo fecerunt, & nonnumquam quaſſabundum, & ebrium; non ſolum, quod is Heros bibax fuiſſe perhibetur, ſed etiam, quod antiqua Hiſtoria eſt, Herculem poculo, tamquam Navigio vectum, immenſa maria tranſiſſe.* Et paucis interjectis, addit: *Eſt etiam Hiſtoria non adeo notiſſima, Nationem quamdam hominum fuiſſe prope Heracleam, ab Hercule conſtitutam, Cylicranorum, compoſito nomine ἀπὸ κύλικος, quod poculi genus, nos unica littera immutata calicem dicimus. Poculo autem Herculem ductum, ad Ἑσπέρια Hiſpaniae Inſulam navigaſſe*: quod a Pimaſte & Pherecide fabulis admi-

admixtum innuit: atque ita concludit: *Ego tamen arbitror, non poculo Herculem transvectum, sed navigio, cui scypho nomen fuit: ita ut supra cantharum, & carchesium, & a cymbiis derivata cymbia, omnia haec asseruimus esse navigiorum vocabula.* Eadem ferme scribit Athenaeus lib.xi.cap.vi. a quibus transcribendis supersedeo. Nam satis constat ex hactenus adductis, ad requiem Herculis, post navigationes per Europae ac Lybiae oras peractas, ea omnia referri, quae in superiori parte hujus anaglyphi continentur.

LIBER ANTIQUARIUS.

Cetera inferius disposita pertinent ad ejusdem Herois alia Gesta, & expeditiones. Centrum Tabellae occupat expiatorium Sacrificium, quod a Victoria fit, aliaque femina, vannum tenentibus supra Aram rotundam, libante victoria ex gutto supra taedam accensam, quam praefert mulier eidem adversa. Hercules pone hanc sistens, manu dextera extensa vannum bre-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

brevius, seu pateram porrigit, quasi proxime libaturus. Prope Herculem eminet basi rotundae impositus tripus eleganter ornatus: & in basi legitur Amphitryonis dedicatio hisce literis expressa, quarum aliquot aetate detritas, in Iconismo punctatim, obducta lacuna, signamus,

ΑΜΦΙΤΡΥΩΝ ΥΠΕΡ	*Amphitryon pro*
ΑΛΚΑΙ.....ΤΡΙΠΟ	*Alcaeo Tripodem*
Δ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ (1)...	*Appolloni....*

. . . . . .

Suppleri posse videntur his suo loco redditis, *Amphitryon filius Alcaei Tripodem Apollini dedicavit*.

In primo versu postrema dictio, quae legitur, est ΥΠΕΡ, qualem retulit Medicus Agennensis Ferrerius ante annos ferme centum a se transcriptam: quare interpretatio subsequens accomodari eidem facile poterit, Α'μφιτρύων ὑπὲρ Α'λκαίου (subaudi σωτηρίας) τρίποδα Α'πό-

Variantes Lectiones, & supplementa Patrui mei, & Cl. Gorii. Nostra editio iterum ad archetypum exacta, ceterit est praesentanda. (1) ΑΝΕΘΗΚΕΝ *dedicavit*.

Ἀπόλλωνι ἀνέθηκε *Amphitryon pro Alcaeo* (patre) hoc eſt pro *Alcaei patris ſalute Tripodem Apollini dedicavit.* Nam ſimiles dedicationes ita expreſſae paſſim leguntur, non ſolum ΥΠΕΡ ΣΩΤΗΡΙΑΣ *pro ſalute & incolumitate Domini Imperatoris Commodi ab Alexandrini portus Naucleris poſitae.* Et, *pro ſalute Imp. L. Septimii Severi, ac filiorum* ab A. Septimio Tryphone apud Reineſ. p. 313. & in Hortis Juſtinianeis (nunc in Capitolio) Palmyrena illa L. Aurelii (a Sponio quoque relata pag. 1.) pro ſalute ſua, uxoris, & filiorum, aliaeque plures. Sed etiam ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ *pro ſe, & ſuis*, ut apud Fabret. de Col. Traj. p. 74. Subſequitur in eadem baſi altera inſcriptio Herculis nomen praeferens:

.... ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ	... *Herculis*
...ΙΑΣΥΩ...Ν(1)ΦΟΡΗ	.....*geſtan-*
ΣΑΝΤΟΣ..ΑΡΕΦΗΝΑ..	*tis*.....
ΤΟΠΑΡΩΝ...ΑΣΟΥΔΗ	.....
ΡΑΚΛΗΙΑ(2)..ΠΑΡΟΝ	.....
ΕΑΥΤΟΝ ΚΑΛΕΙΣΘΑΙ	*ſeipſum vocari*

(1) ΦΟΝΕΥΣΑΝΤΟΣ *interficientis.*
(2) ΑΛΛ ΑΛΚΑΙΟΝ *ſed Alcaeum.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Hujus ſententiam aſſequi non ſinunt nimium frequentes lacunae, verba fermie ſingula detruncata nobis exhibentes. Occurrit tantummodo id breviter indicare, quod de Tripode per Herculem aſportato ex Templo Apollinis, ac de propria ſibi oraculorum Aede conſtructa ſcribit Apollodorus pag. mihi 134. De caede Iphiti, expiari cum vellet, licet a Deiphobo Hippolyti filio ſceleris contage luſtratus, gravique morbo iterum detineretur, *Delphos adiit* (inquit), *ac morbi finem roganti illi Pythia nihil reſpondit. At Hercules eo nomine ſpoliare Templum voluit, avectoque Tripode, propriam ſibi oraculorum Aedem conſtruxit.* Quidpiam ſimile expetenti expiationem, Hercules heic ſtans, extenta manu cum patera, aut vanno, videtur praeferre. Sacerdos vero ſacrificans, ab eodem averſa parte, Pythiam illam fortaſſe ſignat, Herculi non reſpondentem. An poſtrema Inſcriptionis verba, ΕΑΥΤΟΝ ΚΑΛΕΙΣΘΑΙ *ſe ipſum vo-*

vocari, indicare velint, Tripodem Apollini prius ſacrum, & ab Hercule avectum, hujus ex nomine impoſterum appellandum, qui ſibi propriam Oraculorum Aedem conſtruxerat, aliorum eſto judicium. Nos ex conjectura tantum proponimus. Ceterum Ara rotunda, ſupra quam Victoria, & Pythia illa ſacrificant, cognoſcitur Apollini dedicata, ex inſculpta figura ejuſdem, talari veſte induti, ac lyram pulſantis; quale fuit Apollinis ſimulacrum, ex Delphis, & Actiaco Sinu in Palatium illatum ab Auguſto, & in Nummis expreſſum. Apollini Muſae hinc inde aſſiſtunt in eadem Ara coelatae.

Limbus inferior hujus Tabellae praefert ejus dedicationem ab Admeta factam (quam, *Admatam* heic Dorica dialecto ſervata nominat) filia Euryſthei, hiſce verbis, & quidem ampliori, quam in ceteris verſibus ſit, forma expreſſam:

LIBER ANTIQUARIUS.

HPAΣ APΓEIAΣ IEPEIA
AΔMATA EYPYΣΘEΩΣ
KAI AΔMATA TAΣ AMΦI
ΔAMANTOΣ ETI . . . N TO

Ju-

δ ὦρον ἢ μνημόσυνον donarium, ſeu memoriam.

Supplevimus ΔΩΡΟΝ *donum*, ſive ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ *memoriam*, dictionem fortaſſe detritam aetatis vitio in extremo limbo, poſt articulum TO, in quo epigraphis quartus verſus deſinebat: quae tamen ſubticeri elegantius poteſt, ad brevitatem Epigraphis commendandam. *Admetam* vero reddimus nomen, tam Admetae filiae Regis Mycenarum Euryſthei, a qua heic geſtum intelligimus Sacerdotium Junonis Argivae; quam Admetae matris, genitae ex Athamante. Ita etiam ducimus obſervandum in articulo ΤΗΣ, ubi ΤΑΣ expreſſit ſculptor Epigraphes. Haec enim mutatio H in A, juxta Doricae Dialecti ſtylum, in ceteris quoque Inſcriptionibus

Junonis Argivae Sacerdos Admeta Eurysthei (filia) & Admetae filiae Amphidamantis.....

LIBER ANTIQUARIUS.

bus hujus Tabellae obfervata jam fuit a Reinefio, in notis ad duas prolixiores Inſcriptiones Geſtorum Herculis, paulo poſt exponendas: ubi verſu 87. ZATAN, pro ZHTHN ſcriptum indicat.

Erat autem cauſa, cur memoriam Herculi, ejuſdem Geſtis, ac laboribus XII. inſcriptam, dedicaret Admeta Eurysthei Regis filia, non modo, quia Heroem illum genere attingebat, vel quia, mandante Eurysthco Patre labores XII. praecipuos Hercules exanthlarat; ſed etiam, quia unus ex his, quando dimittebatur ad capiendum baltheum Hippolytae Amazonum Reginae, in gratiam Admetae Eurysthei filiae, quae illum enixe deſiderabat, ſuſceptus fuit. Diſerte id retulit Apollodorus pag. 118. *Nonus labor eſt*, inquit,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

quit, *quo Hippolytae cingulum ad se ferre jussit Eurystheus. Haec erat Amazonum Regina, quae circa Thermodontem Amnem habitabat &c. Ceterum Hippolytae matris baltheum, argumento, ut omnibus aliis praeesset, habebat. Ad hunc igitur Hercules capiendum emittebatur, ut, illum cupienti, Admetae filiae Eurystheus obsequeretur.*

Porro, quod Junonis Argivae Sacerdotium a se gestum Admeta memoret, cum Tabellam hanc dedicaret, non vacat auctoritate. Novimus enim, primaevas Graecorum memorias, unde Gentis illorum Historia desumpta est, & a primis Scriptoribus in literas relata, triplici ex notione temporum fuisse consignatas, & juxta eandem fuisse ordinatas. Una petitur ex Genealogis, qui, juxta seriem successionis natorum parentibus superstitum, Gentis Prosapias contexuerunt. Hanc rationem observarunt Pherecydes, & Epimenides, & retinuit Apollodorus. Altera dispo-

Digitized by Google

disposita fuit ab Hellanico, Tempora numerante ex feminis in Sacerdotio Junonis Argivae sibi succedentibus. Tertia denique, post Olympiadas institutas, aut renovatas, ex Victorum nominibus per singulas celebratis, distinguit tempora: cui rationi Hippias, Eleates, & Ephorus Heracliti discipulus occasionem dederunt, quando Catalogum nobis reliquerunt eorundem Victorum; perfecit autem Timaeus Siculus, adjectis nominibus Ephororum; & Regum Laconum, necnon Archontum Athenienſium, & feminarum Sacerdotium Junonis Argivae pro tempore gerentium. Est igitur character auctoritatis Chronologiae & Historiae admodum utiliter adhibitus, ille, quem addunt vetustis Gestorum documentis nomina feminarum Junonis Argivae, Sacerdotio fungentium: qualem addit huic Tabellae nomen & Sacerdotium Admetae Eurysthei Regis & alterius Admetae filiae, quae progenita fuerat

ab

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS

ab Amphidamante . Hujus nominis Princeps ab Homero celebratus, ut refert Strabo *in excerptis libri* VII, Ciſſei nepos fuiſſe dicitur,ba avo educatus in Thracia , quae nunc, inquit , Macedonia vocatur. Verum de genere , ac Sacerdotio Admetae , ſatis ; cum haec abundent,ad oſtendendam aetatem virorum , & feminarum Herculi aequalium, & morum illius Aevi , ſignantis rudimenta prima Hiſtoriae , & Chronologiae Graecorum hujuſmodi Tabellis , & Inſcriptionibus .

Non diſjungendus eſt ab hoc loco conſpectus alter inſtituti,per haec tempora apud Graecos inducti, purgationis a caedibus perpetratis . Videmus Herculem in hoc anaglypho talis purgationis obtinendae ſtudioſum. Apollodorus conteſtis eſt , non ſemel per eum perceptae,primum a Theſtio pag.106 , deinde ab Eurylitheo pag. 108 , tum ab Eumolpo pag.130 , aliiſque .

Epochae Paro ex Inſula advectae

(Chro-

(Chronologiae Graecorum prima fundamenta), quae Tabulae Arundellianae apud antiquitatis studiosos celeberrimae nuncupantur, num. xvi. memorant lustrationis, & purgationis a caede primum exemplum Athenis datum anno illius Aerae mlxii. regnante Athenis Pandione Cecropis filio. Is annus ab adventu Cadmi xciii esse cognoscitur ex comparatione Epochae vii; & ante expeditionem Trojanam xcii ex comparatione Epochae xxiv: indicat vero annum ante Communem Aeram Christianam mcccxxvi in prima Athenienſium expiatione, & in expeditione Trojana, cui Hercules interfuit, mccxxxiv.

Eadem distantia temporum colligitur ex Asterismis Globo inscriptis circa expeditiones Nauticas Herculis, & Argonautarum, ut infra expendemus. Eadem provenit ex Genealogia Danai, & Cadmi, & posterorum, perducta ad Herculem, Euristheum, & Admetam.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Sunt enim, a Cadmo, & Danao, ex communi Avo Epapho consobrinis Lyncei, qui a Danao Argivum Regnum suscepit, usque ad Herculem, generationes septem, quae annos circiter ducentos inferunt, ex communi putatione Historiae. Totidem vero numerantur juxta Epochas Arundellianas a Cadmo ad Herculem superstitem expeditioni Trojanae. Quare plurimi faciendum est hoc monumentum antiquitatis, ita respondens commensui aetatis, & consuetudinum, ex aequo resultanti ex tribus generibus documentorum, Historiae, & Chronologiae suffragantium, nempe Genealogicis, Sacerdotalibus, & Politicis Principum, & Magistratuum, quibus Acta publica, & genuinae memoriae apud Graecos consignabantur. His accedet quartum genus aequationis ex Astronomicis characteribus, in Globo considerandis post hujus Anaglyphi expositionem.

Hanc igitur Epigraphen, seu titulum

lum dedicationis Tabellae, positae ab Admeta Junonis Sacerdote & Eurysthei Regis filia, utrinque excipiunt mediam in eodem limbo inferiori versus Hexametri, Herculis labores enumerantes: e quibus novem tantummodo Tollius edidit notisque illustravit, quot fuerant ipsi communicati a Peirescio; sed multo plures in marmore conspiciuntur. Viderat Reinesius mutilum reddi Epigramma; sed divinare non potuit, a descriptore Marmoris sinistram tantummodo partem limbi fuisse observatam, dexteram vero, licet totidem versibus exaratam, fuisse omissam, ea forte de causa, quod versuum eorumdem partem dimidiam fractura marmoris interceperit. (Iconismus a Cl. Gorio publici juris factus, partem superstitem utrobique ostendit). Priores versus totidem ferme verbis reduntur in Anthologia lib. quarto cap. viii. num. 5. & 6. Discrepant attamen subsequentes. Praeter labores xii. ab

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Eurystheo demandatos, in Anthologia refertur tertiusdecimus. In Tabella vero, de qua loquimur, multo plures. Ordo quoque in XII. illis recensendis parumper variat: quod in ceteris quoque laborum Herculis praecentoribus ob-

ΟΥΣ ΠΟΤ ΥΠ ΕΥΡΙΣΘΕΙΟΣ ΑΝΑΓΚΑ-
ΣΘΕΙΣ . . . .
ΠΡΩΤΑΜΕΝ ΕΝ ΝΕΜΕΑ ΒΡΙΑΡΟΝ ΚΑ-
ΤΕΠΕΦΝΕ ΛΕΟΝΤΑ
ΔΕΥΤΕΡΟΝ ΥΔΡΑΝ ΛΕΡΝΑΙΑΝ ΕΚΤΕΙ-
ΝΕ ΤΡΙΤΟΝΔΕ

Verba in Marmore obliterata ita supplentur.

(1) ΚΑΠΡ *Aprum.* (1) . . . . . ΟΝ ΕΝ ΑΡΚΑΔΙΑ ΣΤΙΚΤΗΝ
ΕΛΑΦΟΝ ΔΕ ΤΕΤΑΡΤΟΝ

(2) ΠΕΜ *Quinto* (2) . . . ΠΤΟΝΔΕ ΣΤΡΟΥΘΟΥΣ ΣΤΥΜ
ΦΑΛΙΔΟΣ ΗΛΑΣΕ ΛΙΜΝΗΣ

(3) ΕΚΤΟΝ *Sexto* (3) . . . ΑΥΓΕΙΑ ΔΕΦΟΡΕΙ ΚΟΠΡΟΝ ΕΒ-
ΔΟΜΟΝ ΕΛΘΩΝ

(4) ΕΚΚΡΗΤ *ex Creta* (4) . . . ΗΣ ΤΑΥΡΟΝ ΜΕΓΑΝ ΗΓΑΓΕΝ
ΟΓΔΟΟΝ ΙΠΠΟΥΣ

(5) ΘΡΗΚΗ *e Thracia* (5) . . . ΣΕΞΕΛΑΣΕΝ ΔΙΟΜΗΔΕΟΣ ΙΠ-
ΠΟΛΥΤΗΣ ΤΕ

(6) ΖΩ *cingulum* (6) . . . ΣΤΗΡΑ ΕΞΕΚΟΜΙΣΣΕΝ ΑΜΑ-
ΖΟ-

obſervat Reineſius. Carmina Tabellae Farneſianae inſculpta ita leguntur, uti exprimunt literae capitales. Quae paulo minoribus characteribus heic reddentur in margine, ſupplementa ſunt aliunde petita. Praemittitur titulus,

Quos (labores) *ab Euryſtheo coacti us.*

Primo in Nemea immanem occidit Leonem.
Secundo Hydram Lernaeam proſtravit.
Tertio
... in Arcadia maculatam Cervam.
Quarto
... aves Stymphalide expulit palude

... Augiae egeſſit ſimum. Septimo veniens
... Taurum magnum eduxit. Octavo Equos
... abegit Diomedis. Hippolytaeque

... detraxit Amazonidae. Decimo autem

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ΖΟΝΙΔΟΣ ΔΕΚΑΤΟΝΔΕ
(1) ... ΗΝ ΕΚΤΕΙΝΕ (2) .... ΗΓΑΓΕ
ΒΟΥΣ ΑΓΕΛΑΙΑΣ

(1) ΓΗΡΤΟΝ *Geryonem.*
(2) ΚΑΙ *Et.*

Sequitur Inſcriptio in laeva pa-

ΕΝΔΕΚΑΤΟΝ ΔΕΞΑΔΟΥ ΑΝΕΓΑΓΕ ...
(3) ΜΟΛΩΝ *Adveniens.*
ΕΣΠΕΡΙΔΩΝ ΔΗΝΕΓΚΕ Μ (3) ...
ΧΡΥΣΕΑ ΜΗΛΑ ΔΡΑΚΟΝΤΑΛΑΘ ...
ΔΩΔΕΚΑ ΜΕΝ ΤΟΥΣ ΔΕΞΕΝ ...
ΒΟΥΣΕΙΡΙΝ ΜΕΝΕΝΑΙΓΥΠ ...
ΑΝΤΑΙΟΝ ΦΟΛΟΗΝ ΚΕΝΤ ...
ΚΥΚΝΟΙΣΙ ΔΑΕΤΟΝ ΟΣΤΟ ...
ΕΝΛΥΔΟΙΣ ΠΥΜΑΤΟΝΘ ...
ΟΥΤΟΝ ... ΕΝΤΕ ... Ε ...

Labores hi, qui recenſentur, poſt duodecim ab Eurytheo demandatos, dicuntur ab Hygino Fab. xxxi. Herculis laborum Parerga. Non eſt cur iis ſupplendis, aut exponendis immoremur diutius; cum ſatis nota ſint (indicatione nominis Buſiridis, Anthei, Cycni, Lydiae, & Omphales) ex Graecis Latiniſque

sem

. . . occidit . . . boves eduxit gregales

rte ejuſdem limbi inferioris:

Undecimo ex inferis eduxit . . .
Heſperidum sulit . . .
Aurea mala . Draconem . . .
Duodecim bos (labores) *oſtendit . . .*
Buſirin in Aegypto . . .
Antaeum Pholoen Centaurum . . .
Cycnum . . . Aquilam . . .
In Lydis extremum . . .
. . . . . .

que ſcriptoribus; & a nobis heic adducantur eo tantum conſilio, ut compertum ſit, tum Herculem Alcmenae, tum ceteros cum ipſo agentes heic memoratos referri ad eamdem aetatem expeditionis Argonauticae, ac Trojanae; quae, ex marmoribus in Paro inciſis tertio labente Saeculo ante Aeram Chriſtia-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſtianam, referuntur ad Saeculum decimum tertium ante eamdem Aeram CHRISTI communem.

Supereſt, ut epigraphen afferamus duarum columnarum, quae Anaglyphi Farneſiani partem potiſſimam conſtituunt, & inſcribuntur titulo Geſtorum Herculis, ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΠΡΑΞΕΙΣ.

Inſcriptionis verba deſumam ex archetypo. Interpretationem vero latinam adjiciam ex Sponio, adhibitis Reineſii, noſtriſque caſtigationibus ad interpretationem, ubi videbuntur autographi marmoris ſententiam fidelius reddere.

In ſumma coronide prioris columnae ſeu ſtelae legitur obliquo caſu nomen Herculis inciſum Dialecto Dorica ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. Hujuſmodi conſuetudo ad Romanos tranſiit, praecipue in dedicandis cippis, ſtelis, columnis Virorum illuſtrium, in quibus nomen ſuperne inciſum legitur caſu ſecundo, PETRONII MAXIMI apud Gruterum CCCCXLVIIII. ACONTII fol. 463. 4. CL.

CLAV-

CLAVDIANI fol.CCCXCI.5.quae Inſcriptio ſervatur in eodem Palatio Farneſiano. Quandoque etiam in tertio caſu praefigitur:cujus exemplum eſt FLAVIO STILICONI.

ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ
ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΠΡΑΞΕΙΣ
ΗΡΑΚΛΗΣ ΕΝ ΝΕΑ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ
ΜΙΝΥΑΝ ΟΡΧΟΜΕΝΟΝ ΕΙΛΕ ΤΑΝ
ΠΟΛΙΝ ΕΡΓΙΝΟΝ ΦΟΝΕΥΣΑΣ ΤΟΝ
ΒΑΣΙΛΕΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΛΙΜΝΑΝ ΕΠΙ
ΤΟΥ ΠΕΔΙΟΥ ΕΘΗΚΕΝ ΑΥΤΟΙΣ ΑΠΟ
ΦΡΑΞΑΣ (1) . . . ΚΑΙΕΙΣ ΑΥ
ΔΙΑΝ ΕΣΤΡΑΤΕΥΣΑΤΟ ΠΟΤ ΟΜ
ΦΑΛΑΝ (2) . . . ΔΑΝΟΥΚΑΙΜΑ
ΟΝΑΣ . . . (3) ΟΥΣ ΕΠΟΙΗ
ΣΕ ΙΔ ΚΑΙ (4) . . . ΠΟΛΙΝ (5) ΠΟΜ
ΦΑΜΟ . . . (6) ΑΕΠΙΣΤΑΣΑ
ΣΛΑΟΜΕΔΟΝΤΑ . . . ΕΒΟΛΤΟ
ΗΣΕΓ . . . (7) ΣΦΑΣ . . . ΠΟΛ . . .
ΟΡΧΟΜΕΝ . . . ΟΚΗΤΕΩΣΚΑΙ
ΑΠΕ . . . ΗΡΑΚΛΗΣΤΠΟΛΑ
ΟΜΕΔΟΝΤΟΣ ΕΙΣ ΑΡΓΟΣ ΑΠΕΛΘΩΝ
ΙΔΟΜΕΝΟΣ ΜΕΝ (8) ΤΙΡΥΝΘΙ . . . ΤΕ
x x x x x x ΜΕ-

Variantes, & ſuppletae lectiones Blanchini, & Gorii.

(1) ΕΙΤΑ ΤΑΜΩΝ *quem deinde ſecuit.*

(2) ΤΑΝ ΙΑΡΔΑΝΙΟΥ *filia Jordani. vel* ΣΥΝΔΙΕΤΡΕΨΕ *converſatus eſt.*

(3) ΥΠΑΚΟΟΥΣ *ſubditos.*

(4) ΕΚΤΙΣΕ *condidit. vel* ΕΝΕΠΥΡΙΣΕ *incendit.*

(5) ΠΟΛΥΦΑΜΟΥ *Polyphemi. vel* ΠΟΣΑΜΟ *Joſamo.*

(6) ΜΕΤΑΣΤΑΣΑΣ *inde profectus.*

(7) . . . ΑΣΙΑ

(8) ΤΙΡΥΝΘΙΑΝ *Tyrinthium.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

CONI . V. C. posita Inscriptio, apud eundem Gruterum fol. CCCCXII.

Sub denticulis ejusdem coronidis in columnae astragulo,

Herculis
Herculis gesta
Hercules cum esset adolescens
Minyam Orchomenum coepit
Civitatem, Ergino interfecto
Rege, & paludem in
campo posuit, transitu aquis
obturato . . . & in Ly-
diam profectus est, ubi cum Om-
phale . . . & Mae-
ones . . . filias genu-
it XIV, & . . . Civitatem Pom-
phamo . . . cum animadvertisset
Laomedontem . . . vocavit
. . . . . Civitatem
Orchomen . . . . . .
. . . . . Hercules a La-
omedonte in Argos dimissus est:
videns quidem Tyrinthi
. . . cum

ΜΕΝΟΣ . . . ΕΝΥΑΛΙΟΥ ΜΕΤΑ
ΤΕΛΑΜΕΝΟΣ ΤΕ ΚΑΙ ΠΗ
ΛΕΩΣ . . . ΟΙΚΛΕΟΣ ΕΠΙ
ΤΡΟΙΑΝ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕ
ΝΟΣ ΕΙΛΕΝ ΤΑΝ ΠΟΛΙΝ
. . . ΛΑΟΜΕΔΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΟΥΣ
ΥΙΟΥΣ (1) . . . Σ ΠΛΑΝ
ΠΡΙΑΜΟΥ . . . (2) ΑΜΩΝΤΕ
ΗΣΙΟΝΑΝ ΕΛΑΒΕΝ ΤΑΝ
ΠΡΙΑΜΟΥ ΑΔΕΛΦΑΝΕΣ
ΑΣΓ . . . Π . . . ΕΘΕΤΟ
ΓΕΓ . . . ΟΠΑΓΕ
ΩΝΑ . . . (3) ΛΑΚΕ
. . . . . ΠΙΔΑΦΟ
ΝΕΥΣΑΣ . . . ΚΑΙ
ΚΑΤΑ . . . ΤΟΣ ΑΥΤΑΣ
. . . . . ΘΕΣΣΑΛΟΝ
. . . . . (4) ΙΦΙΤΩΣ
. . . . . ΤΙΡΥΝΘΑ
ΠΟΛΙΝ . . . ΤΟΥΣΟΛΕ
ΘΡΙΑΣ . . . ΕΝΟΣ ΟΔΙΣΟΡ
ΕΙΣ . . . ΑΤΙΟΤΟΚ . . .
ΝΣ . . . ΦΟΝΟΥΜΕΤΑΔΕ
ΤΑΝ . . . ΛΑΟΝΗΡΑΚΛΗΣ ΦΙΚΟΜ

(1) ΑΠΟΚΤΕΙ-ΝΑΣ *interficiens.*

(2) . . . ΑΩΝΤΕ

(3) ΕΛΑΒΕ *coepit.*

(4) ΙΦΙΤΟΣ *Iphitus.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

. . . . . *cum*
Talemone & Peleo . . . . . *ad*
Trojam expeditionem faciens, coepit civitatem . . . *Laomedontem, & filias* . . . *excepto*
Priamo . . . . . .
Heſionem coepit
Priami ſororem
. . . . . *poſuit*
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . *interficiens* . . . . . *&*
. . . . . *ipſas*
. . . . . *Theſſalum*
. . . . . .
. . . . . *Tirynthia*
civitatem . . . *occiſionis* . . . . . .
. . . . . .
. . . . *caedis: poſt autem*
. . . *populum Hercules*
. . . *navi*

ΤΟΝ . . . ΔΕΝΑΩ ΓΕΥΣΑΣ ΥΔΩΡ . . .
ΠΡΟ . . . ΣΑΙΘΩΛΙΑΝ ΕΛΘΩΝ . . . .
. . . ΝΕΝ ΤΟΥ . . . ΚΑΙΡΩ . . . . . .
. . . ΤΙΩΝ ΜΑΧΑ . . . . . .
. . . ΣΥΝΤΩ . . . . . .
. . . ΑΡΓΟΙΣ ΟΙΤΙΝΕΣ . . .
. . . ΚΑΛΗΣΑΣ ΜΑ . . . . . .
. . . ΤΟΚΑΤΑΚΡΑ . . . . . .
ΤΩΝ . . . ΛΙΡΒΑΝΑ . . . ΚΤΙ . . . . . .
Ν . . . ΥΙΟΥΣ ΠΛΑΝΦΥΛΕ . . .
ΟΣ . . . ΕΙΣ (1) ΑΙΓΙΑΛΟΝ ΤΡΑ . . . .
. . . Φ . . . ΚΑΙ ΜΑΣΣΑΝΙΑ . . . . . .
. . . . . ΤΟΥΣ ΥΙΟΥΣ ΑΠΕΣ
ΦΑΞΕ ΠΛΑΝ ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΣΠΑΡ
ΤΑΝ ΔΕ ΛΑΒΩΝ ΔΟΡΥΑΛΟ . . .
ΤΟΝ ΙΠΠΟΚΟΟΝΤΑ ΚΑΙ ΤΟΥΣ
ΠΑΙΔΑΣ ΦΟΝΕΥΣΑΣ ΣΥΝ
ΚΑΣΤΟΡΙ ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΕΥΚΑ
ΦΕΥΓΟΝΤΙ ΚΑΤΑΓΑΓΕ ΚΑΙ
ΕΔΩΚΕ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΑ
ΤΟΥΤΩ ΔΕ ΠΑΛΙΝ ΕΙΣ ΠΙ
ΣΑΝ ΕΛΘΩΝ ΔΙΟΣ ΟΛΥΜ
ΠΙΟΥ ΑΓΩΝΙΣΑΤΟ ΚΑΙ
ΑΓΩΝΑ ΤΑ ΟΛΥΜΠΙΑ

(1) ΠΥΛΟΝ *Pylum.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

. . . navi degustans aquam
. . . Aetholiam veniens
. . . . . tempore . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . Argivis qui . . .
. . . . . vocans . . .
. . . . . per vim . . .
. . . . . .
. . . . . filios . . .
. . . . . ad littus . . .
. . . . . & Meſſanem
. . . . . filios interfecit, praeter Neſtorem. Spartam autem capiens . . .
Hippacoontem & filios interficiens, cum Caſtore, & Polluce . . . deduxit, & dedit Lacedaemonèm.
Poſt haec rurſus Piſam adveniens, Jovis Olympii certamina conſtituit, & certamina Olympia

Pro-

ΠΡΩΤΟΣ ΑΓΩΝΙΣΤΗΣ
ΔΡΥΟΠΑΣ ΤΕ ΑΠΟ . . .
ΠΑΝΤΑΣ ΕΛΑΒΕ . . .
ΦΥΛΑΝΤΑ ΤΟΝ . . .
. . . ΒΑΣΙΛΕΑ ΑΠΟ
ΣΦΑΞΑΣ . . . ΕΝ . . .
ΤΑΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑΣ . . .
ΑΥΤΟΥ . . .

In altera Colu-

. . .(1)ΜΗΔΗΣΥΙΟΝ ΕΘΕΤΟ ΚΤΗΣΙΠ (1) . . ΔΑΝΑΗ
ΠΟΝ ΗΡΑΚΛΗΣ ΜΕΝΟΥΝΤΡΑΛ . . .
ΩΝΑ ΩΚΟΔΟΜΗΣΕ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙΤΙ
ΡΥΝΘΙΟΥΣ ΕΝ ΑΥΤΗ ΚΑΤΩΚΙΣΕΤΟ
(2) ΥΤΩΙΕΠΙ ΘΡΑΚΑΝ ΣΤΑΤΕΥΣΑΜ (2) ΥΙΩΙ Δ *filio*.
ΕΝΟΣ ΔΙΟΜΗΔΗΝ ΕΦΟΝΕΥΣΕ ΚΑΙ
ΘΡΑΚΑΣ ΕΚΥΡΙΕΥΣΕ (3) ΛΙΜΟΝ ΓΕ ΛΑ (3) ΠΙΝΟΝ ΤΕΛΑΒΩΝ *Pinumque capiens*.
ΒΩΝ ΣΑΡΠΗΔΟΝΑ ΤΟΝ ΑΡΧΟΝΤΑΛ
ΠΕΣΦΑΞΕ ΚΑΙ ΘΑΣΟΝ ΕΛΩΝ ΘΥΑΝ
Ω ΚΑΙ ΑΛΚΑΙΩ ΠΑΡΕΔΩΚΕ (4) ΠΟΡΟΝ (4) ΤΟΡΩΝ ΤΟΤΟ
ΑΝΤΕ ΕΙΛΕ ΠΟΛΥΓΟΝΟΝ ΚΑΙ ΤΕΛΕ
ΓΟΝΟΝ ΑΠΕΚΤΕΙΝΕ ΠΟΛΙΝΓΕ
ΑΒΔΗΡΑ ΕΠΙ ΘΡΑΚΑΣ ΗΡΑΚΛΗΣΩ

ΚΙ-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Protagoniſtes ſubivit.
Dryopas vero...
omnes coepit...
Phylanta...
.....Regem ju-
gulans.....
filias.....
ejus.....

mna ſiniſtrorſum.

...filium adoptavit Cteſip-
pum. Hercules igitur Tral-
...ona aedificavit Civitatem, & Ti-
rynthios in ea habitare fecit. In-
de autem in Thraciam expeditionem
faciens, Diomedem interfecit, &
Thracum dominatus eſt, & fame
captum Sarpedonem Ducem ju-
gulavit, & Thaſum capiens...
...& Alcaeo tradidit, tranſitum
...coepit. Polygonon, & Tele-
gonon interfecit: & Civitatem
Abdera in Thracibus Hercules

con-

Digitized by Google

ΚΙΣΕ ΤΟΥΘΡΟΝΙΚΟΥ ΥΙΟΥ ΕΠΩΝΥ
ΜΟΝ ΑΒΔΗΡΟΥ ΚΑΙ ΖΑΤΑΝ ΚΑΙ
ΚΑΛΑΙΝ ΚΑΙ ΒΟΡΕΑ ΤΟΥΘΡΑΚΟΣ(1) ...
ΔΙ ΚΑΙ ΩΡΕΙΘΥΙΑΣ ΕΠΙΒΟΥΛΕΥΣΑΝ-
ΤΟΣ
ΑΥΤΩΙ ΠΑΡΕΔΩΚΕΟΝ ΣΦΡΑΞΑΝΤΕΣ
ΑΥΤΟΥΣ ΕΙΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ ΕΡΡΕΙΨΑΝ
ΤΟΥ·
ΤΩ ΔΕ ΕΣΙ ΣΚΥΘΙΑΝ ΔΙΑΒΑΣ(2)ΑΙΑ...
ΜΑΧΑΙ ΕΝΙΚΙΑΣΕ ΤΑΙΔΕ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΑΥΤΟΥ
ΣΥΝΓΕΝΟΜΕΝΟΣ (3) ΕΔΙΔΝΑΙ ΥΙΟΥ-
Σ Α ....
ΡΑΘΥΡΣΟΝΕΘΕΤΟΚΑΙ (4)ΣΚΥΘΑΝ(5).
ΤΩ ΔΕΠΑΜΑΖΟΝΑΣ ΗΛΘΕ ΚΑΙ Ε
ΠΙ ΤΟΝ ΘΕΡΜΩΔΟΝΤΑ ΠΟ ΤΑΜΟΝ
ΕΝΙΚΑΣΕ ΜΑΧΑ(6)ΦΟΝΕΥΣΑΣΑ ΜΑΙ...
ΚΑΙ ΦΟΝΕΥΣΑΣΑ ΙΠΠΟΛΥΤΑΝ ΚΑΙ
ΖΩΠΑΝΤΑΝ ΠΟΛΙΝΗΡΑΚΛΗΣ ΕΛΩΝΑΜ (7)
ΑΖΟΝΑΣ ΕΞΕΒΑΛΕ ΚΑΙ ΕΛΛΑΝΑΣ
ΕΝΑΥΤΗ ΚΑΤΩΚΙΣΕ ΤΟΥΤΩ ΔΕΠΙ
ΘΡΑΙΚΑΝ ΣΤΡΑΤΕΥΣΑΜΕΝΟΣ ΔΙΟ
ΜΗΔΗΝ ΕΦΟΝΕΥΣΕ ΚΑΣΤΟΡΑΔΕ
ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΕΥΚΑ ΗΡΑΚΛΕΙ (8) ΣΥΜ
ΥΥΥΥΥΥ ΠΛΟ-

(1) ΠΑΙΔΙ *filio*.

(2) ΑΡΑ....

(3) ΕΛΙΔΝΑ *Elidna*.

(4) ΣΚΥΘΙΑΝ *Scythiam*
(5)ΤΟΤΤΩ

(6)ΦΟΝΕΥΣΑΣΤΙΩΝ ΚΑΙ ΦΟΝΕΥΣΑΣ

(7) ΑΠΑΥΤΗΣ *ab ipsa*.

(8) ΞΥΝΑΡΟΥΝΤΟΣ

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

condidit, Thronici filii cognominem Abderi, & Zeten, & Calain, & Boreae Thracis ... ... & Orithyae insidiantis

sibi tradidit, quem, jugulatis ipsis, in mare projecerunt. Inde autem in Scythiam transiens ... praelio superavit. Cum filia autem sua

rem habens Edidna filios ...

... Thyrsum posuit, & Scythas ... ... adversus Amazones venit, & ad Thermodontem fluvium vicit praelio, interficiens ... & interficiens Hippolytam, & Opan Civitatem Hercules capiens, Amazonas expulit, & Hellenas in ipsa habitare fecit. Inde in Thracas expeditionem faciens, Diomedem interfecit. Castor autem, & Pollux cum Hercule navi-

gan-

Digitized by Google

ΠΛΟΥΝΤΑΣ ΑΜΥΚΟΝΑ ΕΝΙΚΑΣΑ
Ν ΜΑΧΗ ΤΟΝ ΒΕΒΡΥΚΩΝ ΒΑΣΙΛΕΑ
ΗΡΑΚΛΗΣ Δ ΕΠΙ ΤΟΝ ΙΝΔΟΝ ΗΛΘΕ
ΠΟ ΤΑΜΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΙΝ ΗΡ . . .
ΤΑΝ ΕΝ ΣΙΒΑΙΣ ΟΙΚΙΣΕΙ ΑΜΑΖΟ
ΝΕΣ ΔΕΣ ΤΑΝ ΑΤΤΙΚΑΝΕ . . .
ΛΟΝΘ ΗΣΕΥΣ ΔΕ ΚΑΙ ΠΥΡ . . .
ΟΣ ΑΥΤΑΣ ΕΝΙΚΑΣΑΝ Μ . . .
ΚΑΙ (1) ΕΛΑΒΟΝ ΘΗΣΕΥΣ ΑΥ . . .
ΤΑΝ ΙΠΠΟΛΥΤΑΝ (2) ΕΞΑ . . .
ΙΠΠΟΛΥΤΟΝ ΠΟΙΗ ΤΑΙ . . .
ΚΛΗΣ ΔΕ ΕΠΙ ΤΟ ΚΑΛ . . .
ΟΡΟΣ ΗΛΘΕ ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΟ . . .
ΣΟΝ ΟΡΟΣ ΗΛΘΕ ΚΑΙ . . .
ΝΟΕΙΠΟΛΕΜΟΥ ΛΑ . . .
(3) Ο ΑΡΠΕΙΩΝ ΚΑΙ ΤΟΥ . . .
ΣΑΙΣ ΤΙΟΥ ΔΠΙΣΚΟ . . .
ΤΟΥΤΩ ΔΕ ΕΙΣ (4) ΑΙΘΙΟ . . .
ΗΛΘΕ ΚΑΙ ΗΜΑΘΙΩΝ (5) . . .
ΝΕΥΣΕ ΤΟΝ ΛΑΟΜΕ . . .
ΤΟΣ ΥΙΟΝ (6) ΤΙΘΩΝΑ . . .
ΗΜΑΘΙΩΝ ΔΕ (7) ΑΠΕ . . .
ΤΑΝ ΒΑΣΙΛΗΑΝ . . .
Ο ΝΥ ΤΟΡΤΙΣ . . .

(1) ΕΛΑΒΕ *ceopit.*
(2) ΕΞ ΑΒ *ex qua.*
(3) ΩΑΡΓΕΙΩΝ *Argivorum.*
(4) ΑΙΘΙΟΠΙΑΝ *Aethiopiam.*
(5) ΕΦΟΝΕΥΣΕ *interfecit.*
(6) ΤΙΘΩΝΟ . . .
(7) ΑΠΕΚΤΕΙΝΕ *interfecit.*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

gantes Amyconem, superarunt
praelio Bebrycum Regem.
Hercules autem ad Indum venit
flumen, & Civitatem...
quae in Sibais habitavit; Amazo-
nes autem in Atticam...
... Theseus autem, & Pyr...
... eas vicerunt...
& coeperunt, Theseus...
... Hippolytam...
Hippolytum facit...
Hercules autem ad...
montem venit, & ad...
... montem venit, &...
... belli...
... Harpyiarum, &...
.....
.....
venit, & Emathion...
..... *Laomedon-*
tis filium Tithonem...
Emathion autem
Reginam...
.....
....

ΕΙΣ ΔΕ (1) ΑΙΓ . . . . . LIBER ANTIQUARIUS.
(2) ΑΠΕΚΤ . . . . . .
ΘΩΝΔ . . . . . .
Μ . . . . . (1) ΑΙΓΥΠΤΟΝ *Aegyptum.*
Λ . . . . . (2) ΑΠΕΚΤΕΙΝΕ *interfecit.*
Σ ΤΑΜΑ . . . . .
ΛΥΟΕ . . . . . .
Α Τ . . . . . .
Η . . . . . .

Complexus igitur documentorum ad Gesta Herculis pertinentium, qui hac in Tabella spectatur, non levem auctoritatem accomodat rationibus Chronologicis, & Historiae temporis Heroici, apud Graecos signatis, ex quo Cadmus, ejusque liberi usum literarum ex Phoenicia intulerant in Peloponnesum, Aticam, & Boeotiam, & conterminas Regiones. Nam exempla primarum Inscriptionum incisa Tripodibus Apollinis, in templo dicatis, (quorum primum Herodotus retulit ad Amphitryonem Herculis patrem, tamquam vetustissimum

ac

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ac genuinum monimentum, heic pariter cum Tripode expreſſum), utpote ex Gentis ſacrariis deprompta, vim habent maximam, ad factorum ſeriem tempuſque comprobandum. Altera dedicatio Tabellae per Admetam facta (Junonis Argivae Sacerdotem) novum pondus auctoritatis addit Chronologiae, & Hiſtoriae; cum ex Hiſtoricorum anteſignanis Hellanicus tanti faciendam eſſe oſtenderit ſeriem illarum Feminarum in miniſterio ſuccedentium, ut ex conſecutione earundem, tanquam certa notione aetatis, duxerit tempora digerenda. Columm-

lumnae denique, sive stelae, & cippi, Viris illustribus, & Athletis in Graecia positae, quales Herculi constitutas heic observamus, tantam conciliant auctoritatem Scriptoribus temporum, & gestorum, ut ex illis pendeat commensus Annalium universae Nationis, per Olympiadas numeratorum (quemadmodum omnes norunt), quarum singulis victoris nomen ex iisdem columnis comprobatum praefigitur. Hoc certe de fonte Lactantius demonstrat aetatem Jovis, Herculis, aliorumque, quos Ethnica Graecorum superstitio inter Deos retulit ex vetustis Inscriptionibus eisdem positis. Lib. 1. *Divin. Instit.* cap. XI. de Jove ait: *In Sepulchro ejus est inscriptum antiquis literis Graecis, ὁ Ξεὺς τοῦ χρόνου, id est Latine*, Jupiter Saturni. *Haec certe non Poetae tradunt, sed antiquarum rerum Scriptores: quae adeo vera sunt, ut ex Sibyllinis versibus confirmentur.* Et paulo ante praemiserat eodem Capite, ab Historico Euhe-

me-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

mero Jovis res gestas ex vetustis ipsius Inscriptionibus in columnis ita probari: *Antiquus Auctor Euhemerus, qui fuit ex Civitate Messana, res gestas Jovis, & ceterorum, qui Dii putantur, collegit, Historiamque contexuit ex Titulis, & Inscriptionibus sacris, quae in antiquissimis Templis habebantur, maximeque in Fano Jovis Triphylii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove Titulus indicabat: in qua columna sua gesta perscripsit, ut monimentum esset posteris rerum suarum. Hanc Historiam, & interpretatus est Ennius, & sequutus.*

De Hercule vero, ejusque Inscriptionibus, & columnis, praeter ea, quae Lactantius indicat collecta ab Euhemero, nota sunt Eruditis ea, quae canit Antipater de Hercule, & Baccho: qui Jovis parentis exempla imitati, statuerunt sibi pluribus in Regionibus columnas, gestorum suorum indices: memorante Bacchi columnas, sive στήλας, etiam Apollodoro lib. 3. pag. mihi 174. Quare

Digitized by Google

re & a posteris, & a cultoribus suis eodem genere monimentorum dedicabatur ipsorum memoria. Versus Antipatri de Bacco, & Hercule sunt,

Ἀμφότεροι Θήβησθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταὶ
Κ' ἐκ Ζηνὸς Θύρσῳ δ' ἑνὸς, ὁ δ' ἑ ῥοπαλῷ
Ἀμφοῖν δὲ ζῆλαι συντέρμονες &c.
Ex Thebis ambo, Jove nati, praelia amantes,
Hunc thyrsi, hunc clavae pondera ferre juvat.
Parque columnarum positus &c.

His autem documentis genuinis ostendit comprobari vitam illorum mortalium, ac tempus, & veritatem rei gestae; licet hanc violare contenderint speciosa quadam & puerili figurandi ratione abutentes Poetae: *Vera ergo sunt*, inquit, *quae loquuntur Poetae, sed obtentu aliquo, specieque velata* (cap. XI. pag. mihi 47.) Dixerat paulo ante (p. 44): *at enim Poetae ista finxerunt. Errat quisquis hoc putat: illi enim de hominibus*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

bus loquebantur : ſed , ut eos exornarent , quorum memoriam laudibus celebrabant , Deos eſſe dixerunt . Itaque illa potius ficta ſunt , quae tamquam de Diis , non illa , quae tamquam de hominibus ſunt locuti. Quare capite poſtremo ejuſdem libri colligit ex monumentis per Hiſtoricos obſervatis , cui aetati reſpondeant Saturnus ille , ac Jupiter , Hercules, Liber, ceterique mortales, Divinis honoribus poſtea culti : & , collatis rationibus Genealogicis , cum Geſtorum hujuſmodi Chronologia , Nationum in monumentis expreſſa,confici aſſeverat, teſtibus Theophilo ac Thalo , Belum , ac Saturnum ipſi aequalem antiquiores fuiſſe Trojano bello an.circiter CCCXXII. Ab excidio autem Trojae, ad ſua tempora , numerat Lactantius , dum haec ſcriberet circa initium ſaeculi quarti Aerae Chriſtianae,annos MCCCCLXX. A Lactantii calculis non elongantur admodum tempora in Arundellianis Pariorum marmoribus conſignata : quae, cum

cum inciſa eſſe conſtet annis CCLXIII. ante Aeram CHRISTI communem, excidium Trojae praeceſſiſſe memorant annis DCCCCXLV. Summa duorum intervallorum eſt MCCIX: quibus ſi addideris annos CCCX. circiter, a capite ejuſdem Aerae noſtrae ad Lactantium numerandae, fiet ſumma annorum MDXIX, ſolis L. annis differens ab intervallo per Lactantium definito ex Trojae excidio, ad annum quo ipſe ſcribebat.

Utroque igitur ductu, tum vetuſtiſſimorum Graeciae monimentorum, quae Tabella haec repraeſentat (& ipſa inter genuinae Antiquitatis documenta referenda), tum Scriptorum in Chronologia, Genealogia, & Hiſtoria apud Graecos principum, ad eamdem metam pertingimus, quae Herculis Alcmenae, ac Trojani belli aetatem per Saecula quindecim dirimit, ab initio Aerae Chriſtianae. Hoc intervallum temporis confirmari oſtendam ex diſpoſitione Aſteriſmorum in Globo Farneſia-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

no ſignata : ſed mihi permitti peto, ad firmiorem perſuaſionem Trojani temporis recte conſtituti, producere tres veteres Tabellas, (*a*) quarum duas hactenus ineditas inter domeſtica cimelia Patruus meus ſervabat, nunc vero Ill. Capitulum Veronenſe cuſtodit : ut appareat quaenam documenta ex illa aetate Graecis ſuppeterent ad ſua tempora rite conſignanda.

CAPUT QUINTUM

Actas Herculis ac belli Trojani illuſtratur ex Tabella Iliaca per Fabrettum V.C. edita, & ex fragmentis aliarum duarum Tabellar. nondum editarum.

HErculem cum dico Alcmenae filium, & ſocium Argonautarum, ac Trojanae Expeditionis, unuſquiſque intelligit de illo me loqui, qui Ciceroni in lib. 3. de Nat. Deorum dicitur ſextus, ſeu poſtremus. Hunc Virum vetuſta Graeciae monumenta docent (ut vidimus capite ſuperiori) cum Telamo-

(a) *Vide Tab. II. Saeculi Secundi noſtrae* Demonſtr. Hiſt. Eccl. Quadripar. *num.* 94. 104. & 99. 107.

mone, & Peleo ad Trojam obsidendam profectum, eamdem diripuisse, jugulatis filiis Laomedontis, solo excepto Priamo. Hanc deinde cladem Trojanam, ab Hercule inflictam juxta Eusebii Chronicon anno Abrahami 768, subsecuta est secunda sub eodem Priamo, bellum inferente Agamemnone, cum ceteris Graecis, post annos LXVII. ab illa priori evolutos, juxta idem Chronicon.

Hujus itaque Herculis, & Trojanae utriusque obsidionis aetate, quaenam documenta sint posita, & ad posteros transmissa, unde Chronologia, ac Gesta Virorum cum Hercule agentium colligi subinde potuerint a primis Historiae Graecae Scriptoribus praestat nunc indagare.

Profero ex pluribus antiquis Cimeliis Tabellas tres, quae sub oculos ponunt fontes documentorum, unde areolas suas irrigarunt Scriptorum principes in Graeca Historia Hellanicus, & Hero-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Herodotus. Prima Tabella, edita atque illuſtrata fuit nobili Commentario a doctiſſimo Antiquitatis interprete Fabretto. Eſt autem celebris illa apud Bovillas reperta, ubi Sacrarium Gentis Juliae fuit; & Trojanarum rerum Scriptores vetuſtiſſimos memorat, Homerum, Arctinem Mileſium, Leſchen Pirrhaeum, ac Steſichorum. Anaglyptico autem opere inſculptis figuris, rerum ſeriem exprimentibus, ſociat inciſa ſingillatim nomina Virorum, ac Mulierum ibidem expreſſorum, necnon templa, columnas, aras, ſepulchra, arcem, muros, portas obſeſſae Civitatis, Sigaeum portum, indicationes denique praecipuas monimentorum: unde Trojani Belli memoria argumentum, Hiſtoricis ſuppeditaſſet, niſi praeripuiſſent Poetae, ut ſuis Fabulis admiſcerent. Tabellae materiem, ad marmoris duritiem ita accedentem, ut plane ex marmore viſa ſit primo intuitu, diligentiori tandem examine judicavit Fa-

Digitized by Google

Fabrettus ex marmore subtilissimum in pulverem reducto, & setaceis foraminibus cribrato, ac in mortarium collocato, admixta etiam arena, juxta Graecanicum illud tectorium a Vitruvio descriptum lib. 7. cap. 3., subacto, cujus crustis pro abacis quandoque utebantur, fuisse compactam. Ut ut sit, complurium marmorum duritiem vincit, tum haec Iliadis Tabella, tum huic simillimae duae, post hanc recensendae. Coelaturae stylus, & literarum incisarum forma, plane par in omnibus observatur. Ibidem effossam fuisse constat Tabulam anaglyphamApotheoseos Homeri, Columnensium in Aedibus asservatam, & plurium Antiquariorum Scriptis ornatam, ampliorem quidem, & elegantius coelatam; sed affinem argumento, utpote celebrantem opera Graecarum literarumParentis, contexta de rebus apud Ilium gestis. Perpensis autem pluribus Tabellae locis, characterum forma, effossionis situ, & Ti-

LIBER ANTIQUARIUS.

Tiberii Claudii, ac Neronis ſtudio in res Trojanas, harumque relationem ad Gentem Juliam,& Sa rarium ad Bovillas a Tiberio Principe fundatum, necnon ejuſdem Neronis elegantiſſimo luxu in Homericis ſcyphis a Suetonio memoratis cap. 47. ejus Vitae, conjicit ſcite Fabrettus pag. 381. aliquo ex his Principibus auctore, efformatam Tabellam ab eruditis collatoribus ſcriptorum Homeri Iliados, cum Arctini Mileſii Aethiopicis, Leſchis Pyrrhaei parva Iliade, Steſichori Troicis, necnon poſteriorum quoque ingeniorum monimentis.

Hujus in Tabellae expoſitione non eſt cur immorer; cum eandem abſolutiſſime perductam per ſingulas anaglyphi partes tanta eruditione nobis expoſuerit eximius Antiquitatis vindex Fabrettus; ut Beggerus, ejuſdem veſtigia relegens, hoc elogio ornandum cenſuerit ſuum praecentorem .„ Tam luculenter illuſtravit, ut, poſt Homerum

LIBER ANTIQUARIUS.

rum Iliada conſcripturus videri poſſit, qui denuo id ſtadium decurrere, & & doctius quid in medium proferre, conaretur „ . Iconem vero ipſam, vita comite, heic inſerendam promiſerat Franciſcus Blanchinus Patruus meus, ex beneficentia Marchionis Clementis Spada, ad quem, tum archetypi hujus Cimelii, tum Iconis aeneae poſſeſſio pervenerat ex haereditate Urbani Marchionis Roccii: cum is ex Cimeliarchio D. Archangeli Spagna Archetypum, Iconiſmum vero ab haeredibus Fabretti fuiſſet conſecutus. Utinam licuiſſet & mihi Iconem inſerere, a V. Cl. Marchione Spada diligenter curatam, ut collata cum duabus aliis ejuſdem argumenti Tabulis nondum editis, (quas Patruus meus Muſeo Ampliſſimi Capituli Veronenſis donavit, atque ego data opera adjunxi II. Tabulae Barbatianae alterius Saeculi hujus noſtrae *Demonſtrationis Hiſtoriae Eccleſiaſticae Quadripartitae* n. 95. 104. 99. &

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

99. & 107.), posset earundem antiquitatem plane supparem ex omnimoda styli similitudine demonstrare.

Materies utriusque Tabellae, seu fragmentorum nostrorum, nihil a praecedentibus differt; quemadmodum & spissitudo, & mensura, ac modulus coelaturae figurarum, & characterum. Hoc unum interest praecedentes inter, ac nostras Tabulas, quod illae ex unica parte insculptae sunt, nostrae vero ab utraque: in una quidem, figuris & literis; in alia vero, literis tantum: quemadmodum Iconismus geminatus ostendit. Prior ex nostris inantica parte (signata num. 95.) exprimit *Iliadem Homeri*, uti perspicue declarat Titulus amplioribus literis ibidem expressus, ΙΛΙΑΣ ΟΜΗΡΟΥ, in limbo superiori. At in limbo laterali ad laevam descendente leguntur enumerati singillatim Iliados Homericae libri, cum brevissimo illo argumento, sive summa libri, quod in vetustissimis Exemplaribus reper-

LIBER ANTIQUARIUS.

pertum, fideliter reddiderunt complures Editiones Graeco-Latinae. Libro primo, indicato per literam A, ſubditur argumentum ΜΗΝΙΣ, hoc eſt *iracundi* (ſubaudi *Achillis*). Libri ſecundi numerus B, non intercidit; ſed literae argumenti detritae ſunt, non ſecus ac tertii Libri numerus, ac ſumma. Sequitur quartus Δ, ejuſque ſummarium in vetuſtiſſimis pariter codicibus adſcriptum, ΟΡΚΙΩΝ ΣΥΓΧΥΣΙΣ, *Foederum confuſio*. Deinde quintus Liber indicatur litera E, appoſito argumento, eorundem codicum auctoritate confirmato, ΔΙΟΜΗΔΟΥΣ ΑΡΙΣΤΕΙΑ, *Diomedis magna ſtrenuitas*, ab Homerico Heroe exercita in vulnerandis Venere, & Marte juſſu Minervae. Heic vero detruncatum pretioſae hujus Tabellae fragmentum, conſequentium Librorum ſeriem abrumpit. Hos intra limbos, inſcriptos ordine & argumento ſingulorum Iliadis Homericae Librorum, ſupereſt anaglyphi pars, Troja-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

nae arcis muros, ac Templum in ea fundatum exhibens iisdem omnino lineamentis, quae conspiciuntur in alia Tabella Marchionis Spada, per Fabrettum illustrata, & in secunda ex nostris, ut conferenti patebit. Nostrae Tabellae portio superstes, licet exigua sit, dum comparatur deperditae, vel etiam Fabrettianae, attamen Iliadis Homericae initium nobis praeservat, quod in illa abruptum desideratur. Exhibet enim in serie superiori icuncularum, seu sigillorum, quibus coelata est, considentes Graecorum Duces, ut de obsidione Trojana prosequenda, sive deserenda deliberent. Leguntur Diomedis, & Achillis nomina, primariis eorum subscripta ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ. Consequitur Chryses (a) ΚΡΥΣΗΣ, ante Regem (b) Agamemnonem sedentem de genu supplex, ut filiam captivam redimat. Negante Rege, Sacerdos Chry-

(a) *Ante* ΧΡΥΣΗΣ, *legitur in marmore* ..... ΩΝ.

(b) *Agamemnonis priores literae fere obliteratae sunt in marmore.*

Chryſes cum objurgatione dimiſſus convertit preces ad Apollinem Smyntheum, ut de Graecorum exercitu poenas ſumat. Juxta Sacerdotis votum, peſtis ab Apolline immiſſa in Graecos graſſatur, quorum cadavera curribus aſportata noſtrum Anaglyphum indicat. Verum heic detruncatur Tabella, & contextus Rhapſodiae: nec ſinit diſtincte nos aſſequi characteres ſubſcriptos.

Ubi noſtrum fragmentum deſinit, inde incipit conſecutio primi Iliados libri in Tabella a Fabretto explicata. Nempe Chryſes, pro Apollinis templo ſacrificans, impetrat ſeveram ultionem. ΛΟΙΜΟΣ, *peſtis* expreſſa Anaglypha figura ac literis, urget Graecorum Duces, ut adeant Calchantem Vatem, ibi nominatim expreſſum ΚΑΛΧΑΣ, & cetera apud Fabrettum legenda: quae, in noſtra quoque Tabella coelata fuiſſe in conſecutione ſuperioris ordinis figurarum dubitare minime poſſumus, & qui-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

& quidem usque ad medium ferme Libri quarti. Nam ordo proximus figurarum, nostro in fragmento superstes, exhibet Nestorem, & Agamemnonem colloquentes de Acie instruenda, ΝΕΣΤΟΡ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝ, juxta Homeri versus 290, & consequentes in quarto Libro. Series huic succedens videtur Diomedis, & Pandari pugnam exprimere ex quinto Iliados libro: nam & nomina subsignata nonnihil retinent ex literis ea componentibus, licet integra non appareant: & figurae proximae Priami, ac Veneris nomina subscripta retinentes, satis indicant, quae in eodem libro prosequitur Homerus de Venere, filium Aeneam ex pugna subtrahente. Ordines duo figurarum, in Anaglypho fragmenti nostri consequentium, pugnas acriores repraesentant. Verum litterae earumdem indices ita detritae sunt, ut desperatam omnino reddant lectionem. Jactura tamen illa, immo & reliquarum Tabellae partium huic

LIBER ANTIQUARIUS.

huic fragmento annexarum, non impedit, quominus recognoſcamus, in hac noſtra, Iliadis ſeriem fuiſſe deſcriptam juxta unicum Homeri Poema: in alia vero Tabella per Fabrettum illuſtrata, fuiſſe propoſitas res apud Trojam geſtas, non ſolo ex Homeri carmine, ſed etiam ex Scriptis Arctini, Leſchis, ac Steſichori, quemadmodum ipſe obſervavit.

Averſa pars Tabellae noſtrae illiterata non eſt, uti duae ſuperius deſcriptae, ſed inſcripta fuit duobus hexametris verſibus, quorum poſtrema hemiſtichia adhuc retinet evidentia. Primum . . . ΝΕΟΥ ΠΟΤΕ ΒΟΥΛΕΙ, in ſuperiori limbo juxta communem ſcribendi morem diſponitur. Alterum vero hemiſtichium . . . . . ΘΕΟΔΩΡΗΟΣΗΙ ΤΕΧΝΗ, peregrina quadam ratione ordinat, ac replicat literas in cellulis quadrilateris ſingillatim digeſtas per diagonales literas illius quadrati ſpatii, quod unicus verſus implebat, legendus, tum per ſtri-

gas,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

gas, tum per diagonales. Scribendi ratio diversa etiam videtur ab illa vetustissima, & alternis versibus in se recurrente, quam a similitudine bubulci, per aratri conversionem sulcos iterantis, antiqui Grammatici dixere *Bustrophedon*. Exorta est, ut arbitror, ex figuratis illis architecturae poeticae lusibus, quales dicere possemus Aram Dosiadae, Syringem Bionis, Simmiae ovum, & similia epigrammata, satis puerili specie excogitata, ad versuum singulorum modulum aptandum commenstui corporis, quod imitatur. Heic vero deducit auctor lectorem carminis per varias vias *a* DEO *datae sanctae artis* (id enim fortasse indicat per alterum hemistichium ΘΕΟΔΩΡΗ ΟΣΗΙ ΤΕΧΝΗ, neglecta constantia *Iota* subscribendi, quod alibi servatum ostendit Doctissimus Pater Montfaucon in Palaeographia Graeca pag. 33.) nempe ex Homeri Poesi, quam Graeci omnium litterarum putant magistram. . . .

Digitized by Google

ſtram. . . . ΠΟΤΕ ΒΟΥΛΕΙ *quando velis*, ad eundem terminum perfectae diſciplinae. Divinare ſi liceat ex paucis vocibus totius diſtichi ſententiam, quidpiam ſimile ſignificatum puto ab auctore per multiplices illas vias ſecundi carminis perlegendi. Verum tanti non eſt hiſce tricis immorari diutius; cum eo tantum conſilio fragmenta haec afferamus; ut conſtet, per haec cimelia, collecta fuiſſe diligenter ex vetuſtioribus primarum literarum Auctoribus apud Graecos potiora documenta, unde Hiſtoria comprobaretur. Id multo praeclarius innoteſcet ex minutiori fragmento alterius ex noſtris Tabellis Iliacis, quod in Iconiſmo notavimus in Tab. II. Saeculi II. num. 99. ut hujus pariter utraque ſuperficies obſervaretur; cum ſit portio alterius Tabellae, nonſecus, ac praecedens, utrinque inſculptae.

Ad Trojanae expeditionis argumentum etiam hoc pertinere certum

 eſt,

LIBER ANTIQUARIUS.

est, ex figuris in antica parte anaglyptice insculptis, cum Graeca Epigraphe singularum acta demonstrante, quae literas praeservat omnino evidentes. Prima cellula ita inscribitur: ΠΕΝΘΕΣΙΛΗΑ ΑΜΑΖΩΝ ΠΑΡΑΓΙΝΕΤΟ, *Penthesilea Amazon advenit*, Priamo scilicet contra Graecos opem latura. Sufficit haec prima Epigraphe, ut ostendatur, hanc Tabellam figuratam fuisse, non ex Homeri Poemate, ubi nulla Penthesilea, aut Amazonum, subsidio Trojanis oblata memorantur; sed ex supplemento Cointi Smyrnaei, quem Quintum Calabrum nostri vocant: & quidem ex ipso initio libri primi, ubi educit in campum Trojanorum armatam Penthesileam, ejusque expeditionis causas exponit.

Cellula secunda, memorat & exprimit mortem ipsi Penthesileae illatam ab Achille, ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΠΕΝΘΕΣΙΛΗΑΝ ΑΠΟΚΤΕΙΝΕΙ *Achilles Penthesileam interficit*. Observat erudite Fabrettus

pag. 350. ad num.80. ſuae Tabellae, Pentheſileam ibi non exhiberi, ex Coinți deſcriptione, ab haſta Achillis cum equo tranſverberatam; ſed, ex Panaeni pictura (de qua Pauſanias in Eliacis lib.v.) ab Achille ſuſtentatam. Noſtrum anaglyphum eandem ex equo delabentem (ſive, ut ipſe ait, defluentem, dum haſta frangitur) & ab Achille ſpoliatam caſſide juxta verſus Smyrnaei 625. & 655. repraeſentat.

Proxima areola Antilochum a Memnone occiſum exhibet, MEMNΩN ANTIΛOXON AΠOKTEINEI, ex Q. Smyrnaei lib. 11. verſ. 257, quemadmodum in ſua etiam Tabella num. 82. adnotavit Fabrettus.

Achilles a Neſtore ad ulciſcendam Archilochi filii mortem accitus verſu 389. ejuſdem libri cum Memnone congreditur num.83., ut ait Fabrettus de ſua Tabella. In noſtra exhibetur eadem pugna, & caedes: & quidem patrata a Pelei filio, juxta Smyrnaei car-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

men, enſe in pectus Memnonis adacto verſ. 541. uti figurarum diſpoſitio in noſtro anaglypho demonſtrat : quae idcirco recognoſcitur ad Q. Smyrnaei deſcriptionem exacta .

Infima areola hanc praefert epigraphen, ΕΝ ΤΑΙΣ ΣΚΑΙΑΙΣ ΠΥΛΑΙΣ ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΑΠΟ . . . . . In Porta Scaea Achilles Apollinis occulto telo vulneratus cadit, juxta Cointi verſus 60. & conſequentes in lib. tertio. Diffractio Tabellae ſeriem ſubſequentium Geſtorum intercipit. Sauciatus vero, & jamjam moriturus aſſurgit , hoſteſque obtruncat, ibi verſ. 150. Αλλά χ' ὡς ἀνώρθωσε κ.λ.

Nihilominus tamen ſurgit , & incurrit in hoſtes , quaſſans validam haſtam; confoditque Ornithona eximium Probatum Hectoris ſocium &c.

Epigraphes in adverſo limbo inciſae, pertinebant ad indicanda Geſta in medio Tabellae expreſſa intra muros Trojanos ibi ſuperſtites , neque diſſimiles a priori noſtra, & a Fabrettiana, in qua Pria-

Priami, & Agenoris caedes ad Aram Jovis Hercaei repraesentatur num. 106. a Fabretto erudite recognita, & explicata. In ejus Tabella superstant figurae. In hac nostra figuris truncata superstes est Inscriptionis pars postrema, ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΣ ΑΠΟΚΤΕΙΝΕΙ ΠΡΙΑΜΟΝ ΚΑΙ ΑΓΗΝΟΡΑ *Neoptolemus* occidit Priamum et Agenorem. Id quoque juxta Smyrnaei Paralipomena lib. 13. vers. 217. & seq. expressum hic titulus docet, comparatus aliorum testimoniis a Fabretto & Beggero productis, & expensis ad num. Fabretti 106. Beggeri vero 62.

Sequuntur nomina Ducum e Graecis illustrium, qui ingressi Equum, arte Minervae ab Epeo constructum, recensentur a Cointo Smyrnaeo lib. XII. vers. 311. & seq. Legitur ex his ΠΟΛΥΠΟΙΤΗΣ *Polypoetes*, ΘΡΑΣΙΜΗΔΗΣ *Thrasimedes*, (quem vocat *Deoparem*), & ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ *Philoctetes*, cujus supra cecinerat vers. 80. magnanimum dimicanc-

LIBER ANTIQUARIUS.

candi ſtudium. Diffractio Tabellae nos fraudat lectione ſubſequentium. Singulis Ducibus enumeratis, alterius Viri nomen ſubditur quarto caſu expreſſum, nempe ΠΟΛΥΠΟΙΤΗΣ ΕΧΕΙΟΝ *Polypoetes Echium*, ΘΡΑΣΙΜΗΔΗΣ ΝΙΔΡΑΙΝΕΤΟΝ *Thraſimedes Nidraenetum*; ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ ΔΙΟΠΘΗΝ *Philoctetes Diopten*, ſubintellecto fortaſſe verbo ΑΠΟΚΤΕΙΝΕΙ *occidit*, expreſſo in adverſis cellulis. Fidentius judicaremus, num per has Epigraphes indicarentur totidem pugnae, vel caedes ad Aram Jovis Hercaei peractae ab his Neoptolemi ſociis cum ipſo egreſſis ab Equo Dureo, ſi Anaglyphi pars exciſa ſupereſſet. Satis attamen recognoſcimus ex Cointi ſententia hanc Tabellam fuiſſe efformatam, cum hoſce Duces recenſeat intra Arcem Trojanam pugnantes, & mactantes cum Priamo ceteros Phrygas ſibi occurrentes; licet fortaſſe delumpta fuerint aliqua nomina ex pictura Polygnoti ad Sepul-

Digitized by Google

pulchrum Neoptolemi prope Delphos, quemadmodum alia complura, quae retulit Pausanias in Phocicis lib. x. eandem picturam describens. Hoc autem loco observare non omittam, his in Tabellis custoditum fuisse morem in picturis Polygnoti obvium, ut scilicet nomina adscriberentur singulis ferme Figuris illorum Virorum, vel Feminarum, quas coloribus repraesentabant.

Exterior limbus fragmenti nostri in areolas pariter distributus, Anaglyphis sigillis insculptus est. Infima areola (ex parte tamen diffracta) videtur Achillem repraesentare, agentem currum, citatis equis, & trahentem Hectoris cadaver, ut Q. Smyrnaeus memorat lib. xiv. vers. 132. Imminet huic areola, in qua pyra extructa; &, composito supra eam cadavere ejusdem Hectoris, justa ei persolvuntur a Trojanis, quae, utpote prolixius descripta ab Homero in ipso fine suae Iliados, leviter attigit

se-

LIBER ANTIQUARIUS.

secundo versu suorum Paralipomenon Smyrnaeus. Suprema denique areola sedentem Priamum Regem, sive alium Trojanum Ducem videtur referre, ejusque pedibus advolutum Sinonem dolosae indicationis auctorem. Equus ligneus in conspectu est; apud quem assidens tanquam in asylo reperiri voluit, ut commentum suum verosimilius redderet. Rem totam lib. XII. fuse pro-

ΚΑΔΜΟΣ ΕΚ ΑΡΜΟΝΙΑΣ ΘΥΓΑ
ΤΕΡΟΣ ΑΡΕΩΣ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ
ΓΕΝΝΑ ΚΟΡΑΣ Δ ΙΝΩ ΑΓΑΥ
ΗΝ ΑΥΤΟΝΟΗΝ ΣΕΜΕΛΗΝ
ΤΙΟΝ ΔΕ ΠΟΛΥΔΩΡΟΝ
ΑΡΙΣΤΑΙΟΥ ΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΗΣ ΑΚ
ΤΑΙΩΝ
ΑΘΑΜΑΝΤΟΣ ΔΕ ΚΑΙ ΙΝΟΥΣ ΛΕ
ΑΡΧΟΣ ΚΑΙ ΜΕΛΙΚΕΡΤΗΣ
ΕΧΕΙΟΝΟΣ ΔΕ ΣΠΑΡΤΟΥ ΚΑΙ ΑΓΑΥ
ΗΣ ΓΕΝΝΑΤΑΙ ΠΕΝΘΕΥΣ
ΖΕΥΣ ΣΕΜΕΛΗ ΠΛΗΣΙΑΣ ΚΑΙ ΚΕΡ
ΑΥΝΩΣΑΣ ΑΥΤΗΝ ΑΝΕΛΟΜΕ

NOΣ

profequitur Cointus Smyrnaeus, cujus Poemati reſpondere videmus quaecumque in hoc fragmento ſuperſunt noſtrae hujus Tabellae.

Facies adverſa fragmenti poſtremae ejuſdem Tabellae Graecis characteribus inſcripta eſt a ſummo ad imum. Recenſetur autem in ea Cadmi progenies ita conſignata:

CADMVS EX HARMONIA FILIA MARTIS ET VENERIS
GENVIT PVELLAS IIII INO AGAVENA VTONOEN SEMELEM
FILIVM VERO POLYDORVM
ARISTEI VERO ET AVTONOES ACTAEON

ATHAMANTIS ET INO LEARCHVS ET MELICERTES
ECHIONIS SPARTI ET AGAVES GENITVS EST PENTHEVS
IVPPITER CVM SEMELE VERSATVS ET FVLGVRE EAM PERSTRINGENS SVSCIPIENS

LIBER ANTIQUARIUS.

ΝΟΣ ΤΟΝ ΔΙΟΝΥΣΟΝ ΚΑΙ ΕΝΡΑΨ
ΑΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΜΗΡΟΝ ΥΣΤΕΡΟΝ
ΔΙΔΩΣΙ ΝΙΝ ΩΤΡΕΦΕΙΝ
ΗΡΑΣ ΑΡΓΕΙΑΣ ΙΕΡΕΙΑ ΕΥΡΥΔ . . .

Poſtremus hic verſus, in quo abrumpitur conſecutio Epigraphis, & Tabellae, videtur mihi longe praeſtare ſuperioribus; cum *Junonis Argivae Sacerdotem Eurydicen* commemoret; quod plurimum intereſt ad conſtabilienda fundamenta Chronologiae, & Hiſtoriae, qualis haberi apud Graecos potuit hujus temporis Heroici, tot fabulis ab eiſdem conſperſi. Vidimus ſupra in Tabella Herculis geſtis inſcripta ex Muſeo Farneſio memorari *Sacerdotem Junonis Argivae Admetam* Euryſthei Regis filiam in ipſa Tabellae dedicatione, ſive ut temporis characterem. Compertum ſiquidem eſt, HellanicumMitylenaeum annis duodecim Herodoto vetuſtiorem, cum vellet Chronologiae probatis documentis

prima

ENS (BACCHVM) DIONYSIVM ET ASSV-
ENS COXENDICE ITERVM
DEDIT IPSVM NVTRIENDVM
IVNONIS ARGIVAE SACERDOS EVRYDICE

prima apud Graecos Hiſtoriae rudimenta contexere, *a ſerie Junonis Argivae Sacerdotio fungentium feminarum fuiſſe auſpicatum*, eamque duobus Libris complexum fuiſſe, quos Stephanus in voce Φρικίον produxit. Alii vero ex Genealogiis aetatum ſucceſſiones, & ſpatia ſunt expiſcati; quibus hanc viam ſignarunt Phericydes Scyrius, & Epimenides, habiti ex Genealogis praecipui.

Noſtra haec Tabella ex utroque fonte Chronologiae rivulos ad Hiſtoriam deducit: quae cauſa fuit, ut hoc in Opuſculo eamdem illuſtraremus, cum reliquis paulo ante allegatis: hoc ſcilicet conſilio ducti, ut oſtenderemus, quae tandem potiora firmamenta Geſtorum, ac Temporum apud

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Graecos invenirentur aetatis proxime praecedentis bellum Trojanum, ut conferrentur cum indicationibus ejuſdem aetatis, ab Hercule Alcmenae, & Argonautis ejuſdem aequalibus indicatae in Aſteriſmorum & Globi Caeleſtis prima deſignatione; ad eadem tempora; ut videbimus, referenda.

Confirmat autem collatio quatuor, de quibus loquimur, Tabellarum conjecturam Fabretti, de ſua Iliaca apud Bovillas reperta, ubi Sacrarium Gentis Juliae a Tiberio Principe aedificatum fuit, ex Taciti teſtimonio Annalium lib. II. arguentis, ab eodem Tiberio, ſive a Claudio, aut a Nerone ibidem collocatam. Ego malim a Tiberio fuiſſe poſitam, non modo ut Gentis Juliae originem a Troja deductam vetuſtiſſimorum Auctorum ſcriptis illuſtraret, verum etiam, ut fabularis Hiſtoriae colligeret quaecumque veſtigia: ejus enim, ipſe, uſque ad faſtidium minutiſſi-

tissimus inquisitor fuit; quemadmodum accepimus a Suetonio in ejus Vita cap.70. Suetonii verba sunt: *Maxime autem curavit notitiam historiae fabularis usque ad ineptias, atque derisum. Nam & Grammaticos, (quod genus hominum, ut diximus, appetebat) ejusmodi fere quaestionibus experiebatur*: Quae mater Hecubae? quod Achilli nomen inter Virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solitae?„Ad ingenium Tiberii formatae videntur quatuor Tabellae hactenus explicatae; cum fabularem historiam Gestorum Herculis,& rerum Trojanarum complectantur, aliae junctim, aliae divisim, juxta praecipuorum apud Graecos Scriptorum Opera; sive Homeri solius, ut in tertia; sive Homeri simul,& Leschis, Arctini, Stesichori,aliorumque, quos sequitur Cointus, adjectis etiam Polygnoti picturis,ut in secunda;sive Cointi Smyrnei tantum, ut in quarta; sive ex Inscriptionibus antiquissimis post inla-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

inlatas in Graeciam a Cadmo literas, ut in prima, Herculis gesta indicante, & Amphitryonis dedicationem, & Argivae Junonis Sacerdotem Admetam.

Sive igitur Tiberii studio in fabularem Historiam ex omnium scriptis colligendam, sive Claudii, & Neronis propensioni in literas, ac res Trojanas, sit adscribenda collectio hujusmodi Tabellarum, quas in sacrario Gentis Juliae dedicatas vix dubito, cum de Iliaca jam constet, cui forma, stylo, & mensura respondent reliquae; id nobis ministrant utilitatis, ut fundamenta potiora nobis ostendant monimentorum Genealogiae, Chronologiae, ac Gestorum Aetatis Heroicae, quibus innititur fabularis Graecorum historia. Si placet Cadmi progeniem heic recensitam diligentius recognoscere, expedite id praestare possumus ex tertio libro Apollodori: *Neptunus*, inquit, *duos e Lybia filios, Belum, & Agenorem procreavit. Belus quidem*

Digitized by Google

dem Aegyptiorum Rex, quos superius diximus, liberos genuit: Agenor autem in Europam profectus, Telephassam conjugem duxit, ex qua Europam filiam, & Cadmum, Phoenicemque mares, & Cilicem sustulit &c.

Cadmus, Harmonia Veneris & Martis filia in uxorem accepta, ex eadem progenuit filias quatuor, marem vero unum: *Cadmi filiae fuere* (sequitur Apollodorus) *Autonoe, Ino, Semele, Agave. Verum Polydorum unicum habuit marem.*

Haec eadem expressa legimus in nostro Fragmento, suppletis in primo versu, & in secundo aliquot literis, quas fractura detruncavit: sed satis indicantur ex consecutione superstitum, capitalibus sive majusculis characteribus heic signatarum:

καδμος ἐκ ἀρμονιης θυγα.
τηρος αρΕΩΣ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ
ΓΕΝΝΑ ΚΟΡΑΣ Δ. ΙΝΩ ΑΓΑΥ-
ΗΝ &c.

Ordo

LIBER ANTIQUARIUS.

Ordo enumerationis in hac prima recenſione variat ab Apollodoro, qui *Autonoen* primo nominat, tum *Ino*, *Agaven*, *Semelem*, & *Polydorum*: ſed mox repetitur in Tabella filiarum ſeries eodem ordine, quo apud Apollodorum occurrunt tum filiae, tum earundem progenies. In Tabella legimus:

ΑΡΙΣΤΑΙΟΥ ΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΗΣ ΑΚΤΑΙΩΝ: Apollodorus ſcribit: *Ex Autonoe, & Ariſtaeo, Actaeon filius procreatur, qui a Chirone educatus, venator evaſit*. Ariſtaeus, Apollinis & Cyrenes filius dicitur a Mythologis. Eundem omnibus praeclaris artibus inſtructum fuiſſe, quibus ceteros homines ad honeſtos mores inducebat, addit Aratus in Phaenomenis: eumque affirmat in Aquarii Aſteriſmo figuratum: quod heic obiter attigiſſe non piget; ut conferatur cum aetate, qua Aſteriſmorum figurae ſunt a Graecis delineatae. Servius ad Virg. Georg. aſſerit, hunc

hunc ab Heſiodo dici Apollinem Auſtralem.

Sequitur progenies *Inus* ſecundae, Cadmi filiae in noſtra Tabella: ΑΘΑΜΑΝΤΟΣ ΔΕ ΚΑΙ ΙΝΟΥ ΛΕΑΡΧΟΣ ΚΑΙ ΜΕΛΙΚΕΡΤΗΣ, *ex* (a) *Athamante & Ino* (naſcuntur) *Learchus, & Melicertes*: non moror fabulam apud Hyginum, alioſque Mythologos perlegendam. Obſervo tempora his & ſuperioribus communia, & *Iſthmios Ludos* in honorem hujus *Melicertis* inſtitutos, Hygino teſte, & Apollodoro, qui eorundem addit Siſyphum fuiſſe inſtitutorem. Ludorum celebratio, publicum eſt Chronologiae documentum ad rem noſtram pertinens; cujus gratia iſta commemoro. Praeterea Athamantem, narrat Hyginus, patrem Prixi fuiſſe, qui ad Colchos aureum vellus pertulit.

(a) *Athamas iſte, qui duxit Ino uxorem ſecundam, fuit Boeotiae Regulus, pater Phrixi, & Helles, ex prima uxore Nephele; eaque mortua, ex ſecunda uxore Ino genuit Learchum, & Melicertem.* Apollodor. p. 38.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Ex tertia Cadmi filia *Agave*, Echioni collocata, quem Spartum vocat noſtra Tabella, hoc eſt ex iis hominibus, quos, interprete Apollodoro, ex Draconis dentibus a Cadmo diſſeminatis ſubortos finxerunt fabulae, naſcitur Pentheus, ΕΧΕΙΟΝΟΣ ΣΠΑΡΤΟΥ ΚΑΙ ΑΓΑΥΗΣ ΓΕΝΝΑΤΑΙ ΠΕΝΘΕΥΣ. Paterno in Regno Thebanorum ſedenti Polydoro acceptum fuiſſe Pentheum, refert Pauſanias; ſed a Bacchis diſcerptum, quod earum occulta ſacra conſpexiſſet.

De poſtrema natarum Cadmi Semele, ejuſque filio Dionyſo, Jovis ex concubitu genito, & a genitore foemori aſſuto, ac nymphis ad nutriendum tradito, eadem leguntur in Tabellae fragmento, quae in tertio libro Apollodori.

Demum ſubſequitur alia periocha, cujus tantummodo primus verſus in Tabellae fragmento ſupereſt, memorans *Junonis Argivae Sacerdotio fungentem Eurydicen*, ΗΡΑΣ ΑΡΓΕΙΑΣ ΙΕΡΕΙΑ ΕΥ-

Digitized by Google

ΕΥΡΥΔice &c. cetera desiderantur. Lego in tertio libro Apollodori (pag. mihi 210.) *Eurydicen* (illius *Lacedaemonis* filiam, qui Regioni nomen dedit, dicebaturque filius Jovis, ex Taygeta una e septem filiabus Atlantis) lego, inquam, hanc ipsam *Eurydicen* uxorem fuisse *Acrisii*, postremi Argivorum Regis ex *Inachidum* stirpe, cui Regi, nata ex Aganippe alia uxore, filia Danae, mater fuit Persei in Regno successoris, quod transtulit Mycenas. Locum celebris illius Templi Junonis Argivae non integris milliariis duobus distare Mycenis, Pausanias narrat in Corinth. (pag. mihi 222.) *Ad laevam*, inquit, *Mycenarum, stadia XV. abest Junonis Fanum*: cujus descriptionem prosequtus, addit, *pro ejus vestibulo stare illarum feminarum statuas, quae Sacerdotio Junonis functae fuerant*.

Harum vero princeps fuit Io antiqua, Inachi filia, & Soror Phoronei, quae prima omnium Sacerdos Junonis

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Argivae asseritur a Theone, in Notis ad Aratum, ut observat Caesius in suo Caelo Astronomico-Poet. pag. 32. quemadmodum & ejus frater Phoroneus, primus omnium Sacrum fecit Junoni Argivae ex Higyn. pag. 143. Quare non immerito censuit Hellanicus, Chronologiam sibi esse ex illarum serie disponendam, quam ab origine Inachidum esse ductam, & tot monumentis aequalibus contestatam videbat: praesertim cum adlegerentur ex Regia stirpe ut plurimum feminae, quae hujusmodi ministerium susciperent; uti videmus in Herculis Tabella, Rege Eurystheo prognatam Admetam; & in hac nostra, Eurydicen Acrisii Regis uxorem, & Lacedaemonis filiam, quae & Junonis Argivae Sacerdotio perfuncta est, & Junoni Argivae Templum dedicauit non longe a Lacedaemone. Nam idem Pausanias in Laconicis (pag. mihi 351.) haec habet:

Ab eo monumento (Pleuronis) non longe

Digitized by Goog

ge abest tumulus, in quo est Junonis Argivae Aedes. Dedicatum ajunt ab Eurydice Lacedaemonis filia, Acrisii Abantis filii uxore: qui scilicet postremus fuit ex Inachidis in Regno Argivo, succedente, uti diximus, Perseo nepote, Jovis & Danaes filio, quae Acrisio nata erat ex Aganippe altera uxore.

Intelligimus itaque ex nostra Tabella cum hisce testimoniis Auctorum collata, in serie Sacerdotum feminarum Junonis Argivae, Eurydicen hanc uxorem Acrisii, una vel altera generatione praecedere aetatem Argonautarum. Nam frater ejusdem Eurydices fuit Amyclas, ex quo natus Cynortes, genuit Perierem, cui nupsit Gorgophone Persei filia. (Apollodorus pag. 210.)

Brevius autem colligitur eadem distantia generationum duarum ex Athamante patre Phryxi: cum Phryxo geniti liberi quatuor, ab Hygino recensiti, non modo Argonautarum comites fue-

LIBER ANTIQUARIUS.

fuerint, sed unus ex iisdem Argus navem ipsam constructisse dicatur, qua in Colchos profecti sunt.

Quinque autem generationibus Sacerdos Eurydice praecedit Sacerdotium Admetae regis Eurysthei filiae, & Herculi aequalis, ut ex brevi elencho generationum, quem heic elicimus ex Apollodoro, constare potest.

Acrisius Rex Argivus. Huic nupta Eurydice Sacerdos Junonis Argivae filia Lacaedemonis.

Danae

Perseus

Alcaeus

Amphitryo

Hercules: cui Eurystheus Mycenarum Rex in gratiam Admetae filiae, unum ex laboribus XII. demandavit, ut baltheum scilicet afferret Amazonum Reginae.

Tres autem generationes cum interfint a Cadmo ad Acrisium (ut hanc seriem genealogicam ex eodem Apollo-

do-

doro depromptam inſpectanti patebit)

Neptunus

Belus — *Agenor*

Aegyptus — *Cadmus*

Lynceus — *Autonoe, Ino, Agave, Semele, Polydorus*

Abas

Acriſius — *Bacchus, Dionyſus*

conſequitur, ut octo generationum intervallum, a Cadmo ad Herculem Alcmenae, ceteroſque Argonautas, ſit numerandum: quod ſpatium aetatis 250. circiter annis aequari poteſt: & anni 180. circiter ab Acriſio Rege, & a Sacerdotio Eurydices, ad Herculem, & Euryſtheum, hujuſque filiam, & Sacerdotem Junonis Argivae Admetam, hiſque aequales Argonautas, computari poſſent.

Porro Junoni Argivae ludos Lyncei Patruus inſtituerat Danaus, ut Higynus refert in nuptiis filiarum, qui cantu peragebantur, unde dictus eſt Hymeneus. Quare adnotat Pauſanias, ſua quoque aetate prope Fanum Junonis Ar-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Argivae, de quo supra, ab Eurydice dedicatum, operis antiqui signum fuisse collocatum in Aede Junonis Hypercheriae, *ad quam* (inquit) *pro filiarum nuptiis sacra facere Matronas solemne est*. Ludos a Danao institutos quintos numerat Higynus: mox addit sextos iterum Argis a Lynceo Aegypti filio Junoni Argivae celebratos, quos appellare placuit ἀσπιδηφόρια; propterea, quod coronae loco daretur victoribus clypeus; cum idem Lynceus Abanti filio clypeum, quem Danaus patruus in juventa gesserat & eidem Junoni sacraverat, e templo detractum munere dedisset. Aedes itaque Junonis Argivae ab aetate Danai, & Cadmi, nempe a prima literarum, & artium institutione apud Graecos, haberi debet tanquam promptuarium primae ipsorum Chronologiae, tum ex Ludorum institutionibus, tum ex feminarum successionibus in Sacerdotio, ab Hellanico prudenter observatis, & adhibitis ad temporum notas histo-

historiae suae praefigendas.

LIBER ANTIQUARIUS.

Pauca haec specimina, & documenta, quae in nostris Tabellis & fragmentis tot saecula praeservarunt, ita pretiosa mihi visa sunt, & utilia ad comprobanda temporum ante actorum spatia mox colligenda ex Globo Farnesiano, ejusque Asterismis, ab Argonautarum aetate ad nos derivatis, ut exponenda esse duxerim integro Capite, Eruditis Lectoribus, ut spero, non injucundo.

CAPUT SEXTUM.

Ex Figuris Asterismorum, per Graecos efformatis & in Globo eorum Caelesti repraesentatis, probatur eam delineationem completam fuisse circa aetatem Herculis, & Argonautarum.

AD comprobandam asserti hujus veritatem satis esset illa colligere, quae sparsim protuli per totam secundam Decadem Historiae nostrae Universalis,

LIBER ANTIQUARIUS.

salis, praesertim vero cap. 28. Decadis III. aut brevem illam indicationem repetere, quam sub initium hujus opusculi perstringebam. Verum ne nimis jejune hoc argumentum ex praecipuis hujusce libri videar delibare potius, quam pertractare, si contracta illa enumeratione contentus sim; aut minus civiliter agere cum Lectore, si eum amandem ad integram Decadem alterius nostri Operis evolvendam; proponam discretos intra terminos hujusce Capitis quidquid a me tunc editum, posteriores deinde curae aliorum, ac nostrae hanc in rem collatae luculentius exposuerunt.

Imagines Asterismorum a Graecis adhibitae ad stellas singillatim enumerandas, & nominandas, referunt Argonautas, eorumque naves, & instrumenta, aut Viros, feminasque, & machinas, aliaque inventa, & monumenta, vel ejusdem aetatis cum Argonautis, vel paulo superioris. Quare, ut completa esse

esse non potuit Asterismorum hujusmodi delineatio ante Argonauticam expeditionem; ita nec valde posterior habenda est, cum neminem e Graecis illustribus admittat Trojano bello, & Ilii eversioni superstitem: quos profecto non omisisset Astris inferre cum superioribus, si locus occupatus antea non fuisset prima illa designatione. Nam de Coma Berenices non est heic sermo, quam novimus a Conone Mathematico in gratiam Berenices uxoris Ptolemaei Lagidis sive Soteris superadditam Globo Graecorum, jam multis Saeculis ante absoluto.

Quare neque Eudoxus, neque Meton (Astronomi vetustiores Conone) neque his antiquiores Scriptores quidquam nobis de illo Asterismo tradiderunt; sed stellas informes reliquerunt circa Bootem; quod multo magis de Antinoi Asterismo dicendum est, plura post Saecula antiquis addito ab assentatoribus Hadriani.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Ad expeditionem igitur Argonauticam referri Navem a conſtructore Argo compactam, ſatis liquet; cum ab illa Argonautae ſint nominati. Praeter hanc tamen navim, aliarum quoque per eadem vel paulo ſuperiora tempora conſtructarum, imagines delineatae ſunt ab Aſteriſmorum deſignatoribus. Nam *Aries*, unde Zodiaci faſciam ornare coeperunt, *Paraſemon* eſt, ſive *Inſigne* & *Tutela* ejus Navis, qua Phryxus, una cum ſorore Helle fugiens, ſe apud Colchos recepit. Sive *Aries aureus* exprimeret ſolum *Inſigne* Navis, ſive etiam *Tutelam* Jovis Hammonis, perinde eſt. Ad hoc vero ſignum e Colchis aſportandum, miſſus a Rege Pelia dicitur Jaſon, cum ceteris Argonautis. Alterius Navis *Inſigne* fuit pariter *Taurus*, ſive ex *tutela* Apidis, Ius, aut Iſidis, ſive ex *Tauri* ſtemmate, qua Princeps ille Cretenſis, Jovis nomine a fabulis memoratus, Europam Cadmi ſororem rapuit. Alii tamen

men autumant, referri hoc etiam *Insigne*, seu *Parasemon* Navis, ad Jasonem Argonautarum Ducem, ob Tauros illos aeratis pedibus gradientes, ab ipso domitos, & sub jugum missos; de quibus ita opinandum censet in Opere posthumo de Graecorum Chronologia nuper edito celebris Neutonus, juxta ea quae Higynus tradidit Fab. 22. Ego quoque Naves arbitror significatas aerato rostro mare sulcantes, directasque a Jasone, sub Apidis, aut Ius tutela, ad maritimas expeditiones.

Sequitur Alterisimus duorum *Geminorum* Castoris, & Pollucis, (qui, cum Hercule navigantes, ex numero Argonautarum fuerunt; ad quos etiam spectat constellatio *Cygni*, ad ipsorum Matrem Laedam sub illa imagine perlato Jove.) & Equi minoris juxta Caesium pag. 215. Cancri Sydus ad Herculem, unum scilicet ex Argonautis, referri docet Germanicus, quemadmodum, & Leo, qui consequitur, ob Nemaeum

LIBER ANTIQUARIUS.

maeum ab ipso interfectum. Quin & in ejus pelle Herculem post navigationem quiescentem Tabella ostendit, quam explicuimus supra cap. IV.

Extra Zodiacum quoque *Pegasus alatus*, est Navis Bellorofontis, cujus insigne Pegasi fuit, uti Caesius docet in suo Caelo Astronomico-Poetico p. 212. Delphinus, navis, qua Apollo Delphos, vel qua Bacchus in Lydiam navigans, piratam vicit Lycios infestantem. Caetus vel Pistrix, sive sit alia Navis contra Perseum & Ariadnam missa, sive monstrum marinum, ad eosdem refertur, aetate proximos Argonautis per unam aut alteram generationem, qua eos praecesserunt. Pertinent quoque ad eosdem Asterismi *Coronae* Boreae, ipsius *Andromedae*, hujusque parentum Cephei, & Cassiopeae. Verum, ne divagemur ab Argonautis, *Orphei* Lyra, *Aesculapii* sydus, & *Serpens*, Herculis *Sagitta*, & *Vultur*, Hesperidum *Draco*, *Hydrus* sive *Hydra*, quam aliqui

Ler-

LIBER ANTIQUARIUS.

Lernaeam putant cum Caesio pag. 273. spectare intelliguntur ad Argonautas, quos inter Aesculapius, Orpheus, & Hercules numerantur. Multo autem proximius eosdem attingit *Chiron Centaurus* plurium Argonautarum Magister, nempe trium jam nominatorum, & Jasonis una, cum sua *Ara*, & *Lupo* (quam *victimam Centauri* dicunt, teste Caesio pag. 299.) & *Corona Australi*, ad sacrificium adhibita, sive hanc malis ad Bacchum referre cum iis, qui, in memoriam *Semeles* matris Caelo inlatam ab ipso volunt, Asterismi delineatio incidet in tempora Argonautica, cum Bacchus Semeles filius annis LX. ante Herculem decessisse dicatur. Quaecumque supersunt Costellationes (praeter novitias Comae Berenicis, & Antinoi), ut scite advertit Neuton, Gesta connotant aetatum Argonautis proxime superiorum; nulla vero indicat viros, feminas, aut facta Argonautis posteriora. Nam *Ursa Major*, Callisto

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

listo Lycaonis Arcadiae Regis filiam, Arctophylax vero filium ab illa genitum indicant. *Ursa Minor*, unam ex Jovis illius nutricibus, qui Cretensis fuit, & raptor Europae ſororis Cadmi. Ejuſdem Jovis Cretensis Capra Amalthea nutrix *Capellae*, vindicat Sydus cum *Heniocho* ejuſdem geſtatore, quem nominant etiam *Aurigam*. Theon vero in Aratum, aſſerit eſſe Bellorophontem. *Trianguli* Sydus Arieti imminens cum Aegypti Deltam referre dicatur & imitari, profecto deſignat Regionem, unde ars navigandi per Danaum, alioſque delata in Graeciam fuit. *Arcturus*, *Virgo*, ſive Erigone, & *Canis minor*, juxta Higynum Fab. 130. ad geſta pertinent Icarii & Bacchi; ad Jovis, & Panis Capricornus (Vide apud Higynum); Aquarius ad Deucalionem, juxta quoſdam, &, ex aliorum ſententia, ad Ganymedem Jovis pocillatorem, Bello Trojano anteriorem & Argonautis. Piſcis uterque, ad Venerem, & Cupidinem;

nem ; tertius vero Nothius ad Isidem, teste Higyno. Orion, & cum eo Lepus, & Canis major, necnon Eridanus, sive fluvius (ad eumdem Orionem relatae Constellationes) circa eadem tempora statuendus est; cum dicatur ab Higyno Fab. 41 Jovis filius, & Europae sororis Cadmi. Sunt igitur universi veterum Asterismi, in Arateo Globo retenti, figurae Argonautarum, vel Patrum, & Avorum, per octo superiores generationes texentium stemmata Principum, eisdem Argonautis aetate ac sanguine junctorum per duas praecipuas stirpes Inachidum, & Japetidarum. Nullus vero Asterismus (secluſis, ut saepe diximus, *Coma Berenices*, *& Antinoo* post plura saecula insertis) indicat memoriam rei gestae post Argonauticam expeditionem. Quare ipsa res docet, completam fuisse delineationem hujusmodi Asterismorum aetate Argonautarum, imo & ad usum eorumdem in re Nautica exercenda; quae, stellarum

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

ſingularum nomenclaturam certam, ſtatui, ac ſitum exacte conquiri, & in globo fideliter reddi, requirebat.

Obſervaveram per totam ferme Decadem tertiam Hiſtoriae noſtrae Univerſalis, praeſertim Capite XXII. & XXVIII. & XXX. num. LVI. univerſas Conſtellationes (cum referant geſta, ac viros ad eadem ſaecula pertinentes) jure dicendas eſſe opus aetatis, eoſdem terminos non excedentis. Eques Iſaac Neuton in ſua Chronologia non modo aſſentitur, ſed etiam opportune producit auctorem delineationis completae eorundem Aſteriſmorum; & fuiſſe probat Chironem Centaurum, qui plures ex Argonautis (praeſertim Herculem Alcmenae, Jaſonem, Theſeum, Orpheum) inſtituit in re Aſtronomica, & in variis diſciplinis. Aſſertorem oſtendit, apud Clementem Alexandrinum Stromatum libro 1. pag. 306. & 357, Scriptorem illum antiquum Gigantomachiae, qui diſerte tradit, Chironem Cen-

Centaurum delineasse χήματα Ὀλύμπου. Quin etiam addit filiam Chironis Hipponem, patris exempla secutam, easdem disciplinas retinuisse. Et comprobat Euripidis testimonio, oracula tradi ab ipsa consuevisse *per ortus syderum*. De eadem Hippone in nostra Universali Historia Cap. XXVIII. id probaveram ex testimonio S. Cyrilli in lib. contra Julianum, ubi asserit, tanquam paternam haereditatem illatum fuisse ab Hippone in domum Aeoli, cui desponsata fuit, naturalem Philosophiam: per Argonautas vero in reditu ex Colchide, quando ad Phaeacam Insulam consederunt, juxta Apollodori testimonium, conjicit prudenter Neuton, Sphaerae seu Globi ejusmodi inventum, Nausicaae filiae Regis Alcinoi communicatum. Quare Corcyrenses apud Suidam in verbo Ἀναγναλλὶς, eandem Nausicaam Spherae inventricem jactant. Sed alii apud Laertium in Prohem. lib. 1, Mulaeum, unum ex Argonautis,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS

Eumolpi filium & Orphei Magiſtrum; affirmant primum e Graecis Sphaeram Caeleſtem conſtruxiſſe, communicato ſcilicet cum Chirone conſilio, & communi ſtudio ad eam abſolutam delineationem perducto Caeleſtis Globi opificio ſuis Aſteriſmis ornato.

Haec omnia a tam celebri Auctore circa hoc argumentum ſuperaddita, confirmant ea, quae hactenus conſtituimus de abſoluta Aſteriſmorum delineatione circa aetatem expeditionis Argonauticae.

Praecipuum attamen firmamentum ad conſolidanda haec aſſerta ſtatuendum eſt in Caeli ipſius, & ſtellarum ſingularum diligenti inſpectione, & comparatione motus, per certa tempora in ſtellis obſervati, cum hiſce munumentis genuinis, earundem poſitus experimentibus per aetatem, qua conſtruebantur. Deprehenditur ex hac comparatione talis evidentia Chronologiae, ut nulla poſſit luculentior adhiberi ad com-

Digitized by Goo

Liber Antiquarius.

comprobandum tempus rei geſtae, & humano teſtimonio ad poſterorum memoriam perductae.

Eudoxus, aliique Aſtronomi celebres eundem ſecuti nobis tradiderunt, in Sphaera veterum (nempe illorum, qui primi Aſteriſmos delinearunt, & ſtellas ſingulas collegerunt ſub certis Imaginibus, earundem ſitum in Globo connotantes) collocata fuiſſe puncta, ſive cardines Aequinoctiorum, ac Solſtitiorum in medio illius Signi aut Aſteriſmi, in quo tunc verſante Sole Aequinoctia & Solſtitia obſervabantur. Cauſam hujuſmodi ſedis deligendae, deducit prudenter celebris Neuton ex complicatione anni Lunaris ac Solaris a pleriſque Nationibus uſurpata: quae, cum neceſſario requireret menſes intercalares ad pariandas rationes utriuſque Luminaris, ferebat quoque Noviluniun menſis primi quandoque diebus 15. ante, quandoque totidem poſt Aequinoctia & Solſtitia. Quare viſum

fuit

LIBER ANTIQUARIUS.

fuit opportunum complecti ſub una Imagine, ſive Aſteriſmo Zodiaci, illam Caeli portionem, quae hinc inde a punctis Aequinoctii, ac Solſtitii diſtabat per ſpatium, 15. diebus circiter a Solis progreſſu definitum. Poteſt alia quoque cauſa cenſeri ejuſdem repartitionis, ſecluſo etiam reſpectu aequandorum Lunae menſium cum Anno Solari, quam ita reputo.

Primi ex Veteribus Sphaerae inventores, qui ad uſus humanae vitae praeceteris neceſſarios aut proficuos, Agriculturae praeſertim, Kalendarii, ſeu diſpoſitionis anni Civilis, ac Navigationis, obſervationes ſuas referebant, Solſtitia, & Aequinoctia, ut puto, adnotarunt in Orizonte; obſervantes puncta ortus, & occaſus Solis, ubi dies longiſſimi in Aeſtivo Solſtitio, breviſſimi vero in Hyberno contingebant. Hoc ſpatium bifariam diviſum in eodem Horizonte aſſignabat puncta Ortus, & Occaſus, ad quae, cum Sol defer-

Digitized by Google

ferretur, aequabat horas suae moraesupra Horizontem, cum horis suae revolutionis infra Horizontem. Illa igitur puncta prae ceteris attendenda censuerunt, ut ex reditu Solis ad eadem attingenda in suo Ortu, & Occasu, Aestatis, & Hyemis, Veris, & Autumni periodos definirent: ad agros colendos per Georgicam, ad Civilem anni partitionem per Kalendarium, & ad maritima commercia citra periculum exercenda per Nauticam, referentes hujusmodi observationes. Necesse igitur fuit attendere spatium temporis, quod excurrebat a Solis recursu ex uno puncto Solstitiali, exempli gratia, ita in Horizonte observato, ad punctum proximi Aequinoctii, & vicissim a punctis Aequinoctialibus, ad Solstitia proxima. temporis aestimandi, ac numerandi duo tantum organa illis suppetebant, Solis nempe repetitus gyrus supra Horizontem, quem diem dicimus, & Lunae renovata apparitio post Solis occasum;

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

casum, quae mensem aperit. Haec autem secunda ratio, procul dubio expeditior, & facilior, mensura fuit sub illa Astronomiae practicae infantia. Tres enim Lunae renovationes facilius numerantur, quam 90. recursus Solis, vel 91. Tres circiter Lunationes peragi cum viderent, interea dum Sol a puncto Horizontis Solstitiali procederet ad proximum Aequinoctiale, totidem Caeli spatia intra illum quadrantem circuli subdividenda censuerunt; & ita de ceteris annui circuli quadrantibus. In Lunae autem progressu per eadem circiter spatia, cum viderent Stellas per eundem Caeli tractum disseminatas delineare quodammodo fines partitionis trifariae a se designandae in unoquoque quadrante circuli; illarum ductu rem peragendam susceperunt. Demerso igitur Sole infra Horizontem, quando attigerat, exempli causa, punctum Verni Aequinoctii in eodem Horizonte ita, ut praediximus-

prae,

Digitized by Google

praenotatum, attente conversis oculis ad eandem Crepusculi Vespertini plagam, ubi Solis demersio contigerat, adnotarunt Stellas crepusculo propiores. Sin autem Lunae prima Phasis ea die forte contingeret, ex ejus vicinia fixarum earundem connotatio securius peragebatur. Quod in Vespertino Crepusculo observatum diximus, pari ratione in Matutino quoque inspiciebant. Quindecim vero gradibus circiter hinc inde a loco per Solem occupato possunt in utroque crepusculo deprehendi Stellae Zodiaci proximae, non modo primae magnitudinis, sed etiam secundae, praesertim ubi minor elevatio Poli, obliquitatem Sphaerae minorem reddit. Quare spatium illud Fasciae Zodiaci, utroque Crepusculo circiter definitum, uni Signo ex tribus in quadrante circuli statuendis jure attributum fuit, & sedes Aequinoctii in medio ejusdem Signi a primis illis Asterismorum metatoribus ac delinea-

 tori-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

toribus conſtituta. Utraque igitur haec ratio (quantum aſſequi poſſum) in cauſa fuit, ut ſedes Aequinoctiorum, ac Solſtitiorum a primis Imaginum Caeleſtium deſignatoribus in medio earundem Imaginum locarctur. Non enim ipſi, pro lubitu promovebant ad medium Signi puncta cardinalia Solſtitii, & Aequinoctii: ſed circa haec puncta a Solis ſitu definita quotquot Stellae hinc inde obſervari poterant, gradibus circiter quindecim, ſive luce crepuſculi utriuſque diſſitae, juxta Zodiaci Faſciam collectae ab ipſis fuerunt in unam ex tribus Imaginibus, unicuique quadranti attribuendis, ſive duodecim Aſteriſmis, integrum anni, & Zodiaci circulum conveſtientibus.

Hinc vero effectum eſt, ut duodecim iſtae Imagines aſſumptae, non fuerint omnino aequales, ita ut ſingulae per longitudinem extenderentur exacte ad gradus triginta. Partitio Imaginum ſenſibilis pendebat a ſitu fixarum, quae

Digitized by Google

quae intra id ſpatium claudebantur: quas naturae conditori per ſingulos triginta gradus ab hominibus unicuique circulo aſſignatis collocare non placuit, veluti milliarios lapides. Infinita ejus ſapientia alia ratione diſtribuit: cui pro tenuitate humanae cognitionis ſeſe accomodantes (ut par erat) illi rudes Aſteriſmorum delineatores, juxta poſitum Stellarum, a ſpatio graduum triginta non admodum recedentium, ſuarum Imaginum lineamenta per fixarum indicatarum fines duxerunt: id prae ceteris attendentes, quod maxime ex uſu erat, ut Solis locus in punctis Cardinalibus medium circiter ejuſdem Imaginis, ſeu Signi obtineret. Haec igitur rationabilis cauſa fuit, circumſcribendarum Imaginum cardinibus utriuſque Solſtitii, & Aequinoctii, ac Signorum intermediorum; itaut medium Imaginis cardines obtinerent in Sphaera illa primigenia.

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Poſtera deinde aetate obſervatum fuit, in regreſſu Solis ad puncta cardinalia utriuſque Aequinoctii, ac Solſtitii, quae in Horizonte non mutabantur, non apparere poſt aliquot Saecula in confinio lucis crepuſculi veſpertini, exempli cauſa, Stellas eaſdem, quae aliquot Saeculis ante ibi fulgebant; ſed in Veſpertino Crepuſculo tardius mergi, quam antea conſueverant, Sole occidente in eodem puncto Horizontis. Neceſſario igitur intellexerunt, Solem in cardine illo Aequinoctii conſtituti non obtinere idem centrum Imaginis, ſive Aſteriſmi, ſed partem proximiorem initio, quam extremo termino ejuſdem Signi. Hinc Aſtronomi poſteriores affirmarunt, gradatim cardines Aequinoctiorum a ſe deprehenſos non in quintadecima parte, ſeu gradu ejuſdem Aſteriſmi, ſed in duodecima, deinde in octava, poſtmodum in quarta: quemadmodum Achilles Tatius in Iſagoge a Petavio edita Sect. 23. diſerte tradit. Hanc

LIBER ANTIQUARIUS.

Hanc dicimus *praeceſſionem Aequinoctiorum*: quae ſero admodum reperta eſt ab Hipparcho, conferente ſuas Obſervationes poſteriores cum ſuperioribus ante aliquot ſaecula habitis. Nam ita lenta eſt illa praeceſſio, ut ad unicum gradum promoveat ſpatio annorum 71: & idcirco ſenſibilis reddi non poterat, niſi poſt lapſum plurium Saeculorum, ea praeſertim aetate, qua Aſtronomi deſtituti erant organis aptis ad diſtinguenda minutiora ſegmenta temporis, & circulorum. Nunc vero auctis mirum in modum praeſidiis Aſtronomiae, tum ex organorum copia, ac ſubtilitate, tum ex ſerie diuturna obſervationum per tres circiter Saeculorum Decades habitarum, ita Nobis conſtat de quantitate illius praeceſſionis, ut per annos ſingulos eidem imputanda eſſe noſcamus minuta ſecunda 51. Circuli maximi, gradus vero unus per annos 71. & decem gradus per annos 710. ut ex Tabulis Ludo-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

doviſianis de la Hire, a Regia Scientiarum Accademia collectis ex diligentiſſimis obſervationibus, quemadmodum etiam ex Flamſtedianis, ſive Britannicis conſtare cuique poteſt.

Ut igitur procedamus ad perſpicue demonſtrandam aetatem completae delineationis Aſteriſmorum ſub Argonautis, eorumque Magiſtris Chirone, & Muſaeo, utendum eſt iiſdem Aſteriſmis in Globo Farneſiano repraeſentatis, juxta poſitum Stellarum, quem anno Aerae Chriſtianae Vulgaris 140. ſive *Antonini Pii* ſecundo, obtinebant, obſervante Ptolemaeo illius Diſciplinae ſupra omnes veteres peritiſſimo, ex iis qui ſuperſint.

Oſtendi ſupra cap. 2. Imagines Aſteriſmorum in Globo Farneſiano ſculptas anaglyptico opere una cum Sphaerae circulis, reſpondere dimenſioni longitudinum a Ptolemaeo ſua aetate repertae, & in Catalogo adſcriptae ad Epocham indicatam anni ſecundi ejus

An-

Antonini, qui *Pius* dictus fuit, hoc est ad annum Aerae noſtrae Chriſtianae 140.

Oſtendi ſecundo loco, quantitatem praeceſſionis Sectionum cardinalium Vernae; & Autumnalis, nempe Ecliptícae, & Aequatoris, deprehenſam ex comparatione Stellarum, Aſteriſmos conſtituentium, cum cardinibus ſupradictis a Solis incurſu manifeſtatis, ſpatio annorum 1550, nempe ex anno Aerae Chriſtianae ſupradicto 140. ad annum ejuſdem Aerae 1690. compleviſſe gradus viginti duos.

Ut igitur aſſequamur quot annis praeceſſerit Aeram Catalogi Ptolemaici incurrentem in annum CHRISTI 140 Aera completae delineationis primae Aſteriſmorum ſub Argonautis, ſatis erit attendere quoto in gradu illarum Imaginum & Aſteriſmorum cardines illi ſectionum Vernae, & Autumnalis verſarentur, dum ita primum delineabantur. Id nobis retulit Achilles Tatius,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

tius, aliique veteres confirmant, videndi apud Petavium in suo Uranologio, nempe cardines sectionum supradictarum, seu puncta Aequinoctialia (idem intellige de cardinibus Solstitiorum) obtinuisse medium illius Imaginis, in qua includebantur.

Diximus paulo ante, Stellatas illas Imagines exacte aequales non esse, sed parum variare a duodecima parte circuli, quae constat gradibus triginta. Quo exactius itaque definiamus gradus progressuum, exploranda primum erit amplitudo Imaginis, sive Asterismi, in quo praecessio cardinum exploratur. A primo Zodiaci Asterismo, hoc est Arietis Imagine Stellata, & Vernae sectionis, cardinem in suo meditullio continente, quando primum delineata fuit, erit inchoandum. Id vero facile praestamus per fixarum Catalogos diligentissime constructos aetate nostra ex observatis accuratissimis potiorum Astronomorum.

In

Digitized by Google

Liber Antiquarius.

In Britannico Flamſtedii, ad annum 1690. ineuntem Stella *Arietis prima*, ſeu in *Cornu praecedens*, quae Bayero notatur litera *y*, erat in longitudine diſſita a Sectione Verna Eclipticae, & Aequatoris gr. 28. 51'. 0". Stella vero, dicta *Ultima Caudae Arietis*, Bayero indicata litera *T*, erat ab eadem ſectione Verna, ſeu cardine Aequinoctii elongata gradibus 49. 3'. 42". Amplitudo igitur Aſteriſmi extenditur gr. 20. 12'. 42". ſi Arietis Imaginem figurarunt Chiron, Muſaeus, & ceteri Argonautae intra fines hujuſmodi Stellarum, cujus arcus dimidia pars conſtat gr. 10. 6'. 21". Sin autem uſque ad Plejadas pertigit Arietis figura, ut in Globo Farneſiano apparet, & ſi Argonautae ex Plejadibus Tauri Imaginem inchoarunt, quarum *Lucida* ad Epocham praedictam anni 1690. ineuntis elongabatur a ſectione Verna in Zodiaco gr. 55. 40'. 8", amplitudo Aſteriſmi Arietis occupabat gr. 26. 48'. 52", cujus exten-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

sionis dimidia pars continet gr. 13. 24'. 26''. Mihi certe id videtur vero similius, ut, quemadmodum initium primae imaginis a Stella *Lucida* in cornu prae ceteris sensibili ducebatur, & tertiae imaginis Geminorum, a *Lucida* in pede Gemini praecedentis, quae dicitur *Propus*, ita & secundae imaginis, seu Tauri Asterismus, in Plejadum sensibili admodum collectione initium statueretur. Pari enim modo, & Leonis signum, ab ea *quae in naribus* deductum, perducitur ad primae magnitudinis stellam in *Cauda*, per quam ductus circulus longitudinis inchoat Virginis Asterismum per stellam *ω*, *in summo capite* figuratam: quod & in ceteris Zodiaci imaginibus praestitum fuisse videmus.

Hoc igitur Arcu gr. 13. 24' 26''., si constabat medietas Asterismi in Zodiaco primi, inchoata ex Lucida in cornu Arietis, quae anno Aerae Christianae 140. statuebatur a Ptolemaeo aliis gradibus

dibus 6. 40'. & continuata ad ſitum, quem ſectio Cardinis Verni tunc obtinebat (uti demonſtravi cap. 2.) conſequitur, ut praeceſſio Aequinoctiorum ex medio Aſteriſmi Arietis, ad eum gradum 6. 40'. ultra Lucidam in cornu conſtet gradibus 20. 4'. 26". peractis ab eadem ſectione ex prima delineatione imaginum ſub Argonautis ad Epocham Catalogi Ptolemaici, ſive annum Aerae Chriſtianae 140.

Cum praeceſſio Aequinoctiorum per gradus 10. abſolvatur annis 710. praeceſſio graduum 20. 4'. 26". oſtendet annos 1425. eſſe numerandos a prima delineatione Aſteriſmorum ſub Argonautis ad eundem annum Chriſti 140. quo Ptolemaeus obſervavit.

Pariatur haec ſumma temporis collecta ex motu fixarum, ſive ex praeceſſione Aequinoctii ſupra Aſteriſmos, cum aequali ſumma, quam numerant antiquiſſimae Graecorum Epochae in marmoribus Arundellianis. Inciſa fue-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

runt marmora illa, ut omnes norunt, poſt Seldeni, & Prideaux notas eruditiſſimas, annis CCLXIII. ante Aeram CHRISTI communem. Eadem marmora per Epochas XXI. & XXII. regnum Theſei, qui unus fuit ex Argonautis, figunt ante annos 995. Refertur igitur Theſeus, & cum eo Argonautae, ad annum ante Aeram CHRISTI 1258. cui ſummae ſi addantur anni 140. ejuſdem Aerae Chriſtianae ad Catalogum Ptolemaei, conficitur intervallum annorum 1398, numerandum a Regno Theſei, ad Ptolemaeum Aſtronomum: & Argonautica expeditio ab eodem, Theſeo ſuſcepta nondum Rege, elongatur annis 1425. circiter ab anno CHRISTI 140, quemadmodum ex progreſſu ſectionis Vernae contra Signorum ordinem ſupra Aſteriſmos antea colligebatur.

Nemo non videt, quam proxima hiſtoricae demonſtrationi ſit aequalitas iſta temporis, tam exacte ſibi reſpondens,

Digitized by Google

dens, licet collecta ex disparatis indicationibus, quarum una ad Caeli motus refertur ab Astronomis observatos, altera ad monumenta gestorum civilium, a Populis consignata suis in marmoribus.

Sin autem quis contendat, amplitudinem primi Asterismi Arietis esse desumendam a Lucida, seu a prima in Cornu ad ultimam Caudae, non ad limitem Tauri in Plejadibus, adeoque arcum definientem medium signum, constare gradibus tantummodo decem, cum aliquot minutis; tres erunt gradus differentiae, & praecessionis subtrahendi, qui decurtant spatium temporis per annos 210. Verum de extensione primi signi ad sensibilem subsequentis limitem Plejadum, unde incipit figura Tauri, tum ea, quae indicavi, me monent, tum proximior accessus ad gradus circiter triginta cuique imagini tribuendos, quem a primis Asterismorum delineatoribus par est

LIBER ANTIQUARIUS.

est credere non fuisse neglectum.

Procedere jam possumus ad tentandam aliam mensuram temporis, ex observationibus relatis ad transitum utriusque Coluri Aequinoctiorum, ac Solstitiorum per Asterismos. Prius tamen indicare praestat, quonam pacto hos Coluros observare contigerit antiquis illis primigeniae Sphaerae, & Globi Caelestis, & Asterismorum constructoribus.

Novimus ex Eudoxo, Arato, Hipparcho, aliisque Astronomis, qui Phoenomena Caelestis Sphaerae descripserunt, Gemino praesertim cap. 14. observatos fuisse a primis hujusmodi scientiae cultoribus ortus, & occasus, tum Cosmicos, tum Heliacos Stellarum praecipuarum, quos diligenter colligarunt in suis Kalendariis, cum ordine tempestatum ad anni circulum expansarum. Novimus quoque ex traditis supra, tertio capite, cum Caesio, & Trigautio, non Graecos modo, Phoe-

Phoenicios, & Aegyptios, sed etiam Sinensium Astronomos vetustissimos attendere consueviſſe ad Stellas, media nocte ad Meridianum pertingentes, ut oppositum Solis locum in Ecliptica assequerentur. Observationes istae causam dederunt delineandi utriusque Coluri Solstitiorum, & Aequinoctiorum in Caelesti Globo per Asterismos, media nocte versantes in plano Meridiani, quando, ex observato Solis ortu, & occasu in punctis Solstitialibus & Aequinoctialibus, intelligebant luminare illud perveniſſe ad cardines tempestatum. Cum enim Asterismi, Meridianum ea die subeuntes cum Sole in Meridie videri non possent; illorum oppositos media nocte in Meridiano versantes Stellae ostendebant. Quin etiam in plaga Boreali, Meridianus ostendebat stellatas Imagines, in eodem Coluro Soli proximas, inter circulum semper apparentium Maximum, & Polum Mundi Boreum.

Pro-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

Processerunt etiam ad definiendum situm, ac Stellas, in Asterismo Draconis, ubi Polus Eclipticae reperitur, ex Luminarium amborum, Lunaeque inprimis observato progressu per duodecim stellatas Imagines, in Zodiaci fascia delineatas: a quarum punctis Ecliptícae proximioribus, cum arcus metirentur circuli maximi quadranti aequales, & ad rectum angulum Zodiaco insistentes, concursus istorum arcuum in *Draconis* partem, sitam *ad initium tertii flexus*, ubi proximae sunt Stellae literis ζ et ω a Bayero inscriptae; ostendebat conversionis menstruae Lunaris, ac Solaris annuae centrum, seu Polum Zodiaci, et Ecliptícae ibidem esse collocandum. Planum vero productum per hunc Polum Ecliptícae ita inventum, et per Polum Mundi, sive diurnae revolutionis, semper spectabilem, ac per centrum Sphaerae, in eadem Sphaera constituit *Colurum Solstitiorum*: quem ad rectos angulos in Polo Mundi in-

Digitized by Google

interſecat alius *Colurus*, per ſectionem Vernam, et Autumnalem ductus, et dictus *Aequinoctiorum*.

Plurimum autem confert obſervatio tranſitus *Coluri Solſtitiorum* per Aſteriſmos, ad Chronologiae ſpatia demonſtranda, ex quo compertum eſt, eorundem Aſteriſmorum Stellas ſingulas deſcribere circa Polum Eclipticae motu lentiſſimo, nempe progreſſu gradus unius intra annos 71. circulos concentricos, et parallelos circulo Ecliptiſcae, in quo ſectiones cardinum utriuſque Solſtitii, et Aequinoctii pari annorum ſpatio, per intervallum gradus unius, conficiunt contra Signorum ordinem. Poſſumus enim expedite quantitatem definire temporis evoluti intra duas obſervationes, circa quamlibet Stellam factas, quarum utraque, in parallelo illo lentiſſimo a Stella deſcripto, enunciet arcum interceptum intra ipſam Stellam, et planum *Coluri Solſtitiorum*. Nos certe confidimus, ex

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

hujuſmodi obſervatione, Sinenſium Sphaeram primigeniam, ejuſque conſtitutae Epocham poſſe definiri, ad Aſtronomicae ſcientiae decus, & incrementum.

Dicimus vero *Planum Coluri Solſtitiorum* huic indicio magis conferre generatim in Stella qualibet, quam *Planum Coluri Aequinoctiorum*. Propterea quod planum Meridiani ad oculos noſtros ſpectabile redditum per quamcumque lineam ſupra Horizontem ad perpendiculum erectam (quales conſtituunt omnes parietes noſtri), eſt ipſum Planum *Coluri Solſtitiorum*, quando uterque Polus Zodiaci verſatilis circa Axem Mundi, et in eodem Coluro ſitus, diurna converſione horarum 24. ſubit Meridianum. Quod Coluro Aequinoctiorum aptari minime poteſt, cum illius planum nunquam plano Meridiani reſpondeat.

Methodum atque uſum hujuſmodi obſervationis & Praxeos apertiorem, red-

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

reddet conſpectus *Aſteriſmi Draconis*, in typo, quem dedit ac diligenter deſcripſit Bayerus Tab. III. ſuae Uranometriae.

In Aſteriſmo Draconis punctum *L* nulla Stella inſignitum, ſed proximum Stellis ζ & ω *circa flexum tertium* ejuſdem Draconis, denotat Polum Ecliptícae. Rectae vero lineae duodecim *L* ♈, *L* ♉ &c. in eodem Polo ſe interſecantes, & conſtituentes angulos aequales graduum triginta, denotant plana circulorum longitudinis, ducta per initia uniuſcujuſque Signi, ex XII. Ecliptícae non ſtellatis, ſed numeratis a plano cardinis Verni Aequinoctii, & interſectionis *L* ♈: adeoque in hac figura planum Coluri Aequinoctiorum, eſt linea ♈ *L* ♎, planum Coluri Solſtitiorum eſt linea ♋ *L* ♑. In eodem Aſteriſmo, Draconis Stella, quae ceteras fulgore ſuperat, & cenſetur inter eas, quae appellantur ſecundae magnitudinis, eſt *a*: & dicitur *Antepenultimam Caudae ſequens*

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

a Bayero, in Opere mox laudato, & a Flamstedio, *Antepenultima Caudae*. Distat a Polo Ecliptícae *L* gradibus 24. & minutis 7' juxta Flamstedium; juxta Bayerum vero gr. 23. & semis, quanta est distantia Poli Ecliptícae *L* a Polo Mundi. Quare Bayerus intervallo sumpto *L a* gr. 23. 30', descripsit in hac figura circulum, a Stella *a* peragendum lentissimo illo motu gradus unius per annos 71., & in eodem circulo statuit Polum Mundi in puncto *K*, dissitum a Stella *a* intervallo arcus *a K*, graduum 61. ½ circiter, quot noverat numerari juxta longitudinem Ecliptícae ultra planum Coluri Solstitiorum *L* K, usque ad situm a Stella occupatum in *a*, circa annum Aerae Christianae MDCIII, quo suas Caelestes Tabulas edebat. Aetate nostra distantia Stellae ejusdem *a*, ultra Colurum Solstitiorum *L K*, in eodem circulo *a B C*, radio *L a* circa Polum Ecliptícae ducto, invenitur graduum 63. 33'. Duplici methodo haec dif-

differentia elongationis (conſtante eadem diſtantia *a L* a Polo Eclipticae invariabili) ab Aſtronomis explicatur. Aliqui fixum imaginantur planum Coluri Solſtitiorum *L K*: & lentum Stellae *a* progreſſum inferunt in ſuo circulo circa Polum Eclipticae, juxta ſignorum ordinem *a B Ω C*. Alii vero imaginantur immobilem, fixam *a*, quemadmodum & Stellas ceteras; ſed planum Coluri Solſtitiorum *L K*, moveri dicunt ſimili motu lentiſſimo, ſed contra ſignorum ordinem ex *K* verſus *C*. Prima ſententia omnes fixas ſimul circumagit ſiniſtrorſum circa Polum Eclipticae *K*, & dicitur progreſſus fixarum in longitudinem. Altera ſolum planum Coluri verſat dextrorſum circa eundem Polum Eclipticae, & dicitur praeceſſio aequinoctiorum. Utrovis modo concipias, perinde eſt quoad uſum Chronologiae. Major enim illa diſtantia ſtellae *a*, quae in dies obſervatur, a puncto *K*, donec perveniat ad oppoli-

LIBER ANTIQUARIUS.

positum ipsi *K* ex diametro *K L Ω* in utraque theoria ex aequo procedit.

Consequitur pariter in utraque theoria, ut puncta singula circuli *K a B & C* ad distantiam arcus gr. 23½ ex Polo Ecliptica *L* ducti, succedere debeant gradatim in polum Mundi *K*, adeoque & Stella ipsa *a*, quae nunc elongatur per arcum *K a* graduum 63. 33'. a plano Coluri Solstitiorum *L K*, necnon a Polo Mundi *K* ibidem statuendo ante annos circiter 4510 (quot exigit motus gr. 63. 33'. in unoquoque gradu insumens spatium annorum 71.) occupaverit ipsum punctum Poli Mundani, & jure appellanda tunc fuerit *Stella Polaris*. Aetas illa, juxta nostras Chronologicas rationes, quae a Mundi conditu ad exordium Aerae Christianae memorant annos 4000, & a creatione Mundi ad Noeticum diluvium annos 1656, pariari debet cum anno 436. circiter ante diluvium, nempe vitae ipsius Noemi 164. Quid inde consequatur in explo-

Digitized by Google

ploranda Sinenſium antiquitate, & Chronologia, paulopoſt exponam. (*Mors invida non ſinit*). Nunc ad Graecorum Aſteriſmorum Epochas redeundum eſt.

Dixi ex retroceſſione ſectionis Vernae a medio Aſteriſmi Arietis, quod antea tenebat in prima Sphaerae Graecanicae, & Caeleſtium Imaginum delineatione, ad locum inde diſſitum gr. 20. 4'. 26", quem tenuit anno Aerae CHRISTI 140. ex Ptolemaei Catalogo, & obſervatis colligi evidenter, numerandum eſſe inter utroſque terminos primae illius delineationis, & Catalogi Ptolemaici, ſpatium annorum circiter 1245. Dico ſimiliter ex retroceſſione plani Coluri Solſtitiorum, tenentis medium Aſteriſmum Cancri in prima illa figuratione ejuſdem Globi, & Imaginum, ad partem cujuslibet paralleli ex Polo Eclipticae ducti, inde diſſitam gradibus 20. 4'. 26", quam occupavit ſcribente ſuum Catalogum Ptolemaeo *Pii Antonini* Anno Secundo,

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

do, sive Aerae CHRISTI 140., perinde colligi idem intervallum annorum 1245. Colurum vero Solstitiorum, dum construeretur Sphaera illa primigenia ab Argonautarum Magistro Chirone, sive a quovis alio, medium stellatae imaginis Cancri tenuisse audivimus ex Achille Tatio, & a vetustioribus Astronomis, Eudoxo, & reliquis, quos Aratus sequitur. Eundem vero Colurum aetate Ptolemaei sub initium Imperii *Antonini* occupasse partem circuli, inde remotum gr. 20. 4'. 26". manifeste patet. Nam, si medium Imaginis Arietis stellati, a medio Imaginis stellatae Cancri, distat in Ecliptica gr. 90. 0. quot distat in Ecliptica non stellata sectio Verni Aequinoctii, a cardine Solstitii Aestivi, sive a Coluro Solstitiorum, dum unum extremum arcus 90. graduum stellati XII. Signorum circuli recedit gr. 20. ab extremo, cui antea inhaerebat arcus 90. gr. Ecliptica non stellatae in sectione Verna, con-

Liber Antiquarius.

consequitur necessario, ut aliud quoque extremum ejusdem quadrantis Zodiaci stellati recedat similiter gr. 20. ab alio extremo ejusdem quadrantis Ecclipticae non stellatae in cardine Solstitiorum, cui antea jugabatur.

Haec vero quantitas retrogressionis plani Coluri Solstitiorum, facilis est ad observandum quotidie, dum idem Colurus subit Meridianum. Quaelibet enim stellae, meridianum tunc subeuntes, noscuntur versari in plano Coluri Solstitiorum, in quo persistit etiam Polus Ecliptícae. Quare planum Meridiani, redditum sensile per duas rectas lineas perpendiculares ad horizontem in linea Meridiana constitutas, fungitur officio circuli longitudinis: & Trigonometrico ex calculo resolutis triangulis, cum Polo Ecliptícae, & cum alia qualibet stella constitutis, quam antea pervadebat planum Coluri Solstitiorum; cognoscitur quantitas anguli, a duobus hisce lateribus trianguli in Polo Ecliptícae

Digitized by Google

LIBER ANTIQUARIUS.

coeuntibus intercepti in gradibus, & minutis. Tum vero per gradus ſingulos aſſignato ſpatio annorum 71, definitur intervallum temporis, inter utramque obſervationem numerandi.

Mechanice quoque demonſtrari poteſt, etiam imperitis Trigonometriae, hujuſmodi quantitas anguli, proveniens ex duabus inter ſe diſſitis, tempore obſervationis tranſitus plani Coluri Solſtitiorum per duas fixas, ſi adhibeatur Iconiſmus paulo ante propoſitus Aſteriſmi Draconis; in quo Parallelus circa Polum Eclipticae a Stella *a* deſcriptus; ſupponitur tranſire per Polum Mundi, utpote ductus per arcum *La*, ſive *LK* circuli longitudinis ad gr. 23. 30. a Polo Eclipticae numeratos tam ad Stellam *a*, quam ad Polum Mundi *K*. Linea *LK* refert planum Coluri Solſtitiorum aetate Bayerianae editionis, nempe anno Chriſti 1603, quae linea producta non ſecat ſtellam, in extrema cauda Urſae Minoris, a nobis dictam Polarem. Poſt plu-

plurium annorum lapsum, nempe circa annum Aerae Christi 2100, Colurus Solstitiorum pervadet stellam praedictam ultimam Caudae, sive Polarem; quae, cum anno 1690 referatur ad longitudinem a sectione verna gr. 84. 14'. 41", & distet a plano Coluri Solstitiorum per gradus complementi 5. 45'. 19". in suo parallelo numeratos, retrocessio plani Coluri per totidem gradus, quibus pervadendis impendet annos 409 circiter, perferet planum Coluri ad eamdem stellam intersecandam, cui tunc tribuentur longitudinis a sectione verna gradus 90. Comparetur haec observatio tunc facienda, cum antiquissima qualibet, exempli gratia cum illa, quae Colurum Solstitiorum reperit, suo plano intersecantem aliam stellam Ursae Minoris, a Bayero signatam *b*, dictam ab Arabis & a nostris etiam *Kochab*, quae habita est aliquando Polaris, ex Mundani Poli vicinia, tunc versantis in eodem plano Coluri Solstitiorum.

Liber Antiquarius.

LIBER ANTIQUARIUS.

Quaeritur quoto temporis intervallo diſtare debeant iſtae duae obſervationes? *Reliqua in Autographo deſiderantur. Etenim Franciſci Blanchini Praeſulis valetudo, diuturnis infirmata vigiliis, preſſaque gravi annorum pondere, tandem, ingenti morbi vi, omnibus perculſa viribus afflictaque corruit. Hoc tamen Opuſculo,* JOANNIS V. *Portugalliae & Algarbiorum* REGIS FIDELISSIMI *inaevum celebrandi juſſione inchoato, ac pene confecto, ingentem ſibi laudem multorum Doctiſſimorum Virorum judicio Auctor ſibi vindicavit: nam quantum antea in ſtudio Aſtronomiae multos anteivit, tantum ut ſe ipſe in hac poſtrema vinceret Lucubratione conſecutus eſt.*

EXPLICIT LIBER ANTIQUARIUS.

ROMAE EXCUDEBANT
HAEREDES JO. LAURENTII BARBIELLINI
BIBLIOPOLAE ET TYPOGRAPHI ROMANI
REGNANTE SUMMO PONTIFICE
BENEDICTO XIV,
ANNO PONTIFICATUS SUI XIII.
REPARATAE SALUTIS CIↃIↃCC LII.

ER-

ERRATA. CORRIGE.

PAg. DCV.	lin. 1.	*Tanutum* :	*Taautum*.
DLXI.	lin. 6.	affimaret :	affirmaret.
DLXVI.	lin. 5.	*dediciſſet* :	*didiciſſet*.
DLXVIII.	lin. 10.	Sedi :	Secundi.
DXCI.	lin. 11.	a Clementem:	a Clemente.
DCXIII.	lin. 7.	cjus :	ejus :
	lin. 10.	Moyſemae, :	Moyſem, ac.
DCXLII.	lin. 23.	Prophaetae :	Prophetae.
DCXLIX.	lin. 14.	fuiſſe :	fuiſſe.
DCLIII.	lin. 10.	Captivitute :	Captivitate.
DCLXII.	lin. 19.	& Confeſſo- :	& Confeſſorum.
DCLXXX.	lin. 7.	buem :	quem.
DCCXVII.	lin. 17.	con-contraditis:	contraditis.
DCCXXII.	lin. 22.	ferabant :	ferebant.
DCCXXVI.	lin. 9.	CRRISTI :	CHRISTI.
DCCXXXV.	lin. 16.	abhibuit :	adhibuit.
DCCXLVII.	lin. 2.	Anianum :	Arrianum.
DCCXLVIII.	lin. 22.	Aniani :	Arriani.
DCCLV.	lin. 10.	*idolatriae* :	*idololatriae*.
DCCLXVI.	lin. 12.	Plutarchi vera :	Plutarchi verba.
	lin. 23.	*walem* :	*molem*.
DCCLXXI.	lin. 15.	artificem :	artificem.
DCCLXXXII	lin. 10.	nomitatim :	nominatim.
DCCLXXXVIII.	lin. 20.	Interogat :	Interrogat.
	lin. 21.	blalpheme :	blaſpheme.
DCCXC.	lin. 21.	loca indicato :	loco indicato.
DCCCIII.	lin. 22.	ſnut :	ſunt.
DCCCXXXV.	lin. 21.	*hominis* :	*homini-*.
	lin. 22.	*ipſi-* :	*ipſis*.
DCCCXXXVII.	lin. 15.	*ae* :	*ac*.
DCCCXLIX.	lin. 1.	proſtremo :	poſtremo.
DCCCLXX.	lin. 7.	celeberimo :	celeberrimo.
DCCCLXXV.	lin. 16.	Tranferre :	Transferre.
DCCCLXXIX.	lin. 9.	Marcurius :	Mercurius.
CMXXXII.	lin. 21.	Caliri :	Cabiri.
CML.	lin. 13.	ſymdolis :	ſymbolis.
CMLIV.	lin. 2.	litararum :	literarum.
CMLXXXIII.	lin. 3.	prolatianem :	prolationem.
CMLXXXIX.	lin. 1.	proſtaſſe :	proſtare.

ERRATA. CORRIGE.

CMXC.	lin. 4.	quadrifonte :	quadrifronte .
CMXCV.	lin. 9.	*fcd* :	*fed* .
MVII.	lin. 12.	excibant :	excipiebant .
MXIV.	lin. 20.	*prudentiſſimns* :	*prudentiſſimus* .
MXVII.	lin. 23.	κἀρη :	χάρη .
MXXVIII.	in Not.	Tab. III. IV. V. VI. :	Tab. IV. V. VI. VII.
MXXIX.	in Not.	Tab. III. :	Tab. IV.
MXLII.	lin. 10.	*pregreſſus* :	*progreſſus* .
MXLVI.	lin. 19.	*creder-* :	*credere* .
ML.	lin. 17.	Arcturuſi :	Arcturius , .
MLIX.	lin. 8.	*columnae* :	*columnae* .
MLXIX.	lin. 3.	*Tripodem* :	*Tripodem* .
MLXXVI.	lin. 4.	ba avo :	ab avo .
MCXXXV.	lin. 11.	fuit :	fuit .

Digitized by Google

Ao1 1469370



Atlan[illegible] ornatum,
quae [illegible]et alterum
conspe[illegible] prospectui

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google



Atlantes signis ornatum : et sculpta Vero ætate haere Circulos ibidem actas eodem seculo exhibente idem si modo asser
natu

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google



oculo constituto p Atlantis dorso in Statua Far-
nesiana AB Aequinoctialis FGH Tropicus Cancri.
IK Tropicus Poli graduum 40. ZXR
Ecliptica. 1 Perseus. 2 Andromeda. 4 Persei
s Heniochus. 6 & 12 Gemini. 13 Orion. 14 Enda-
nus. 15 Cetus. 16 Arietis gradibus 7 state Ptolemæi.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

POLI



Conspectus altena, ex aduerso Coluri Sol
stitiorum AB nalis. G H circulus nunqu
am apparentiu estiuus. L M circulus
semper appa RV Fascia Zodiaci or
nata signis 1 Tismi extra Zodiacum, 6
Canis Maior 7 Nauleniocus 16 Cathedra Cassiopeæ

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

Digitized by Google

TABLA VI



plano Coluri Aequsensionis rectę ductus per lucidam in Cornu Arietis ♈ Aequinoctiorum ętate Ptolemęi
EF Circulus Aequinoctialis apparentium Maximus in latitudine graduum 40. As Libra & Chelę Scorpionis. 9
Scorpii cauda. 10 Hydr Australis. 17 Nauis.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III
NAPOLI





NAPOLI

Digitized by Google

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXXVI
C.21

Digitized by Google